PP. TOLETANORUM QUOTQUOT EXTANT OPERA. TOMUS TERTIUS. RODERICI XIMENII DE RADA, ...

Rodrigo Ximénez de Rada

Digitized by Google

Ex dono Em. Card. de Lorenzana
15. Martii 1798.

2.2.118

Digitized by Google

2.2.132

2.2.198

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COLLECTIO PATRUM

ECCLESIÆ TOLETANÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

PP. TOLETANORUM

QUOTQUOT EXTANT

OPERA.

TOMUS TERTIUS.

RODERICI XIMENII DE RADA,

TOLETANÆ ECCLESIÆ PRÆSULIS,

OPERA PRÆCIPUA COMPLECTENS.

OPERA, AUCTORITATE, ET EXPENSIS

EMINENTISSIMI DOMINI FRANCISCI

CARDINALIS DE LORENZANA,

ARCHIEPISCOPI TOLETANI, HISPANIARUM PRIMATIS.

MATRITI MDCCXCIII.

APUD VIDUAM IOACHIMI IBARRA, DIGNITATIS ARCHIEP. TOLET. TYPOGR.

REGIO PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

SI quis forte miratur, nos, postquam duobus præcedentibus voluminibus nova luce donavimus opera SS. PP. Toletanorum, qui Ecclesiæ nostræ decus maximum, et ornamentum fuere, cum ob eximiam vitæ sanctitatem, tum etiam ob singularem sapientiam, nunc hoc tertio volumine typis recussa dare præcipua, quæ Rodericus Ximenius de Rada, clarissimus antecessor noster, de rebus gestis conscripsit; is, si attente consideret, ac animo secum ipse reputet, et qualis vir Rodericus fuerit, et quanta eius in Rempublicam litterariam merita, non dubito fore, ut nostrum consilium probaturus sit, et præsens opus summa cum voluptate perlecturus. Quamquam enim Sanctorum fastis publico Ecclesiæ testimonio adscriptum Rodericum non veneremur, tamen vita eius inculpatè acta, candidi SS. Prædecessorum mores, quos in se diligenter expressit, et sapientia, qua illo sæculo eminuit, prope suo iure repetere videbantur, ut sicut ad SS.Patres antiquitate accessit, ita et inter veteres Patres locum eidem concederemus. Nam si postulat æquitatis ratio, ut cuius beneficio fruimur, eum ab oblivione, quæ ingrati pectoris mater est, quantum possumus, vindicemus; quis iniquo animo perferat, nos tam bene de tota Hispania merenti Præsuli vetustissimo ista, qua possumus, animi significatione respondere voluisse? Si virtutum pignora quærimus, fulserunt maxima in Roderico: si antiquitatem desideramus, quæ solet auctoritatem conciliare, nostri Præsulis perspecta omnibus est: at si beneficiis capimur, reperiemus certe nomen tanti viri immortalitate dignissimum.

Ille primus viam pandit, qua posteri possent ad primæva Hispaniæ sæcula ascendere, nostrorumque maiorum ortum, ac incunabula scire, monumentaque perlu-

Digitized by Google

Rodericus, si fortunatiora tempora nactus fuisset: "Plane, „ ait Nicolaus Antonius, ex his historiarum monumen- „ tis (Roderici nempe), quantumvis plura præsertim de „ rebus antiquis minus recte senserit::::: gravissimus ta- „ men ante alios est, atque integer hispanicarum rerum „ usque ad ætatem suam scriptor, omnesque adivit ve- „ tustiorum se auctorum fontes."

Fateamur igitur nos tanto Præsuli maximis beneficiis devinctos; nisi enim ipse in nostrum commodum adeo naviter adlaborasset, multa, quæ nunc cognita habemus, in tenebris perpetuo iacerent.

Itaque bonarum litterarum profectui, nec minus Sedis et Dignitatis nostræ honori consulentes, ut novis typis opera Roderici ederentur, curavimus: rem maximè gratam facturos; sperantes, viris doctis præcipue, quibus avidissime desiderantibus facultas habendi ea nisi magnis sumptibus vix, aut ne vix quidem, suppetere poterat; admodum enim rara, et singularia facta fuere.

Est et aliud, quod de proposito nostro securiores, et certiores nos reddidit, postquam editiones antehac factas attente consideravimus, et ad MSS. recognovimus: namque invenimus illas pluribus mendis scatere, partim Typographorum incuria, partim eorum, qui operibus edendis insudarunt, cum ad manus habere correctiora manuscripta nequivissent. In quo nos curam nostram præcipuam (ne dicamus unicam) stetisse libenser fatemur; nam præter editiones hucusque vulgatas præ manibus habuimus exemplaria alia MSS. nostra vernacula, et etiam latina lingua conscripta, quæ ad emendanda et restituenda permulta, quæ in anteriores editiones mendosè irrepserant, incredibile quantum lucis præbuerunt.

Ut autem consilium, quod in singulis historiis edendis secuti sumus, aperiamus, principio animadvertimus, ex prologis earumdem satis superque constare ab Auctore eodem ordine scriptas fuisse, quo nunc in lucem edi-

edimus, sicut iam pridem monuerat prædictus Nicolaus Antonius: apud quem iure reprehensam habemus levitatem illorum, qui nullis rationum momentis ducti, aliqua ex his operibus Roderico abiudicare voluerunt; si namque prædicta exordia attente considerassent, minime in talem dubitationem incidissent. Sunt et alia multa de aliis operibus Roderico tributis, et præsertim de historia Catholica à clarissimo Bibliothecæ auctore ad rem notata, digna omnia, ut à viris sapientibus consulantur, quæ nos silentio prætermittimus, quia potest facile videri citatus auctor.

Deinde pro nostra editione hæc tantum admonemus. Textum Roderici damus variantibus lectionibus adornatum, servatis his, quas Andreas Schottus ex codice Toletano, alioque ignoto, ut ex prima illius adnotatione apparet, deprompsit, adhibitis præterea, quas in aliis MSS. reperimus, inter quæ primum locum damus illi valde antiquo, et correcto, quod in Bibliotheca Complutensi Collegii maioris S. Ildephonsi asservatur.

Noluimus tamen variantes omnes lectiones semper indicare, quod non nisi implicatissimum laborem lectoribus afferret, sed tantum eas, quas ad pleniorem textus intelligentiam conducere posse existimavimus. Unum affirmare audemus, plerumque scilicet in textu lectionem verisimiliorem secutos, ceteris ad marginem relegatis; nusquam tamen hoc auctoritate nostra, sed MSS. Toletani, vel Complutensis testimonio fecimus: quando autem ex hisce genuina lectio haberi non potuit, ad alias investigandas animum appulimus; at etiamsi fortasse aptas invenerimus, textui tamen ingerere ausi non fuimus, ne quis temere factum suspicaretur, sed ad marginem notavimus, ut videre est in lib. 2. de rebus Hispaniæ cap. 18. pag. 41. ubi ad illa verba textus *Montivagi ubi populi*, quo modo legitur etiam in codicibus Complutensi et Toletano, in margine indicavimus lectiones alias certe verisimiliores.

At

Digitized by Google

At ubi hisce mediis adiuti, lectionem restituere nequivimus, antiqua remansit; maluimus namque illam imperfectam relinquere, quam viris doctis proprio marte nostras quasi coniecturas obtrudere, quod absque eorum præiudicio fieri non liceret. Cuius etiam exemplum habetur in eodem lib. 2. cap. 4. pag. 26. in illis verbis: *Postquam vero Theodosius, qui cœpit regnare::::* quem locum noluimus immutare, licet facillime ad perfectum sensum restitui potuisset: sicut et alibi in historia Vandalorum cap. 10. pag. 238. in illa oratione: *Gilimerius autem de potioribus Vandalorum* : : : ab illis verbis *multosque nobilium Vandalorum* : : :

Quod ad ortographiam attinet, cum ex illius defectu oriretur sæpe imperfectio textus, quod vitium in omnibus codicibus inveniebatur, eam reformavimus, prout necesse erat, ut istius artis regulis, tunc fere vel ignotis, vel neglectis, consentanea redderetur.

Hucusque autem dicta cum in aliis Roderici operibus quæ recudimus, præstitimus, tum maxime in historia Romanorum. Hanc etenim, quam Andreas Schottus ex MS. Toletano edidit, valde imperfectam è manibus suis exiisse comperimus: desunt in ea sæpe integræ orationes, sæpissime verba, vel etiam immutata obscurissimum sensum faciunt: quapropter maiori necessitate compulsi fuimus, fere semper ac discrepat à Complutensi lectione, hanc in textu apponere, illa ad marginem adnotata.

Historia Arabum, etsi adeo depravata non fuerit, ut præcedens, in editione Francofurtiensi, indigebat tamen maxima emendatione; nam præter interpunctionis vitia multoties inveniuntur immutata verba, corruptusque orationis sensus. Huic vero nostræ edendæ præter MSS. præ manibus habuimus eam, quam publica luce donavit (Lugd. Batav. anno 1625) Iacobus Golius, qui utpote in historiis Arabum, quorum linguam in Universitate prædictæ urbis publice docuit,

Digitized by Google

versatissimus, multa loca in editione Schotti subobscura declaravit, et alia corrupta restituit, non tamen omnia; quo factum est, ut nobis adhuc laboris nostri occasio relinqueretur, sicuti pro viribus fecimus: neque tamen gloriamur omne, quod optabamus, assecutos, scilicet, editionem istam prodire iam numeris omnibus absolutam; etiamsi confidimus meliorem redditam, et ceteras, quæ illam præcesserunt, multum anteire.

Hic igitur poteramus gradum sistere, cum ad id, quod intenderamus, scripta nempe Prædecessorum nostrorum novis typis edere, iam demum ventum esset. Sed priusquam ultimam manum operi adponeremus, voluimus alia adnectere, minime quidem à proposito nostro aliena.

Ea vero duabus appendicibus comprehensa sunt. Prima continet series Regum Hispaniæ, et Præsulum Toletanorum, brevem summam Conciliorum, quæ Toletana dicuntur, et indicem ceterorum, quæ prædicti Præsules celebrarunt, vel quibus ipsi interfuere: quod duabus præsertim de causis à nobis actum est. Cum enim sæpissime de omnibus his mentio fiat in operibus Toletanorum Præsulum, inque illis haud pauca emendatione digna occurrant, si ad chronologiæ exactæ rationem revocentur, præcipue in historiis Roderici, consultius duximus defectus illos hac via expungere, quam in singulis paginis, ubi inveniuntur, immorari, perpetuas notas et animadversiones hunc in finem inserentes. Insuper confidimus gratissimum lectoribus extiturum habere in promptu hæc, quæ et nusquam ante tam apte disposita prodierunt, et ad facta historica facilius memoriæ mandanda, et arctius retinenda, magnopere iuvant.

Altera vero appendix Descriptionem Templi Toletani complectitur, quam Blasius Ortizius eiusdem Ecclesiæ canonicus tradidit, et in eadem urbe vulgavit anno 1549, à quo tempore aliqua immutata sunt, quæ pro-

Digitized by Google

proinde necesse erat adnotari, sicuti fecimus brevibus paucisque animadversionibus ad calcem. Itaque existimamus ex his, quæ viri docti desiderare possunt ad Ecclesiam nostram Toletanam spectantibus, nihil omissum fuisse, quod nobis vel maxime in votis erat. Faxit autem immortalis Deus, ut historiæ totius Regni perficiendæ aliquantulum contulerimus.

Digitized by Google

INDEX GENERALIS OPERUM,

QUÆ IN HOC TERTIO TOMO CONTINENTUR.

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI

Historia de rebus Hiſpaniæ. fol. 1.

Historia Romanorum. 209.

Historia Oſtrogothorum. 224.

Historia Hunnorum, Vandalorum, Suevorum, Alanorum, et Silinguorum. 229.

Historia Arabum. 242.

APPENDIX PRIMA.

Series Regum Hiſpaniæ. 284.

Synopſis Conciliorum Toletanorum. 325.

Catalogus Præſulum Toletanorum. 345.

APPENDIX SECUNDA.

Deſcriptio Templi Toletani. 365.

IN-

Digitized by Google

INDEX

SINGULORUM CAPITUM OMNIUM OPERUM, QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Vita domini Roderici, *fol.xix.*

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI

HISTORIA DE REBUS HISPANIÆ.

Præfatio. *fol.1.*

LIBER PRIMUS.

CAP.I. *De fundamento huius historiæ.* 5.
CAP.II. *De Europa, et generationibus Iaphet.* 6.
CAP.III. *De primis incolis, et primo nomine Hispaniæ.* 7.
CAP.IIII. *De adventu et victoria Herculis in Hispaniam, et pugna illius cum Geryone tricipite.* 8.
CAP.V. *De victoriis Herculis, et ædificatione civitatum in Hispania.* 9.
CAP.VI. *De morte Caci, et vastatione Ilii, et morte Herculis.* 10.
CAP.VII. *De operibus Regis Hispanis.* 11.
CAP.VIII. *De origine, et primis actibus Gothorum.* 12.
CAP.IX. *De opinionibus originis gentis Gothorum, et commendatione eorum.* 13.
CAP.X. *De situ Scythiæ, et de Gothorum exercitus regimine.* 15.
CAP.XI. *De Tanai et ortu Parthorum.* 16.
CAP.XII. *De feminis Gothorum, quæ postea dictæ sunt Amazones.* Ibid.
CAP.XIII. *De actibus Gothorum, et Amazonum, et de Telepho, et de Eurypylo Gothorum Regibus, et Regina Tomyri.* 18.
CAP.XIIII. *De victoriis Gothorum contra Persas, et Græcos.* 19.
CAP.XV. *De sapientibus Gothorum, et Consiliariis eorumdem.* Ibid.
CAP.XVI. *Iterum de bellis Gothorum, et Ostrogotha, et Gniva Regibus eorum.* 20.
CAP.XVII. *De Gallo, et Volusiano, et Claudio Imperatoribus, et pugnis eorum cum Gothis.* 21.
CAP.XVIII. *De Constantino Imperatore, et Geberic, et Hermanarico Gothorum Regibus, et eorum bellis.* 22.
CAP.XIX. *De Hunnis, et morte Hermanarici.* 23.

LIBER SECUNDUS.

CAP.I. *De schismate in Athanaricum, et Fridigernum, et hæresi Ariana.* 23.
CAP.II. *De fame Gothorum, et morte Valentis Imperatoris.* 24.
CAP.III. *De quibusdam vastationibus, et pace Romanorum, et morte Athanarici et Fridigerni.* 25.
CAP.IIII. *De strage Radagasi, et Stiliconis, et vastatione Italiæ.* 26.
CAP.V. *De destructione urbis, et morte Alarici.* 27.
CAP.VI. *De victoriis Athaulphi, et morte eius.* 28.
CAP.VII. *De Sigerico, et Valia, et victoriis in Hispania.* 29.
CAP VIII. *De Theudoredo, et casu Hunnorum.* 30.
CAP.IX. *De Theudorico, et Regulis Suevorum.* 33.
CAP.X. *De Eurico Rege.* 35.
CAP.XI. *De Alarico et Gisaleico.* Ibid.
CAP XII. *De Theudio.* 36.
CAP.XIII. *De Agila Rege.* 37.
CAP.XIV. *De Athanagildo, et Luiba, et Leovigildo.* Ibid.
CAP.XV. *De Recareda Rege.* 38.
CAP.XVI. *De Luiba, Victerico et Gundemaro.* 40.
CAP XVII. *De Sisebuto Rege,* Ibid.
CAP.XVIII. *De Suintila, et Rechimiro filio eius.* 41.
CAP.XIX. *De Sisenando, et Cintila, et Conciliis eorum temporibus celebratis, et de Tulga.* 42.
CAP.XX. *De Cindasvindo, et inventione Moralium per Taionem Episcopum.* 43.
CAP.XXI. *De morte Cindasvindi, et Primatu Ecclesiæ Toletanæ.* 44.
CAP.XXII. *De Recensvindo, et Conciliis eius tempore celebratis, et de Sancto Ildefonso.* 45.

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

CAP.I. *De regno Bambæ.* 47.
CAP.II. *De rebellione Hilderici.* Ibid.
CAP.III. *De proditione Pauli.* 48.
CAP.IIII. *De processibus Regis contra Paulum.* 49.
CAP.V. *De transitu Pyrenæi.* 50.
CAP.VI. *De adventu exercitus ad Nemausum.* 52.
CAP.VII. *De irruptione Nemausi, et desperatione Pauli.* 53.
CAP.VIII. *De legatione Argebadi Episcopi ad Regem.* 54.
CAP.IX. *De reparatione Nemausi, et restitutione sacrorum.* 56.
CAP.X. *De fuga Lupi ducis, et metu Francorum.* 57.
CAP.XI. *De reformatione Provinciæ Narbonensis, et reditu Regis in Hispaniam.* Ibid.
CAP.XII. *De reparatione urbis Toletanæ.* 58.
CAP.XIII. *De regno Ervigii, et Iuliano Pomerio.* 59.
CAP.XIV. *De regno Egicæ, et scriptura Benedicto Papæ transmissa.* 60.
CAP.XV. *De morte Egicæ, et regno Vitizæ.* 61.
CAP.XVI. *De facinoribus, et fraudibus Vitizæ.* 62.
CAP.XVII. *De causis dissensionis, propter quas fuit destructio Hispaniæ subsecuta.* 63.
CAP.XVIII. *De regno Regis Roderici.* 64.
CAP.XIX. *De violentia facta filiæ Comitis Iuliani, et coniuratione cum Arabibus.* Ibid.
CAP.XX. *De secundo introitu Arabum in Hispaniam.* 66.
CAP.XXI. *De destructione Gothorum, et commendatione Hispaniæ.* 67.
CAP.XXII. *Deploratio Hispaniæ, et de causa excidii Gothorum.* 69.
CAP.XXIII. *Qualiter Taric urbes occupavit.* 71.
CAP.XXIV. *De captione Malacæ, Murciæ, et Granatæ.* 72.

LIBER QUARTUS.

CAP.I. *De rebellione Pelagii contra Arabes, et de sorore sua, et regno eius.* 74.
CAP.II. *De introitu Pelagii in caveam, et strage Arabum, et captione Oppæ, et morte Alchamam.* 76.
CAP.III. *De translatione arcæ, et reliquiarum, et sacrorum librorum in Asturias.* 77.
CAP.IIII. *De morte Munucæ, et filiorum Vitizæ, et Comitis Iuliani, et Regis Pelagii.* 78.
CAP.V. *De regno Fafilæ, et Aldefonsi Catholici, et eorum morte.* 79.
CAP.VI. *De Froila, et operibus eius, et morte.* 80.
CAP.VII. *De Aurelio, et Silone, et Mauregato, et Veremundo Diacono.* Ibid.
CAP.VIII. *De Aldefonso Casto, et piis operibus eius.* 81.
CAP.IX. *De Angelicis aurificibus, et Bernardo.* 82.
CAP.X. *De legatione ad Carolum, et victoria Regis Alfonsi.* 83.
CAP.XI. *De civitatibus Hispaniæ, à quibus acquisitæ.* 84.
CAP.XII. *De victoriis Alfonsi, et morte eius.* 86.
CAP.XIII. *De strage Normanorum, et victoriis Ranimiri.* Ibid.
CAP.XIV. *De Rege Ordonio, et eius magnalibus.* 88.
CAP.XV. *De Aldefonso Magno, et eius præliis gloriosis.* 89.
CAP.XVI. *Item de præliis, et piis operibus Aldefonsi.* 91.
CAP.XVII. *Epistola Ioannis Papæ ad Aldefonsum Regem.* 92.
CAP.XVIII. *De sublimatione Ovetensis urbis in metropolim, et dedicatione Ecclesiæ Sancti Iacobi, et de Concilio Ovetensi.* 93.
CAP.XIX. *De incarceratione Garsiæ filii Regis, et morte Aldefonsi.* 94.
CAP.XX. *De præliis Garsiæ, et morte eius.* Ibid.
CAP.XXI. *De Rege Ordonio, et bellis eius, et de translatione Ecclesiæ Legionensis.* 95.
CAP.XXII. *Item de præliis Ordonii, et uxoribus eius, et captione Magnatum, et morte Regis.* 96.

LIBER QUINTUS.

CAP.I. *De Froila, et Iudicibus.* 97.
CAP.II. *De Nunio Rasura, et filiis eius.* 98.
CAP.III. *De Comite Sancio, et morte eius.* 99.
CAP.IIII. *De Alphonso, et Ranimiro, et discordia fratrum.* 100.
CAP.V. *De regno Ranimiri, et rebellione monachi Aldefonsi.* Ibid.
CAP.VI. *De victoria Ranimiri, et Comitis Fernandi Gundisalvi.* 101.
CAP.VII. *De proditione Abenaiæ, et victoria Ranimiri.* Ibid.
CAP.VIII. *Item de præliis Ranimiri,* 102.
CAP.IX. *De Rege Ordonio, et dissensione cum Castellanis.et morte eius.* Ibid.
CAP.X. *De Rege Sancio, et Ordonio Malo.* 103.
CAP.XI. *De Rege Ranimiro, et strage Normanorum.* 104.

CAP.

Digitized by Google

CAP.XII. *De vastatione Castellæ, et Zemoræ, et Gallæciæ, et morte Ranimiri.* 105.
CAP.XIII. *De Rege Veremundo, et miraculo tauri.* Ibid.
CAP.XIV. *De insolentiis Veremundi, et uxoribus eius, et de victoria Almanzoris.* 106.
CAP.XV. *De irruptione Legionis, et Astoricæ.* 108.
CAP.XVI. *De morte Almanzor.* Ibid.
CAP.XVII. *De fuga Abdelmelich, et morte Regis Veremundi.* 109.
CAP.XVIII. *De Aldefonso, et miraculo sororis suæ, et morte Comitis Garsiæ Fernandi.* 110.
CAP.XIX. *De Sancio Comite, et piis operibus Aldefonsi.* 111.
CAP.XX. *De Rege Veremundo, et filiabus Sancii Comitis Castellani.* Ibid.
CAP.XXI. *De ortu, et genealogia Regum Navarrensium.* 112.
CAP.XXII. *De Rege Garsia Enecbonis, et filio eius Sancio.* Ibid.
CAP.XXIII. *De Rege Garsia, qui dictus est Tremulosus.* 113.
CAP. XXIV. *De Rege Sancio, et generationibus Regum Navarræ.* Ibid.
CAP.XXV. *De Infante Garsia, qui fuit occisus in Legione.* 115.
CAP.XXVI. *De divisione regni, et infamatione Reginæ.* 116.

LIBER SEXTUS.

CAP.I. *De Rege Ranimiro, et genealogia Regum Aragoniæ, et de captione Oscæ.* 117.
CAP.II. *De dissensione Aragonensium, et de regno Monachi Ranimiri.* 118.
CAP.III. *De unione Regni, et Comitatus Barcinonæ, et filiis Comitis et Reginæ.* 119.
CAP.IIII. *De Petro Rege Aragoniæ, et eius morte.* Ibid.
CAP.V. *De Rege Iacobo, et filiis eius, et magnalibus eiusdem.* 120.
CAP.VI. *De matrimonio Regis Ferdinandi cum sorore Veremundi, et de morte Sancii Regis.* 121.
CAP.VII. *De victoria Regis Garsiæ contra Regem Ranimirum.* 122.
CAP.VIII. *De morte Regis Veremundi.* Ibid.
CAP.IX. *De unione regnorum Castellæ, et Legionis, et de filiis Regis Fernandi.* 123.
CAP.X. *De discordia fratrum, et morte Regis Garsiæ.* Ibid.
CAP.XI. *De monarchia Regis Fernandi, et de acquisitione Portugalliæ, et divisione Regnorum.* 125.
CAP.XII. *De vastatione regni Toleti, et de translatione reliquiarum in regnum suum.* 126.
CAP.XIII. *De religiosis actibus Regis Fernandi, et morte eius, et uxoris illius.* 127.
CAP.XIV. *De discordia fratrum, et qualiter vicit Sancius Aldefonsum.* 129.
CAP.XV. *De pugna fratrum, et transitu Aldefonsi ad Regem Toleti.* Ibid.
CAP.XVI. *De venationibus, et prognosticis Aldefonsi.* 130.
CAP.XVII. *Qualiter regna fratrum Rex Sancius occupavit.* 131.
CAP.XVIII. *De obsidione Zamoræ, et Sancii Regis morte.* 132.
CAP.XIX. *De recessu Aldefonsi ab Almenone, et reditu in terram suam.* Ibid.
CAP.XX. *De sublimatione Aldefonsi in Regem, et de uxoribus, et filiabus eius.* 134.
CAP.XXI. *De virtutibus Aldefonsi.* Ibid.
CAP.XXII. *De obsidione, et captione civitatis Toletanæ.* 135
CAP.XXIII. *De dote Ecclesiæ Toletanæ.* 136.
CAP.XXIV. *Quod Mezquita Maurorum facta est Ecclesia Christianorum.* 137.
CAP.XXV. *De commutatione Officii Toletani.* 138.
CAP.XXVI. *De schismate Clericorum, et de reditu Primatis, et de bonis viris à Galliis ductis.* 139.
CAP.XXVII. *De schismate, et depositione Burdini.* 140.
CAP.XXVIII. *De captione Alcalæ, et Valentiæ.* 142.
CAP.XXIX. *De morte Regis Garsiæ, et sororum eius.* 143.
CAP.XXX. *De adventu Arabum, et morte Avenabet.* Ibid.
CAP.XXXI. *De strage Christianorum in Sacraliis, et victoria Aldefonsi in provincia Hispalensi.* 144.
CAP.XXXII. *De obsidione Uclesii, et morte Infantis Sancii.* Ibid.
CAP.XXXIII. *Quod Urraca Regis filia datur in matrimonium Regi Aragoniæ Aldefonso.* 145.
CAP.XXXIV. *De morte Regis Aldefonsi, et miraculoso prognostico mortis eius.* 146.

LIBER SEPTIMUS.

CAP.I. *De separatione Regis Aragonum, et Reginæ Castellæ.* 147.
CAP.II. *De victoriis Regis Aragoniæ contra Gallæcos et Castellanos, et morte Comitis Gomitii.* 148.
CAP.III. *De electione Aldefonsi Regis in Regem.* 149.
CAP.IIII. *De magnalibus Regis Aldefonsi circa principium regni sui.* 151.

CAP.

Digitized by Google

CAP.V. *De ortu et genealogia Regum Portugalliæ.* Ibid.
CAP.VI. *De insignibus prœliorum Regis Portugalliæ Aldefonsi.* 152.
CAP.VII. *Quod Imperator divisit imperium filiis suis.* 153.
CAP.VIII. *De captione Cordubæ.* 154.
CAP.IX. *De adventu Regis Franciæ in Hispaniam.* Ibid.
CAP.X. *De ortu Almohadum.* 155.
CAP.XI. *De captione Beatiæ, et Almariæ.* 156.
CAP.XII. *De successione Regis Sancii in Regno Castellæ.* Ibid.
CAP.XIII. *De restitutione magnatum Legionis per Regem Castellæ.* 157.
CAP.XIV. *Quod Calatrava data fuit Abbati Fiteriensi, et de morte Regis Sancii.* 158.
CAP.XV. *De Rege Aldefonso, et persecutione quam ab infantia toleravit, et de nutriciis eius.* 159.
CAP.XVI. *De dissensione magnatum Castellæ super custodia Regis Castellæ, et de fuga eiusdem in Atentiam.* 160.
CAP.XVII. *Quod Rex Fernandus obtinuit fere totam Extrematuram.* 161.
CAP.XVIII. *De commendatione fidei, seu fidelitatis.* 162.
CAP.XIX. *De Rege Fernando Legionensi, filio Imperatoris.* 163.
CAP.XX. *De bello eiusdem cum Salamantinis.* 164.
CAP.XXI. *De succursu civitatis Roderici.* Ibid.
CAP.XXII. *De bello Fernandi Roderici.* Ibid.
CAP.XXIII. *De victoriis Regis Fernandi, et morte eius.* 165.
CAP.XXIV. *De Rege Aldefonso, et eius militia, et filiis.* 166.
CAP.XXV. *De actibus Aldefonsi Regis Legionensis.* 167.
CAP.XXVI. *De insignibus nobilis Aldefonsi, et captione Conchæ.* 168.
CAP.XXVII. *Item de magnalibus, et piis operibus nobilis Aldefonsi.* 169.
CAP.XXVIII. *De populatione Placentiæ, et exercitu Martini Primatis.* Ibid.
CAP.XXIX. *De bello Alarcuris.* 170.
CAP.XXX. *De disceldio Regum Legionensis et Navarræ à Rege Aldefonso nobili.* 171.
CAP.XXXI. *Quod Rex Aldefonsus nobilis dedit filiam suam in uxorem Regi Legionensi.* Ibid.
CAP.XXXII. *De captione Victoriæ, Guipuscuæ, et Ibidæ.* 172.
CAP.XXXIII. *De discidio Didaci Lupi, et obsidione Stellæ, et ædificatione monasterii regalis.* 173.
CAP.XXXIV. *De constructione hospitalis, et institutione scholarum, et acquisitione Vasconiæ.* Ibid.
CAP.XXXV. *De captione Salvæterræ.* 174.
CAP.XXXVI. *De condicto bello, et morte Infantis Fernandi.* Ibid.

LIBER OCTAVUS.

CAP.I. *De adventu Regum ad urbem regiam.* 176.
CAP.II. *De adventu ultramontanorum ad bellum.* 177.
CAP.III. *De concursu Pontificum et magnatum Hispaniæ ad congressum.* Ibid.
CAP.IIII. *De prærogativa virtutum, et largitatis nobilis Aldefonsi.* 178.
CAP.V. *De processu ad bellum, et captione Malachonis.* 179.
CAP.VI. *De captione Calatravæ, et discessu ultramontanorum.* 180.
CAP.VII. *De occupatione montis, unde ad prœlium processit Christianorum exercitus.* 182.
CAP.VIII. *De processu ad locum pugnæ, et occursu Agarenorum.* 183.
CAP.IX. *De dispositione acierum, et ordinibus bellatorum.* 184.
CAP.X. *De victoria Christianorum, et strage Saracenorum.* 186.
CAP.XI. *De magnalibus bellatorum.* 187.
CAP.XII. *De captione Beatiæ, et Ubetæ, et aliorum castrorum, et reditu exercitus.* 188.
CAP.XIII. *De captione Alcaratii, et Alcantaræ, et aliorum castrorum, et fœdere cum Rege Legionensi.* 189.
CAP.XIV. *De obsidione Beatiæ, et tregua cum Arabibus, et populatione Miraculi, et peste famis.* 190.
CAP.XV. *De morte Regis nobilis Aldefonsi.* 191.

LIBER NONUS.

CAP.I. *De regno Regis Enrici, et quod fuit Comiti Alvaro deputatus.* 192.
CAP.II. *De contubernio Regis Enrici, et dominæ Mafaldæ.* 193.
CAP.III. *De morte nuncii, et captione Montis alacris, et obsidione Villæ albæ.* 194.
CAP.IIII. *De morte Regis Enrici.* 195.
CAP.V. *Quod Infans Fernandus factus est Rex Castellæ.* 196.
CAP.VI. *De tumulatione Regis Enrici.* 197.
CAP.VII. *De largitate Reginæ Verengariæ, et de captione Comitis Alvari.* Ibid.
CAP.VIII. *Quod Comes Alvarus, et Comes Fernandus restituerunt quædam castra novo Regi.* 198.
CAP.IX. *De Comitum morte Alvari, et Fernandi.* 199.
CAP.X. *De laude Regis Fernandi, et eius uxore Beatrice.* Ibid.

CAP.

Digitized by Google

CAP.XI. *De rebellione quorundam magnatum, et morte Comitis Gundisalvi.* 200.
CAP.XII. *De filiis Regis, et primis vastationibus contra Mauros.* 201.
CAP.XIII. *De captione Capellæ, et fundatione Ecclesiæ Toleti, et Abenbut.* 202.
CAP.XIV. *De morte Aldefonsi Regis Legionensis, et successione Regis Fernandi.* 203.
CAP.XV. *De ingressu Legionensi, et concordia Regis cum sororibus.* 204.
CAP.XVI. *De obsidione et captione Cordubæ.* 205.
CAP.XVII. *De restauratione, et dote Ecclesiæ Cordubensis, et campanis relatis ad Sanctum Iacobum.* 206.
CAP.XVIII. *De traductione secundæ uxoris Reginæ Ioannæ.* 207.

HISTORIA ROMANORUM.

Prologus. 209.
CAP.I. *De Regibus Latii.* 210.
CAP.II. *De adventu Æneæ in Italiam, et regno eius, et de Didone.* 211.
CAP.III. *De victoria Æneæ contra Latinum.* 212.
CAP.IIII. *De Ascanio, et Regibus Albanorum.* 214.
CAP.V. *De creatione Senatorum, et militum, et Regibus Romanorum.* 215.
CAP.VI. *De creatione Consulum Romanorum.* 217.
CAP.VII. *De Annibale, et Asdrubale Regibus Pœnorum, et destructione Seguntiæ, et strage Romanorum.* Ibid.
CAP.VIII. *Item de victoriis Annibalis, et Asdrubalis, deque victoriis Scipionis.* 218.
CAP.IX. *De destructione Cartaginis per Scipionem.* 219.
CAP.X. *De Pompeio, et Iulio Cæsare.* 220.

HISTORIA OSTROGOTHORUM.

Prologus. 224.
CAP.I. *De Regibus Ostrogothorum, et de actibus Theodorici.* Ibid.
CAP.II. *De Odoacre, et morte eius.* 225.
CAP.III. *De regno Theodorici in Italiam.* 226.
CAP.IIII. *De Theodorici hæresi, et morte eius.* Ibid.
CAP.V. *De Gutide, et successoribus eius.* 227.
CAP.VI. *De Totila, et actibus eius.* 228.

HISTORIA HUNNORUM, VANDALORUM,

SUEVORUM, ALANORUM, ET SILINGUORUM.

Prologus. 229.
CAP.I. *De origine Hunnorum.* Ibid.
CAP.II. *De Honoria, et morte Attilæ.* 232.
CAP.III. *De Vandalis.* Ibid.
CAP.IV. *Quod Barbari à Pannonia in Gallias transfugerunt.* 233.
CAP.V. *De introitu Barbarorum in Hispaniam.* Ibid.
CAP.VI. *De regno, et fuga Vandalorum, et primo introitu Gothorum.* 234.
CAP.VII. *De Giserico, et transitu eius in Africam.* 235.
CAP.VIII. *De transitu Vandalorum in Siciliam, et vastatione urbis.* 236.
CAP.IX. *De Hugnerico.* 237.
CAP.X. *De Gutamundo, et Thrasamundo.* Ibid.
CAP.XI. *De Historia Alanorum.* 238.
CAP.XII. *De regno Suevorum.* 239.
CAP.XIII. *De Rechiario, et morte eius.* Ibid.
CAP.XIII. *De Suevorum Regibus.* 240.
CAP.XIV. *De Miro, et fine regni Suevorum.* 241.
CAP.XV. *De Silinguis.* Ibid.

HISTORIA ARABUM.

Prologus. 242.
CAP.I. *De origine, et exordio Machumeti.* Ibid.
CAP.II. *De instructione, et prima ostensione Machumeti.* 243.
CAP.III. *De prædicatione, et rebellione eiusdem.* 244.
CAP.IIII. *De victoria Machometi contra Romanos.* 245.
CAP.V. *De sublimatione Machometi in Regem, et de visionibus mendaciter excogitatis.* Ibid.
CAP.VI. *De disceptatione legis cum Coraxinis, et morte eius.* 248.

Digitized by Google

CAP. VII. *De Abubacar, Omar, et Moabia, et eorum prœliis.* Ibid.
CAP. VIII. *De Izit, et Maula, et Abdelmelic filio eius, et victoriis eorum.* 249.
CAP. IX. *De Ulit.* 250.
CAP. X. *De morte Muzæ, et Ulit, et regno Zuleman, et morte eius.* 251.
CAP. XI. *De Izit, et Izit, et obsidione Tolosæ, et principatu Ambizæ.* 252.
CAP. XII. *De regno Hyscam.* 253.
CAP. XIII. *De Zath, et Abdalla, et Abderramen, et eius victoriis.* 254.
CAP. XIV. *De morte Abderramen, et fuga suorum, et Carolo Martello.* 256.
CAP. XV. *De Abdelmelich, et Ocba.* Ibid.
CAP. XVI. *De insolentiis Hyscam, et infelicitate eius, et de Belgi, et morte Abdelmelic.* 257.
CAP. XVII. *De Alulit Pulchro, et Abulcatar, et Thobam.* 258.
CAP. XVIII. *De Abdalla, Benallabeci, et Abderramen.* 259.
CAP. XIX. *De Issem.* 261.
CAP. XX. *De actibus Issem.* Ibid.
CAP. XXI. *De prognostico mortis eius.* 262.
CAP. XXII. *De morte Issem, et regno Albacam.* Ibid.
CAP. XXIII. *De rebellione Toletanorum.* 263.
CAP. XXIV. *De cæde Toletanorum.* Ibid.
CAP. XXV. *De victoriis Albacam, et morte eius.* 264.
CAP. XXVI. *De regno Abderramen, et navibus adventitiis.* 265.
CAP. XXVII. *De morte Abderramen, et regno Mahomath.* 266.
CAP. XXVIII. *De navibus Normanorum.* 267.
CAP. XXIX. *Item de rebellione Toletanorum, morte Mahomath, et regno Almondar.* Ibid.
CAP. XXX. *De regno Abdallæ.* 268.
CAP. XXXI. *De regno Abderramen, et Albacam.* Ibid.
CAP. XXXII. *De Issem, et de eius Albagib Almanzor, et Abdelmelich.* 269.
CAP. XXXIII. *De intestinis discidiis super regimine principatus.* 270.
CAP. XXXIV. *De adventu Comitis Sancii in auxilium Zuleme, et de victoria habita contra Almahadi.* 271.
CAP. XXXV. *Quod Almahadi devicit Zuleman, et obtinuit regnum eius.* 272.
CAP. XXXVI. *De proditione Eunuchorum, et morte Almahadi.* 273.
CAP. XXXVII. *Quod Issem secundo regnavit, et de insolentiis Barbariorum.* 274.
CAP. XXXVIII. *De confœderatione inter Issem, et Comitem Sancium, datis Castris.* 275.
CAP. XXXIX. *De rebellione Toletanorum, et discursu Barbariorum.* Ibid.
CAP. XL. *Quod Zuleman Cordubam acquisivit, et de fuga Issem in Africam.* 276.
CAP. XLI. *De regno Zuleman, et discidiis intestinis.* Ibid.
CAP. XLII. *De regno Haly, et morte Zuleman.* 277.
CAP. XLIII. *De rebellione Hayram, et morte Haly.* 278.
CAP. XLIV. *De regno Alcazim.* Ibid.
CAP. XLV. *De regno Hyabye.* 279.
CAP. XLVI. *De regno Mahomat, et Hyabye, et eorum discidiis, et de Idriz.* 280.
CAP. XLVII. *De schismatibus, et dissidiis citra mare.* 281.
CAP. XLVIII. *De regno Almoravidum in Hispania, et de morte Abenbabeth.* 282.
CAP. XLIX. *De monarchia Yuceph citra mare et ultra mare.* Ibid.

APPENDIX PRIMA.

SERIES REGUM HISPANIÆ.

1. *Athaulphus, et Placidia.* 284.
2. *Sigericus.* Ibid.
3. *Walia.* Ibid.
4. *Theodoredus.* Ibid.
5. *Turismundus.* Ibid.
6. *Theodoricus.* 285.
7. *Euricus.* Ibid.
8. *Alaricus, et Theudicusa.* Ibid.
9. *Gesalicus.* 286.
10. *Amalaricus, et Clotildis.* Ibid.
11. *Theudius, seu Theudis.* Ibid.
12. *Theudiselus, sive Theodiselus.* Ibid.
13. *Agila.* 287.
14. *Athanagildus.* Ibid.
15. *Liuba I.* Ibid.
16. *Leovigildus, et Rinchildis, et Gosvinta.* Ibid.
17. *Reccaredus, et Ringuntis, et Clodosvinda, et Badona.* 288.
18. *Liuba II.* 289.
19. *Witericus.* Ibid.
20. *Gundemarus, et Hildaura.* Ibid.
21. *Sisebutus.* Ibid.
22. *Reccaredus II.* Ibid.
23. *Suintila, et Theodora.* Ibid.
24. *Sisenandus.* 290.
25. *Chintila.* Ibid.
26. *Tulga.* Ibid.

27.

27. *Chindasvintus, et Reciberga.* Ibid.
28. *Reccesvintus.* 291.
29. *Wamba.* Ibid.
30. *Ervigius, et Liubigotona.* 292.
31. *Egica, et Cixilona.* Ibid.
32. *Witiza.* 293.
33. *Rodericus, et Egilona.* Ibid.
34. *Pelagius, et Gaudiosa.* Ibid.
35. *Favila, et Froiliuba.* 294.
36. *Alfonsus, et Ermisenda.* Ibid.
37. *Froila I. et Nunia.* Ibid.
38. *Aurelius.* 295.
39. *Silus, et Adosinda.* Ibid.
40. *Mauregatus, et Creusa.* Ibid.
41. *Beremundus I. et Ozenda.* 296.
42. *Alfonsus II. et Berta, sive Bertinalda.* Ibid.
43. *Ranimirus I. et Paterna, et Urraca.* Ibid.
44. *Ordonius, et Nunia.* 297.
45. *Alfonsus III. et Ximenia.* Ibid.
46. *Garcia, et Nunia.* Ibid.
47. *Ordonius II. et Elvira, et Aragonta, et Sancia.* Ibid.
48. *Froila II. et Nunilona Ximenia, et Urraca.* 298.
49. *Alfonsus IV. et Ximenia.* 299.
50. *Ranimirus II. et Urraca Theresia.* Ibid.
51. *Ordonius III. et Urraca, et Elvira.* 300.
52. *Sancius I. et Theresia.* Ibid.
53. *Ranimirus III. et Urraca.* 301.
54. *Beremundus II. et Velasquita, et Elvira.* Ibid.
55. *Alfonsus V. et Elvira.* 302.
56. *Beremundus III. et Ximenia.* Ibid.
57. *Ferdinandus I. et Sancia,* Ibid.
58. *Sancius I. et Alberta, et Urraca.* 303.
59. *Alfonsus VI. et Agnes, et Constantia, et Berta, et Elisabeth, et Agnes Beatriz, et Urraca, et Sancia.* Ibid.
60. *Urraca, et Alfonsus VII. et Berengaria, et Rica.* 305.
61. *Sancius II. et Blanca.* 306.
62. *Alfonsus VIII. et Eleonor.* Ibid.
63. *Enricus I. et Mafalda.* 307.
64. *Ferdinandus II. et Urraca, et Theresia, et Urraca de Haro.* Ibid.
65. *Alfonsus IX. et S. Theresia, et Berengaria.* 308.
66. *S. Ferdinandus III. et Beatrix, et Ioanna.* 309.
67. *Alfonsus X. et Violantis.* 310.
68. *Sancius IV. et Maria.* Ibid.
69. *Ferdinandus IV. et Constancia.* 311.
70. *Alfonsus XI. et Constancia, et Maria.* Ibid.
71. *Petrus, et Blanca, et Maria, et Ioanna.* 312.
72. *Enricus II. et Ioanna.* 313.
73. *Ioannes I. et Eleonor, et Beatrix.* Ibid.
74. *Enricus III. et Catharina.* 314.
75. *Ioannes II. et Maria, et Elisabetha.* Ibid.
76. *Enricus IV. et Blanca, et Ioanna, et Ioanna.* 315.
77. *Ferdinandus V. et Elisabetha.* 316.
78. *Philippus I. et Ioanna.* 317.
79. *Carolus I. et Elisabetha.* 318.
80. *Philippus II. et Maria, et Elisabetha, et Anna.* Ibid.
81. *Philippus III. et Margarita.* 320.
82. *Philippus IV. et Elisabetha, et Maria.* Ibid.
83. *Carolus II. et Maria, et Maria Anna.* 321.
84. *Philippus V. et Maria, et Elisabetha.* Ibid.
85. *Ludovicus I. et Ludovica.* 322.
86. *Ferdinandus VI. et Maria Barbara.* 323.
87. *Carolus III. et Maria Amalia.* Ibid.
88. *Carolus IV. et Aloysia.* 324.

CONCILIA TOLETANA IN EPITOMEN REDACTA.

Concilium I. 325.
Concilium II. 326.
Concilium III. 327.
Concilium IV. 329.
Concilium V. 333.
Concilium VI. 334.
Concilium VII. Ibid.
Concilium VIII. Ibid.
Concilium IX. 335.
Concilium X. Ibid.
Concilium XI. 336.
Concilium XII. Ibid.
Concilium XIII. 337.
Concilium XIV. Ibid.
Concilium XV. 338.
Concilium XVI. Ibid.
Concilium XVII. Ibid.
Concilium XVIII. 339.
Concilia Toletana extra numerum invasionem Arabum præcedentia. Ibid.
Concilia celebrata à Præsulibus Toletanis in civitate Toletana, et in aliis Provinciis post Maurorum expulsionem. 340.

Digitized by Google

CATALOGUS PRÆSULUM ECCLESIÆ TOLETANÆ HISPANIARUM PRIMATIS.

S. Eugenius I. 345.
2. *Melancius.*
3. *Pelagius.*
4. *Patrunus.*
5. *Turibius.*
6. *Quintus.*
7. *Vincentius.*
8. *Paulatus.* 346.
9. *Natalis.*
10. *Audencius.*
11. *Asturius.*
12. *Isicius.*
13. *Martinus.*
14. *Castinus.*
15. *Campeius.*
16. *Sinticius.*
17. *Praumatus.*
18. *Petrus I.*
19. *Celsus.*
20. *Montanus.*
21. *Iulianus I.*
22. *Bacauda.* 347.
23. *Petrus II.*
24. *Euphemius.*
25. *Exuperius.*
26. *Conancius.*
27. *Adelphius.*
28. *Aurasius.*
29. *S. Helladius.*
30. *Iustus.*
31. *Eugenius II.*
32. *S. Eugenius III.* 348.
33. *S. Ildephonsus.*
34. *Quiricus.*
35. *S. Iulianus II.*
36. *Sisbertus.*
37. *Felix.*
38. *Gundericus.* 350.
39. *Sinderedus.*
40. *Urbanus.*
41. *Sunieredus.*
42. *Concordius.*
43. *Cixilla.*
44. *Elipandus.*
45. *Gumesindus.* 351.
46. *Wistremirus.*
47. *S. Eulogius.*
48. *Bonitus.*
49. *Ioannes I.*
50. *Paschalis.* 352.
51. *Bernardus.* Ibid.
52. *Raymundus I.*
53. *Ioannes II.*
54. *Cerebrunus.* 352.
55. *Petrus III.*
56. *Gundisalvus I.*
57. *Martinus II.*
58. *Rodericus I.* 353.
59. *Ioannes III.*
60. *Guterrius I.*
61. *Sancius I.*
62. *Dominicus Paschasius I.* 354.
63. *Sancius II.*
64. *Ferdinandus I.*
65. *Gundisalvus II.*
66. *Gundisalvus III.*
67. *Guterrius II.* 355.
68. *Ioannes IV.*
69. *Eximinus de Luna.*
70. *Ægidius Albornozius.*
71. *Gundisalvus IV.* 356.
72. *Blasius, seu Bascus.*
73. *Gomezius Manrique.*
74. *Petrus Tenorius IV.*
75. *Petrus de Luna V.*
76. *Sancius III.* 357.
77. *Ioannes V.*
78. *Ioannes VI.*
79. *Guterrius III.*
80. *Alfonsus II.* 358.
81. *Petrus V.*
82. *Franciscus I.*
83. *Guillielmus I.* 359.
84. *Alphonsus II.*
85. *Ioannes VII.*
86. *Ioannes VIII.*
87. *Bartholomæus I.* 360.
88. *Gaspar I.*
89. *Albertus I.*
90. *Garsias I.* 361.
91. *Bernardus II.*
92. *Ferdinandus II.*
93. *Gaspar II.*
94. *Balthasar I.* 362.
95. *Paschalis II.*
96. *Ludovicus Emmanuel I.*
97. *Franciscus II.*
98. *Didacus I.*
99. *Ludovicus Antonius II.* 363.
100. *Ludovicus Antonius III.*
101. *Franciscus Antonius.*

AP-

APPENDIX SECUNDA.

DESCRIPTIO TEMPLI TOLETANI.

Præfatio Alfonſi Cedilii ad lectorem. 367.
Præfatio Blaſii Ortizii ad Philippum Hiſpaniarum Principem. 371.
CAP.I. *De origine ac fundatione Toleti, et eius ubertate ac temperamento.* 375.
CAP.II. *De exordio Chriſtianæ religionis in Eccleſia Toletana per Divum Eugenium eius primum Pontificem.* 378.
CAP.III. *De Æra Cæſaris, et eius ſupputatione digreſſio.* 379.
CAP.IIII. *De creatione Bernardi, primi Archiepiſcopi poſt Toletum cultui Chriſtiano redditam; atque conſecratione et dedicatione, præterea primatu, ac dominio huius ſacri Templi.* 382.
CAP.V. *De huius ſacræ Baſilicæ fundamento in forma qua nunc inſpicitur, ac prima eiuſdem dotis conſtitutione.* 385.
CAP.VI. *De Sacramento Euchariſtiæ, ac eius cuſtodia.* 386.
CAP.VII. *De huius almæ Eccleſiæ miniſtris, eorumdemque ornatu, ſacroque cultu.* 387.
CAP.VIII. *De muſica.* 389.
CAP.IX. *De admiranda Virginis deſcenſione in hanc ſacram ædem, D.Ildephonſo Sacellano ſuo veſtem è cœlo afferentis.* 392.
CAP.X. *De peculiaribus Sanctis huius almæ Eccleſiæ urbis provinciæque Toletanæ patronis.* 397.
CAP.XI. *De D. Eugenio, et exordio fidei orthodoxæ in alma Eccleſia Toletana.* Ibid.
CAP.XII. *De Beata Leocadia.* 398.
CAP.XIII. *De Beato Helladio.* 399.
CAP.XIV. *De Beato Ildephonſo, et eius corporis inventione.* 400.
CAP.XV. *De Beato Iuliano.* 403.
CAP.XVI. *De Beato Petro, Archidiacono Toletano.* 404.
CAP.XVII. *De ornatu ac venuſtate altaris chorique maioris.* 405.
CAP.XVIII. *De choro beneficiatorum.* 407.
CAP.XIX. *Deſcriptio clathri qui eſt ante chorum Euchariſtiæ.* 410.
CAP.XX. *Deſcriptio clathri pro choro beneficiariorum.* 413.
CAP.XXI. *De pavimento et apſidibus Eccleſiæ, eiuſque vitreis feneſtris.* 414.
CAP.XXII. *De imagine equeſtri Stephani Illán in fornice Eccleſiæ depicta.* 415.
CAP.XXIII. *De oſtiis huius ſacri Templi.* Ibid.
CAP.XXIV. *De exteriori Sacrario.* 417.
CAP.XXV. *De interiori Sacrario, reliquiis, ac ornamentis, quæ in eo habentur.* 419.
CAP.XXVI. *De iis, quæ inter Sacrarium, et capellam, quæ dicitur novorum Regum, continentur.* 427.
CAP.XXVII. *De Sacello, quod novorum Regum appellatur.* 429.
CAP.XXVIII. *De Sacello Beati Iacobi.* 433.
CAP.XXIX. *De Sacello S. Alphonſi.* 434.
CAP.XXX. *De Sacello SS.Trinitatis.* 435.
CAP.XXXI. *De capella S. Nicolai.* Ibid.
CAP.XXXII. *De capitulo, ſeu conclavi, ubi Archipræſul et Canonici congregantur.* 436.
CAP.XXXIII. *De nominibus Archiepiſcoporum huius ſacri Templi uſque ad noſtra tempora.* 437.
CAP.XXXIV. *De concionibus, quæ in hoc ſacroſancto Templo habentur.* 439.
CAP.XXXV. *De Sacellis Divorum Ægidii, Ioannis Baptiſtæ, ac Beatæ Annæ matris ſanctiſſimæ Virginis Mariæ.* 441.
CAP.XXXVI. *De Sacello Regum veterum nuncupato.* 442.
CAP.XXXVII. *De capella Sanctæ Luciæ.* 444.
CAP.XXXVIII. *De Sacello Divi Eugenii.* 447.
CAP.XXXIX. *De capella S. Martini.* Ibid.
CAP.XL. *De Sacello Conceptionis Intemeratæ Virginis.* 448.
CAP.XLI. *De Sacello Epiphaniæ.* Ibid.
CAP.XLII. *De capella Mozarabum, et horum ſacrorum origine.* 449.
CAP.XLIII. *De Sacello S. Ioannis Baptiſtæ.* 455.
CAP.XLIV. *De Sacello Crucifixi, alias dominæ Thereſæ de Haro.* Ibid.
CAP.XLV. *De ara* del antigua *vulgo appellata.* 456.
CAP.XLVI. *De Sacello baptiſmatis.* 457.
CAP.XLVII. *De Sacello Sanctæ Mariæ de Pietate.* 458.
CAP.XLVIII. *De parochia Sancti Petri.* 459.
CAP.XLIX. *De capellis chorum beneficiariorum circumſtantibus, ac primo de Sacello Sanctæ Mariæ Magdalenæ.* 462.
CAP.L. *De Sacello Beatæ Eliſabeth de Ungaria.* 463.
CAP.LI. *De Sacello Sanctæ Catharinæ.* Ibid.
CAP.LII. *De ara Divæ Mariæ, quæ Hiſpane* del Strella *dicitur.* Ibid.
CAP.LIII. *De altari depoſitionis Sanctiſſimi Corporis Ieſu à cruce.* 464.
CAP.LIV. *De Sacello D. Michaelis.* Ibid.

CAP.

CAP. LV. *De Sacello Beati Petri Oxomensis.* Ibid.
CAP. LVI. *De ædicula, quæ Dominici Sepulcri dicitur.* Ibid.
CAP. LVII. *De ædicula Virginis Matris descensioni sacra, et oratoriis huius Ecclesiæ pilis adhærentibus.* 465.
CAP. LVIII. *De educatione infantium expositorum.* 466.
CAP. LIX. *De claustri descriptione usque ad domini Petri Tenorii Sacellum.* 467.
CAP. LX. *De Sacello domini Petri Tenorii Toletani Antistitis, et eius præclaris operibus.* 469.
CAP. LXI. *De numero beneficiatorum.* 470.
CAP. LXII. *De ultima claustri descriptione.* 471.
CAP. LXIII. *De exteriori turris descriptione.* 475.
CAP. LXIV. *De interiori turris descriptione, et cymbalorum nominibus.* 476.
CAP. LXV. *De palatiis Archiepiscopalibus, et aula Conciliorum appellata.* 478.
CAP. LXVI. *De Conciliis Toletanis.* 479.
CAP. LXVII. *De officialibus tam capituli quam fabricæ huius almæ Ecclesiæ.* 481.
Index parochiarum, ædium sacrarum, cœnobiorum, xenodochiorum, et confraternitatum pientissimæ urbis Toletanæ. 486.
Index locorum quorum fit mentio in novem de rebus Hispaniæ libris. 495.
Addenda et corrigenda. 507.

Digitized by Google

VITA DOMINI RODERICI, ARCHIPRÆSULIS TOLETANI.

Rodericus in oppido Pontis Reginæ in regno Navarræ natus est post annum 1170, et (ut fertur) circa annum 1180. Parentes, secundum omnes Historiographos Hispanos, illi assignantur Ximenius *Perez de Rada*, et Eva *de Finojosa*, soror S. Martini, qui primus Abbas fuit Hortensis monasterii ordinis Cisterciensis, et postea Episcopus Seguntinus.

Utroque genere, paterno et materno, clarissimus fuit noster Rodericus. Nam Ximenius, illius parens, fuit filius Petri *de Rada et Tizon*, et Todæ, dominorum villarum *de Cadreita* in regno Navarræ, et *de Cornago* in Castella: atque Eva, mater eius, filia fuit Michaelis *Muñoz de Finojosa*, et Sanciæ *Gomez*, qui domini erant oppidorum *de Cantabor*, *Bliecos*, *Boñices*, aliarumque hereditatum in Oxomensi Diœcesi.

Primis annis pueritiæ transactis, Rodericus Bononiam, ut Philosophiam et Theologiam addisceret, à parentibus missus, deinde Lutetiam Parisiorum translatus fuit; annoque 1201. Parisiis commoratum fuisse constat: unde, omnigena eruditione refertus, in Hispaniam revertens, cum inter Reges Castellæ, Navarræ, et Legionis, non leves discordiæ exortæ fuissent, ad eas dirimendas arcessitur: quod, adprobantibus Regibus, omniumque plausu peregit.

His permotus meritis Alphonsus VIII, Rex Castellæ, præclarum adeo virum, professioni ecclesiasticæ dicatum, promovere desiderans, mortuo domino Didaco *de Acebes*, Episcopo Oxomensi, ad hanc Sedem Rodericum evehi curavit circa finem anni 1207, vel initio sequentis: quam Cathedram Episcopalem, electus tantummodo, brevi tempore obtinuit; siquidem, eodem Rege procurante, Archiepiscopus Toletanus paulo post renuntiatus est, cuius electionem Innocentius Papa III. anno 1210. confirmavit. Enimvero, quod alicubi reperimus scriptum, dominum scilicet Rodericum Segunciæ Episcopum consecratum fuisse, manifestus est error, ex identitate nominis alterius Episcopi, qui circa hoc tempus prædictæ Ecclesiæ præerat, proveniens.

In Sede Toletana constitutus, statim indicia certa præbuit futurum esse Præsulem vigilantissimum æquè ac beneficum parentem omnium; omnibus enim auxiliis, quot et amplissima dignitas, et sollertissima prudentia sua illi suppeditabat, non nisi ad populi utilitatem, salutemque fuit usus. Quod ei præsertim facilius fuit propter auctoritatem, qua apud Regem Alphonsum pollebat, quem, suis consiliis iuvando, ad meliora semper adhortabatur. Ita factum est ut in præclaris Alphonsi gestis, quæ plurima sane fuere, Rodericus præcipuas partes habuerit, omniaque illum commendent. Illud ve-

Digitized by Google

vero in primis, quod de gymnasiis publicis erigendis curaverit. Nam cum Hesperia nostra Arabum irruptione vastata, desolata, ignorantiæque tenebris densissimis esset involuta, ita ut non tantum populus, sed etiam clerus inscitia maxima laboraret, fidelium grex Rectoribus careret, et idonei Magistri, qui in scientiis adipiscendis iuvenibus facem præferrent, aut nulli, aut pauci admodum invenirentur; Rodericus dolens huiusmodi ignorantiam, malaque universa, quæ illam necessario consequuntur, Alphonso Regi auctor fuit, ut Academiam publicam in civitate Palentina erigeret, optimosque Magistros inibi constitueret. Quod si Rex Alphonsus ea de re, tamquam de Hispania optimè meritus, iure laudatur, quid de Roderico nostro sentiendum sit, ex dictis facile poterit lector coniicere.

Præclarum aliud Alphonsi facinus, ut cetera omittamus (nec enim animus est omnia persequi), insignis fuit victoria è Mauris reportata in montibus Marianis prope locum, quem *Navas de Tolosa* vocant, miraculosa sanè. Nam XVI. calendas Augusti, anno Domini 1212, cum ingenti Saracenorum copia collatis signis, adstantibusque Alphonso Castellæ, Petro Aragoniæ, et Sancio Navarræ Regibus, placato prius ieiuniis ac piis precibus divino Numine, atque exercitu sacra Exomologesi et Eucharistia expiato, adeo feliciter dimicatum est, ut ducenta Arabum millia cæsa memorentur, cum quinque tantum et viginti milites ex nostris desiderati fuerint. Crux etiam quæ ante Rodericum Archiepiscopum à Dominico Paschasio, canonico Toletano, deferebatur, per confertissimos hostium cuneos divinitus illæsa penetravit, et usque in hodiernum diem in Ecclesia parochiali *de Vilches*, non longe à præfato loco, magna veneratione asservatur, et colitur. In hoc igitur prœlio Rodericum præcipuas pastoralis muneris partes egisse, nemo est, qui inficietur, cum in administranda Eucharistia ante initum certamen, tum in adhortandis militibus ad pugnam, ac denique in erigendo animo Regis Alphonsi, à cuius latere non recessit. Percelebres sine dubio fuerunt victoriæ à Rege Pelagio, in montibus Asturum obsesso, à Ranimiro Rivogiæ prope Clavigium, ab aliisque Legionis Regibus obtentæ; sed hanc ad *Navas de Tolosa* partam profecto consecutum est, ut subsequenti tempore Hispalis à S. Ferdinando, regnum Murciæ, Giennii, aliæque insignes civitates à S. Ferdinando, ab Alphonsis X. et XI. expugnarentur; et denique à Catholicis Regibus, Ferdinando et Elisabetha, è Granata et eius regno iugum Mahometicum penitus excuteretur.

Cuius propterea victoriæ ne umquam in Hispania nostra memoria deleretur, festum quotannis celebrandum sub titulo Triumphi S. Crucis institutum est, quo recurrente, vexilla, eo in bello Mauris adempta, omnium conspectui exhibentur; quæ quidem, sicut et alia insignia ab Alphonso XI. in flumine salso prope Tarifam, tum à Philippo II, domino Ioanne *de Austria* duce, in insulis Echinadis, seu *de Lepanto*, ac demum Oranii, alibi-

bique capta, Ecclesia Toletana custodit.

Lætus ergo Rodericus tam præclaro Crucis triumpho, in sedem suam reversus, Deoque gratias agens, officii pastoralis onus cumulatissime adimplevit: Parœciarum curam gessit: optimos ministros instituit. Collegiatam insignem Talabricensem erexit, redditibus assignatis, qui ministris, ad divinum cultum in ea constitutis, necessaria vitæ subsidia præberent: fidei depositum illibatum custodiens, collapsam disciplinam restauravit: omnibus omnia factus, verbo et exemplo exhortans, fidelissimum se exhibuit gregis sui pastorem.

His licet curis intentus, aliis tamen necessitatibus sollerter subvenire satagebat: mira etenim in eo caritas, et in pauperes misericordia eluxit, lubentissime omnia, quæ illi supererant, elargiens; famis præsertim tempore, quo eius animus, et opes in omnes diffundebantur: quod ponderans cl. Mariana, paucis verbis eximiam ipsius caritatem complexus est, asserens, Præsulem Rudericum in sublevandis egenis primas partes egisse. Ob hæc publica beneficia, aliaque Ruderici egregia merita, permulta oppida Rex Alphonsus Præsuli et Ecclesiæ Toletanæ donavit, videns certe proventus Ecclesiasticos tam laudabiliter in pauperes expendi: aliqua etiam privilegia ipsi eiusque successoribus perpetuo concessit. Quibus omnibus Regiis beneficiis Rodericus devinctus, non nisi in gratiam Principis, Maurorum expulsionem, pauperum curam, totiusque regni commune beneficium prudentissime fuit usus. Felix profecto ætas, in qua Alphonsus et Rudericus de tuenda communi salute ita inter sese videbantur contendere, adeòque ambo virtutibus elucebant, ut in dubium possit verti, quis eorum, Rex, an Archiepiscopus, possit, ac debeat melior, et sanctior denominari; quis eorum iustior, æquiorve censendus sit. Licet enim tam clara facinora de Ruderico legantur, tamen egomet acta de sanctitate Alphonsi Regis, auctoritate Apostolica confecta, perspexi, uno tomo collecta, alioque separatim appositas auctoritates et sententias Scriptorum, tam nostratum, quam exterorum, de heroicis virtutibus, de præclaris gestis, famaque sanctitatis notissima apud omnes nationes Alphonsi VIII: qui, cum revera talis esset, cognomento *Bonus*, *Nobilis*, *et Sanctus* est appellatus. *Bonus*, propter bonas actiones, propter bonum regni regimen, propter illius coniugalem castitatem, erectionem monasteriorum, aliaque pia opera. Insignitus fuit etiam cognomine *Nobilis*, ob eius Regii generis paterni et materni excellentiam: quin etiam vulgo dicebatur *Sanctus*, quia toto vitæ suæ curriculo in heroico gradu emicuerunt in eo (salvo Sedis Apostolicæ iudicio) fides, spes, caritas, ceteræque virtutes; prudentia scilicet in regendo, iustitia in distributione præmiorum, et in plectendis sceleribus, fortitudo in adversis, in prosperis moderatio, in victu temperantia, in vestitu modestia, in incessu et loquela gravitas. Ex quo profecto intelligi potest, quanta in Rodericum gloria redundet, qui suis monitis, maturisque consiliis,

Regem, alioqui magnanimum, quasi subiectis facibus inflammavit, ut ad tantam gloriæ virtutisque laudem adipiscendam aspiraret, et à suscepto semel itinere non recedens, in dies magis magisque perficeretur ad extremum usque vitæ tempus, in quo ipsemet Præsul hortator adstitit, ea sanè diligentia, qua illi longo annorum spatio ut consiliarius integerrimus inservierat.

Alphonso vita functo, successit nepos illius S. Ferdinandus, qui, cum non minorem de Roderici dotibus opinionem haberet, illum adamare, et multis honoribus cumulare prosecutus est. Iste etenim sanctissimus Rex fuit (quidquid alii scripserint) qui Præsulibus Toletanis, tempore nostri Roderici, et in gratiam ipsius, dignitatem Cancellariæ maioris Regni Castellæ concessit. Sancium præterea, atque Philippum, carissimos filios, omni scientiarum et virtutum genere erudiendos Roderico tradidit: qui sub tanto præceptore, non solum in religionis studio, sed et in Ethices, Politicesque disciplinis mirabiliter profecerunt. Quo factum est, ut subsequenti tempore Sancius ad Sedem Toletanam, Philippus ad Hispalensem merito sint evecti. Quanta deinde sollicitudine et vigilantia tam carorum pignorum sibi commissorum institutionem Rodericus curaverit, prætèrquamquod rei demonstravit eventus, ex eo quoque dignosci potest, quod, se absente, ad tantum obeundum munus suffecerit S. Petrum Paschasium, qui primo creditur, Episcopus Titularis, et Coadiutor eiusdem Archiepiscopi fuisse: ac postea evectus ad Cathedram Episcopalem Giennii, dum loca Dioeceseos inviseret, et monitis salutaribus suum gregem instrueret, à Mauris captus, in urbe Granatæ vinculis detentus est, inibi, ne otio langueret, suos concaptivos Christianos sacra Mysteria apertissime edocens, ut eius scripta testantur, in quibus non subobscure indigitatur Immaculata Conceptio Virginis Mariæ in primo suæ animationis instanti; immo clarissimis verbis S. Episcopus eam explicat, et tuetur.

Sed iam res ipsa videtur postulare, ut de prudentia regiminis, quæ in Roderico eluxit, nonnulla disseramus. Præclarum huius virtutis specimen exhibuit, nedum in adhibendis toto sui Episcopatus tempore consiliariis Iurisperitis, et Theologis, ad suum onus Pastorale adimplendum, sed præcipue, dum S. Ferdinando suasit, ut Viros in utroque iure doctissimos seligeret, qui illum semper comitarentur; ex quo absdubio forma ad instruendas causas civiles et criminales in Regio Senatu Castellæ initium sumpsit: quamvis enim antea semper Legionis et Castellæ Reges probos viros, et Episcopos consulerent; post expulsionem tamen Maurorum ex utraque Castella Episcopi suo gregi invigilare potissimum, ac unice cœperunt, licet eorum aliqui Regem adhuc comitarentur. Supremum itaque Castellæ Regium Consilium fuit formatum plena cum facultate ad lites dirimendas, causasque in gradu appellationis decidendas in universo regno: ob eamque rem Consiliarii Regii denominari cœperunt Adsesores, Auditoresque Regii, ut postremo mo-

Digitized by Google

modo appellantur in Regiis Cancellariis, et Tribunalibus supremis Provinciarum.

Ut vero de pietate tanti Præsulis aliqua saltem perfunctorie dicamus, sollicitudo illa, quam præ oculis S. Ferdinandus semper habebat in instaurandis, et erigendis Ecclesiis Cathedralibus, Toletana, Hispalensi, Burgensi, Giennensi, Cordubensi, aliisque sui regni, non solum Religionem Regis commendat, sed etiam Roderici, quem Rex comitem sibi adscivit in plerisque, præcipue in Toletana, quam à fundamentis erexit, primumque eius lapidem in conspectu Regis sacravit; Architecto tam magnificæ molis Petro Petri, cuius epitaphium extat ante capellam Sacelli Imaginis, vulgo *del Sagrario*. Tanto Artifice dignum opus, tanto Rege dignæ in eo extruendo impensæ, tantoque Præsule vigilantia, et auxilium.

Magna quidem hæc sunt, et omnem cuiuslibet hominis, vel præstantissimi, curam exposcunt. Magnus vero Rodericus tanta facilitate, ac dexteritate omnia gerebat, ut negotiorum, rerumque agendarum multitudo aditum, reditumque ad scientiarum studium ei non intercluderet.

A Barbaris Hispania per quattuor ferè sæcula oppressa, non solum in laicorum statu, sed etiam in ecclesiastico miserandam inscitiæ speciem exhibebat, quippe de armorum strepitu potius, quam de litterarum studio cogitabatur. Ad eam igitur excutiendam, et iuventutem erudiendam, Rodericus Historias, quas typis recudimus, iubente S. Rege Ferdinando, scripsit: aliam quoque Catholicam historiam ingenti volumine composuit, incipiens à mundi creatione usque ad adventum Spiritus Sancti, et Evangelii prædicationem, quæ Compluti in Bibliotheca collegii maioris S. Ildephonsi inedita asservatur, à cuius nos editione abstinemus, quoniam plures historiæ sacræ perpolitæ, selectissimæ, et accuratissimæ, in lucem iam prodierunt. Ad historiam igitur prophanam conscribendam ei iussu Regio fuerunt patefacti, seu exhibiti selectiores MSS. Latini, et Arabici, necnon vulgari sermone conscripti Codices, qui, si non autographi, saltem fideliter transcripti, ad manus Roderici pervenerunt: qui omnes in Bibliotheca à se erecta in monasterio Hortæ ordinis Cisterciensis, Diœcesis Seguntinæ, cui testamento ea legavit, dotem simul ad ædificium reficiendum constituens, fuerunt custoditi, donec miserando fato ignis absumpsit. Utinam tam pretiosa Codicum suppellex ad nostra usque tempora pervenisset! Haberemus monumenta complura, ex quibus aliqua, quæ nostri sæculi critici in historia doctissimi Præsulis animadversione et castigatione digna existimant, vindicari possent, acciperentque robur ac firmamentum. Mirandum ergo non est, clarissimum Præsulem, excellenti ingenio, maturoque iudicio præditum, eam sibi omnigenæ eruditionis laudem comparasse, quam hodiedum antiquorum annalium investigatores magnopere meritoque mirantur, quamque, auctore Mariana, Gravessonio, Natali Alexandro, aliisque emunctæ naris Scriptoribus, Patres Concilii IV.

d 2 La-

Digitized by Google

Lateranensis magno cum plausu, ingentique veneratione suspexerunt: in quorum cœtu, secundum eorumdem opinionem, concionem habuit variis sententiis, diversis Europæ idiomatibus illustratis, tamquam pulcherrimis floribus, hinc inde respersam. Nos autem præ oculis habentes non deesse graves historicos (præcipue cl. M. Florezium) qui Roderici ad hoc Concilium profectionem, haud levibus argumentis ducti, constanter denegent, nolumus iudicium proferre, remque hanc sub lite relinquimus; purum, putumque esse commentum dumtaxat affirmantes, quod ab aliquibus scriptum reperimus: Rodericum scilicet in Concilio Lateranensi, ut Primatus Toletani causam sustineret, B. Iacobi Apostoli in Hispanias adventum denegasse; traditionemque Aragoniorum, Beatam Dei genitricem, priusquam in cœlum conscenderet, visendi, solandique S. Iacobi causa, Cæsaraugustam advenisse firmiter profitentium, ad aniles fabulas reiecisse. Atque huius nostræ sententiæ tametsi plurima produci possent momenta, uno dumtaxat contenti erimus, quo nisi nostra nos fallit opinio, commentum illud prorsus eliminatur: in historia quippe, seu Breviario Catholico, cuius MSS. Codicem in Ildephonsiana Bibliotheca custodiri superius diximus, perspicue innuit Rodericus B. Iacobum in Hispanias prædicandi Evangelii gratia venisse.

Nec eget Ecclesia Toletana emendicare ad sustinenda privilegia Primatis sublesta testimonia, aut cum Pseudochronicis Flavii Dextri, Marci Maximi, Archipresbyteri Iuliani Perez, aliisque similibus Primatus iura à primis Ecclesiæ sæculis repetere: sat sit, à sæculo VII, et ex Conciliis Toletanis XII. et subsequentibus certo constare, Præsulem Toletanum tamquam Primatem præfuisse usque ad invasionem Arabum non tantum Metropolitis Tarraconensi, Hispalensi, Bracarensi, et Compostellano, seu Iriensi, sed etiam Narbonensi in Gallia Gothica, eiusque suffraganeis. Cum igitur tempus captivitatis non sit computandum, quasi postliminio post expugnatum Toletum ab Alphonso VI. restituta fuit Ecclesia Toletana suæ pristinæ dignitati, eiusque immunitates, summaque privilegia Pontifices, et Reges sæpe confirmarunt; ipsoque Præsule Roderico instante, stabilita fuerunt à Summo Pontifice Honorio III, cuius bullæ asservantur in archivio Ecclesiæ Toletanæ: hodieque nostrorum Regum Catholicorum pietate, ipsis adstantibus, dum proponuntur indulgentiæ ab Archiepiscopo Toletano, celebrante in Regia Capella, concessæ, Assistens Cappellanus Regius eum Hispaniarum Primatem clara et aperta voce pronunciat.

Sed ut ad alia Roderici nostri gesta revertamur, cum S. Ferdinandus ad sibi conciliandos Legionensium animos Legione commorari decrevisset, bellumque adversus Mauros Caseatæ, vulgo *Quesada*, prope Cazorlam gerendum instaret; operæ pretium duxit nostro Præsuli totius belli, curæque exercitus summam committere: quod Rodericus tanta prudentia, dexteritateque administravit, ut brevi tempore non solum Caseatam, et

Ca-

Cazorlam, sed etiam alia plura oppida à Mauris munita expugnaverit. Quo factum est, ut Rex tam insignium victoriarum cumulo lætus, Archiepiscopo gratiam referens, ei suisque successoribus Cazorlæ Præfecturam contulerit.

Tam egregiis honoribus, tantoque splendore illustris, Ecclesiam suam prudentissime rexit inclitus Rodericus, usque dum postremo vitæ suæ tempore Lugdunensi Conventui, iussu S. Pontificis habito, interfuit: quo absoluto, cum in Hispaniam reverteretur, navique vectus Rhodani undas traiiceret, vehementi febre correptus est: qua in dies aucta, obdormivit in Domino 4. idus Iunii, anni 1247; eiusque corpus translatum fuit ad Hortense monasterium in quo sepeliri testamento decreverat, infra cœnotaphium Alphonsi VIII. ob reverentiam, et amorem erga Regium illius Benefactorem (si forte inibi erectum fuerat, ut opinamur; namque corpus Alphonsi Regis sepultum Burgis, ibique iacere compertum est), ubi hodiedum incorruptum servatur; ut anno 1766, R. P. Raphael Cañibano, eiusdem monasterii Abbas, et reliqui illius religiosi cœnobii monachi diligenter conspexerunt, nostramque Toletanam Ecclesiam litteris hac de re datis certiorem fecerunt.

Vid. Præfat. tom. I. p. XXII.

Ad dextram maioris sacelli Hortensis templi asservatur hucusque vetustissimum monumentum, quod fideliter, et apicibus quoque servatis, subiungere consentaneum duximus.

Ricardus, monachus huius Hortensis, Regii, Imperialisque monasterii alumnus eiusdem sæculi auctor cum illustrissimo venerabili, ac vere sancto domino, scilicet domino Roderico Ximenio de Rada, Oxomensi primum Episcopo, postea Toletano Antistite, Hispaniarumque Primate unico totius Hispanæ lumine; in ipsius illustrissimi domini venerationem, gratitudinem, et obsequium, memoriæ protulit sequens Encomiasticon Leoninum carmen.

Deinde conspicitur effigies venerabilis Roderici, quem duo Angeli ad cœlestem patriam videntur comites ducere, ut ibidem hisce duobus versibus declaratur.

Angelicis manibus ad sidera tollitur iste,
Cœli numinibus sociandus. Laus tibi Christe.

Sequuntur immediate eo tempore non impolita carmina, quæ hic quoque eadem fidelitate transcripta subiicimus.

Fontibus Bononiæ potatus Philosophiæ,
Primas Hispaniæ, Patrum Pater, arca Sophiæ.
Flos Prælatorum iacet hic Præsul Rodericus,
Ut rosa flos florum redolens, et valde pudicus.
Pontificum norma, lux cleri, laus populorum,
Iste fuit forma virtutum, mors vitiorum.
Cultor iustitiæ, patriæ pax, dux probitatis,
Schola pudicitiæ, via iuris, vas bonitatis.
Dapsilis in mensis, vita sacer absque querelis,

Pal-

Digitized by Google

Palmis extensis mittebat munera cœlis.
Doctor præclarus linguæ splendore serenus,
Prudens, et gnarus, cœlesti dogmate plenus.
Largus pauperibus, tribuens pia munera dignis,
Prodigus hospitibus, adimens sua dona malignis.
Sic annis multis Toleti sede sedebat,
Gentibus incultis vitalia verba ferebat.
Prædicat, erudit, arguit, allicit, arcet, et urget,
Corripit, obsecrat, instruit, increpat atque mala.
Summum Pontificem Lugduno Præsul adivit,
Patrem felicem, lætus quia vivere quivit.
Cum quo colloquium vir iustus habere cupivit,
Quem tam mente pium, quam castum corpore scivit.
Hispaniam rediens affatu percelebrato,
Ad Rhodanum veniens requievit fine beato.
In Rhodano moritur, et mortuus hic tumulatur,
Hic corpus tegitur, sed spiritus astra rimatur.
Annus millenus, bis centum, sextus, et unus,
Et quadragenus, dedit hoc venerabile funus.
Idus bis bino Iunii migrat Rodericus,
Nutu divino felix Hostensis amicus.
Frater Richardus bona sectans, ad mala tardus,
Hæc prompsit metra, cui detur sors sempiterna.

Legitur demum tritum illud, et ab eodem Richardo, ut coniicimus, exaratum epitaphium.

Continet hæc fossa Roderici corpus, et ossa.
De cuius morte soli bene contigit Hortæ.
Pontificum gemma, totius gloria gentis,
Laus, decus Hispaniæ, verus fons, arca Sophiæ.
Et pius, et mitis, cunctis uberrima vitis
Extitit alumnis, caruit sua vita calumniis.
Mater Navarra, nutrix Castella, Toletum
Sedes, Parisius studium, mors Rhodanus, Horta
Mausoleum, cœlum requies, nomen Rodericus.
Anno Domini MCCXLVII. *obiit Archiepiscopus Toletanus* IV. *idus Iunii.*

En, lector, magni Roderici historiam presso sane, simplicique stilo brevissime conscriptam; neque enim tanti viri, sine cuius consilio, teste eodem Mariana, nihil arduum, nihil magnum tam præclari Reges gesserunt, vel omnia prosequi animus fuit, neque in singulis eius clarissimis gestis amplificandis immorari consentaneum censuimus, satius existimantes præcipua huius viri gesta indigitare, quem vivum Reges, Proceres, omniumque ordinum homines suspexere, post mortem vero historici omnes, saniorisque iudicii Scriptores laudibus cumularunt.

RO-

Digitized by Google

RODERICI
TOLETANI ANTISTITIS
OPERA.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO,

INVICTO, ET SEMPER AUGUSTO DOMINO SUO

FERNANDO,

DEI GRATIA REGI CASTELLÆ, ET TOLETI, Legionis, et Gallæciæ, Cordubæ, atque Murciæ, Rodericus indignus cathedræ Toletanæ sacerdos hoc opusculum, et Regi Regum perpetuo adhærere [a] optat.

(a) In MS. Complutensi deest *optat*.

Fidelis antiquitas et antiqua fidelitas primævorum doctrix et genitrix posterorum credidit actibus minorari, si sibi soli se genitam reputaret. Cum enim per ea quæ facta sunt, Dei invisibilia percepissent, quia morte interveniente non poterant permanere ea, quæ divina revelatione, studio vigilanti, doctrina, usu, memoria, intellectu circa creaturarum opera, ratione prævia invenerunt; investigantes experimenta rerum et ænigmata figurarum, futurorum notitiæ providerunt, et duce spiritu præsentia perceperunt, et futura indagiis prænoverunt. Sed oblivio, quæ semper memoriæ adversatur, pedissequa negligentia subsequente, quod diligentia adinvenerunt, gressu obvio lituravit. Cæterum ne desidia sapientiæ inimica itinera studii occultaret, illi qui pro luce sapientiam habuerunt, et eam rebus omnibus prætulerunt, figurales litteras invenere, quas in syllabas congesserunt, ut his compingerent dictiones, quibus ut ex trama et stamine quasi à texentibus oratio texeretur: et per hoc futuris sæculis præterita ut præsentia nunciarent, et vigilata studia artium liberalium et officia mechanica subtiliter adinventa scriptura posteris conservarent. Cursus siderum, motus planetarum, dispositiones signorum, effectus astrorum, quæ Astronomorum curiosa diligentia ad-

Digitized by Google

sit oblita, iam fere gens et origo incolarum Hispaniæ ignoratur. Quia igitur placuit vestræ excellentiæ Maiestati, [e] *meæ re-* (e) Compl. *Maiestatis.* *quirere ignorantiam parvitatis, ut si* [f] *quæ de antiquitatibus* (f) Compl. *qua.* *Hispaniæ, et de iis etiam quæ ab antiquis vel modernis temporibus acciderunt, meæ memoriæ occurrissent, petitioni vestræ describere laborarem, et ut à quibus gentibus calamitates Hispania sit perpessa, et Hispànorum Regum* [g] *origò, et eorum* (g) Compl. *originem.* *magnalia, qui Patrum glorias imitatione sequuti sunt gloriosa, per scripturæ meæ indaginem ad diligentiæ nostræ notitiam pervenirent. Ego vero tanti Domini, tam excelsi, non possum precibus contraire, et vix possibile cogor ob reverentiam attentare. Tempore enim vastationis Arabum scripta et libri cum pereunte patria perierunt, nisi quod pauca diligentium custodia evasere. Itaque ea quæ ex libris beatorum Isidori et Ildephonsi, et Isidori iunioris, et Idacii Gallæciæ Episcopi, et Sulpicii Aquitanici, et Conciliis Toletanis, et Iordani sacri palatii Cancellarii, et Claudii Ptolemæi orbis terræ descriptoris egregii, et Dionis qui fuit historiæ Gothicæ scriptor verus, et Pompeii Trogi, qui fuit historiarum orientalium sollicitus supputator, et aliis scripturis, quas de membranis et pictatiis laboriose investigatas laboriosius compilavi, à tempore Iaphet Noe filii usque ad tempus vestrum, gloriosissime Rex Fernande, ad historiam Hispaniæ contexendam, quam sollicite postulastis, prout potui, fideliter laboravi. Inter omnes autem principes Gothorum Reges sæcula præcipuos habuere, et testamentali edicto Hispaniæ legavere, quorum insignia usque ad tempora quæ me prætereunt, derivavi, addens aliqua quæ eorum historiæ famulantur, necnon et clades quas Hispania pertulit ante eos. In qua Hispania, peragratis Asiæ et Europæ provinciis, et vastatis, ultimo dominio resederunt, ubi etiam ab Arabibus sub Roderico Rege Dei iudicium pertulerunt. Vobis itaque Castellæ, et Toleti,*

 et

et Legionis, et Gallæciæ, Cordubæ, et Lusitaniæ, Murciæ et Gienni, inclite Domine Rex Fernande, ortum eorum qui primo in Hispaniis habitavere, et bella Herculis quæ exercuit super eos, et quæ Romani mortis iudicia intulere, et quibus [b] *Vandalos, Silingos, Alanos, et Suevos exitiis consumpserunt, prout ex antiquis libris et relatione fideli recolligere potui, ego Rodericus indignus cathedræ Toletanæ sacerdos, stilo rudi, et sapientia tenui, ad præconium* [i] *vestræ gentis, et vestræ gloriam Maiestatis sollicitus compilavi, pro venia supplicans eo quod munus tam exiguum ausus fui lecturorum diligentiæ exhibere, et conspectui tanti Principis præsentare.*

(b) Compl. *Uvandali, Silingi, Alani, et Suevi.*

(i) Compl. *nostræ.*

RO-

RODERICI
ARCHIEPISCOPI TOLETANI
DE REBUS HISPANIÆ.

LIBER PRIMUS

De fundamento huius historiæ.

CAPUT I.

UT veritas Genesis attestatur, quam Moyses scripsit spiritu prophetiæ, humanum genus vagum et profugum, in terra miseriæ aberravit, donec culpa hominum inundante ceteris enecatis periculo cataclysmi, Noe solus cum filiis et uxoribus, Domino protegente, fuere [a] ut seminarium humani generis reservati. Hæc sunt nomina filiorum eius: Sem, Cham, et Japhet; [b] sed horum filii pœnas peccantium iam obliti culpas ablutis criminibus adiecerunt, et volentes Altissimo similari, turrim superbiæ erexerunt. Sed pares in culpa pari ut Lucifer præcipitio corruerunt. Et sicut ibi divisi Angeli divisa officia sunt sortiti, [c] ita cum omnia in divina essentia sint contenta, ab his ubique ei semper assistitur, et per eos in terris salutis ministeria disponuntur. Boni vero his consimiles habent præ oculis divinæ iudicium maiestatis, et filiali timore Altissimi offensam metuentes, Dei dulcedinem, licet in ænigmate, iam prægustant. Alii autem Angeli qui damnando homini inviderunt, et mortifera suggesserunt, Dei iudicium non evadunt, sed semper eos culpa et supplicium comitantur. Noe itaque generatio in Chaldæa, et Damasci Syria, et maiori Armenia, [d] et Assyria in qua Ninive dicitur esse sita, incertis sedibus vagabatur: et ceteræ regiones Asiæ, Africæ, et Europæ vacuæ habitatoribus [e] solitudine quiescebant, donec primordia nostræ originis, superbia confundente unitatem simplicium linguarum, divisio separavit. Et quia loquelæ diversitas convictus, mores, et animos variavit unilingues, aliam et ceterarum linguarum alias sortitæ sunt regiones, et prout unius linguæ professio exigebat, diversos populos effecere, et ab invicem segregati climata, provincias, et patrias diviserunt, et lingua alia alienationem à proximo suggerebat, et non tam discidio quam odio separati loca placida elegerunt, in quibus sedes commodas locavere, et propriis [f] terminis non contenti [g] alios invadere præsumpsere, et ex iniuriis mors et gladius provenere, et nomina sua in terris et cognationibus vocavere, postea linguas idiomatibus distinxerunt. Filii Sem possederunt Asiam, sed non totam.

(a) Toletanum et Complutense MS. legunt. *in seminarium.*

(b) Compl. et alia lectio habent. *sed et horum.*

(c) Compl. et Al. *ita ut cum.*

(d) Compl. et Al. *sive Assyria.*

(e) Compl. *et cultoribus solitudine* Al. habet. *et cultoribus sollicitudine.*

(f) Al. *terminis terræ.*

(g) Compl. *alienos.*

Digitized by Google

tam. Filii Cham Africam habuere. Filii Iaphet ab Amano et Tauro montibus Ciliciæ, [b] quæ sunt in Asia, et totam Europam usque Gades Herculis in finibus Hispaniæ possederunt: et quod filii Cham, et Iaphet aliquid in Asia habuere existimo actum bello. Sed quia de generatione Iaphet cura est prosequi in hoc libro, de aliis fratribus hic omitto.

(b) Compl. et Al. *et Syriæ, quæ.*

De Europa et generationibus Iaphet.

CAP. II.

Europa autem incipiens à Tanai fluvio ex una parte Tyrrheno, ex alia septemtrionali et Gaditano Occeano terminatur. Tanain vero hunc dico qui ex Ripheis montibus oriens [i] ad hæc præceps ruit, ut cum vicina flumina Mæotis et [j] Bosphorus gelu sæpissime solidentur, solus ex confractuosis montibus evaporans numquam algore Scythico induresceit. Hic Asiæ Europæque terminus famosus habetur. Fretum autem Gaditanum in finibus Galliciæ à Gadibus Herculis nomen habet: Occeanum septemtrionalem qui versus Septemtrionem plurimas insulas in se tenet, scilicet [k] Scandiam, Frisiam, Scotiam, Angliam, et Hiberniam, et alias minores: deinde omnes regiones citra Tyrrhenum, cum insulis quæ Tyrrheni litore includuntur, scilicet [l] Maiorica, Minorica, Ebusus, Frumentaria, Corsica, Sardinia, Sicilia, [m] Mytilene, Venetiæ, Creta, donec ad paludem Mæotida pervenitur; Constantinopolitana et civitas in Europa noscitur constituta: hos omnes terminos, et usque ad Gadiram, [n] quæ cum Pelle includit Decapolim, filii Iaphet Gomer, et Magog, et Madai, Iavan, Thubal, Mosoch, [o] Thiras, in linguis et cognationibus (ut dicit Isidorus) possedere. Porro filii Gomer Assenec, à quo Rhegini Calabriæ, Isidorus [p] Ascenez, à quo Sarmatæ, sive Sauromatæ, quos Græci Rheginos vocant, et ab his processerunt Calabri, Siculi, Appuli, et Latini qui Latium habitarunt: et [q] Riphat, à quo Paphlagones, Paphlagonia contigua Galatiæ, et sicut dicit Cornelius Nepos, Paphlagones in Italiam transvecti mox Veneti sunt vocati, à quibus Veneti Ligures, et Æmilii processere: et Thogorma, à quo Phryges, qui terram suam Phrygiam appellarunt. Filii autem Iavan Elisa, à quo Græci, qui [r] Æolidæ dicuntur: Tharsis à quo Cilices, qui Ciliciam habitarunt, quorum metropolis Tharsus: Cetim, à quo [s] Citiæi, Isidorus Cyprii, et secundum [t] hoc Cyprus à filiis Iaphet, non filiis Sem provenit, quorum civitas [u] Citium dicitur: Dodanim, à quo Rhodii, quorum civitas [x] Rhodus dicitur. De Gomer filio Iaphet Galatæ secundum Iosephum, et Isidorum; qui latine Gallogræci dicuntur. Olim enim Senones Galli quamdam partem Græciæ invadentes, à Gallis et Græcis Galatiam quasi Gallogræciam appellarunt. De Magog Scytæ, qui et [y] Massagetæ appellantur, et Gothi secundum Isidorum, Vandali, Suevi, Alani, atque [z] Hunni. De Madai Medi, à quibus Media nomen sum-

(i) Compl. et Al. *adeo præceps.*
(j) Compl. *Bosforus.*
(k) Compl. *Schantiam* Al. *Scanthium, Cyle, Thule.*
(l) Compl. *Maiorica, Eviza, Frumentaria* Al. *Maiorica, Minorica, Ebusa, Frumentaria.*
(m) Tol. et Compl. *Mutelene.*
(n) Compl. *quæ cum Pella includit* Al *quæ cum Pelle concludit.*
(o) Compl. *et Tiras.*
(p) Compl. *Aschanes.*
(q) Compl. et Al. *Raphat.*
(r) Compl. et Al. *Æolides.*
(s) Compl. et Al. *Cithii.*
(t) Al. *hæc.*
(u) Al. *Titbrum.*
(x) Compl. *Rodum.*
(y) Compl. *Massagetes.*
(z) Compl. *Hugni.*

sumpsit. De Iavan Iones, qui et Græci, à quibus [a] Ionium mare, ex quibus Græci qui Troiam et fines eius [b] habitarunt, processerunt: qua destructa duo fratres Priamus et Antenor Venetias navigio pervenerunt, ex quibus Antenore mortuo, et Paduæ tumulato, Priamus cum comitibus Germaniam occupavit, et ab [c] ipso germano Antenore Germania fuit dicta. Quæ nunc á [d] Teutates, qui est Mercurius, Teutonia nominatur, à Latinis autem Lemania dicitur à Lemano fluvio (de quo Lucanus:

Deseruere cavo tentoria fixa Lemano.)

Qui has continet regiones; Lothoringiam seu Brabantiam, Vestfaliam, Frisiam, Thuringiam, Saxoniam, Sueviam, [e] Boiariam, Franconiam, Carinthiam, Austriam: et inde Gallias infringentes, à fractione patriæ, et eorum ferocitate Francia fuit dicta. [f] A navigio simili è Troia Brutus adveniens, eam quæ nunc Anglia dicitur, à suo nomine Britanniam nominavit, à qua et olim Silvaria, nunc citra mare minor Britannia nominatur. De Mosoch filio Iaphet Cappadoces, quorum metropolis Mazana, quam Tiberius Cæsar à suo nomine Cæsaream appellavit. Thiras, à quo Thraces quasi Thiraces (ut dicit Isidorus) et à nomine patris sui terram incolatus sui Thraciam vocaverunt. Hæc ideo dixi, quia cogit historia quam assumpsi, de incolis Europæ aliqua declarare.

De primis incolis, et primo nomine Hispaniæ.

CAP. III.

Quintus autem filius Iaphet fuit Thubal, à quo [g] Iberi, qui et Hispani (ut dicunt Isidorus et Hieronymus) processerunt. Filii autem Thubal diversis provinciis peragratis curiositate vigili occidentis ultima petierunt, qui in Hispaniam venientes, et Pyrenæi iuga primitus habitantes in populos excrevere, et primo Cetubales sunt vocati, quasi cœtus Thubal: et attendentes stellam quæ ibi post solis occubitum occultatur, occasum eius [h] vespertinum stellam Hesperum vocavere. Dicitur autem Europa à quadam filia Regis Agenoris sic vocata, quam Iupiter rapiens tertiæ parti mundi ex eius nomine nomen dedit. Hi post divisionem linguarum, ut regiones adirent, et ut Nemrod tyrannidem evitarent, divisi sunt in linguas et nationes, et linguam quæ nunc latina dicitur, observarunt: alii et filii Iaphet qui in Europæ partibus resederunt, linguas alias habuere, Græci aliam, Blaci et Bulgari aliam, Cumani aliam, Sclavi, Boemi, Poloni aliam, Ungari aliam, Insulæ etiam Hibernia, et Scotia specialibus linguis utuntur. Teutonia vero, Dacia, Noruegia, Suetia, quæ à Suevis et Scythis nomen accepit, Flandria et Anglia unicam habent linguam, licet idiomatibus dignoscantur. [i] Scandia et aliæ septemtrionales Occeani insulæ quæ Europæ annumeran-

(a) Al. *Ionicum.*
(b) Compl. *habitaverant.*
(c) Compl. et Al. *ipso et Germano.*
(d) Compl. *Theutos.*
(e) Compl. et Al. *Baryoriam.*
(f) Compl. et Al. *et navigio.*
(g) Tol. et Compl. *Iberes.*
(h) Compl. et Al. *vesperum.*
(i) Al. *Schanthia.*

Digitized by Google

rantur, aliis linguis utuntur. Walia etiam contigua Angliæ, et Britannia minor circa litus Britannicum linguas proprias sunt sortitæ: similiter [j] Vascones et Navarii. Cetubales itaque in populos dilatati ad plana Hispaniæ descenderunt, et iuxta fluvium qui nunc Iberus dicitur, villas, et pagos, et oppida construxerunt, et inibi remanentes, qui prius Cetubales, ab Ibero fluvio corrupto vocabulo Celtiberes se vocarunt: unde et eadem provincia Celtiberia appellatur, quæ [k] occeano Tyrrheno et Pyrenæis montibus terminatur. Hanc [l] Carpetaniam quæ in se quatuor habet oppida, scilicet Aucam, et Calagurram, Tyrassonam, et Auripam, quæ post Cæsaraugusta ab Augusto Cæsare fuit dicta, vis Romanorum principum occupavit, quæ tamen sicut referunt Plinius et [m] Sisebutus, ad Carthaginensem provinciam pertinebant. Deinde ad alias partes Hesperiæ procedentes in terris suis cognationes et nomina vocavere, et in diversis provinciis diversos principes habuerunt, ex quibus fuit Geryon, et alii qui usque ad Herculem duravere. [n] Phaleg autem tempore cuius linguarum divisio facta fuit, usque ad [o] Geryonem sub quo Hercules fuit natus, [p] MCCLXIII. sunt anni. A morte Herculis usque ad captionem Troiæ, anni XIII. A captione Troiæ usque ad Romulum, qui Romam condidit, anni CCCCXLII. A Romulo usque ad Consules, anni CCXLI. A Tarquinio Superbo ultimo Regum Consules rexerunt [q] populum Romanum per annos CCCCLXIII. Et post hunc regnavit solus Caius Iulius Cæsar annis IIII. mensibus VI. Tempore Consulum Africa et Hispania à Scipione destructis, [r] Tolemon et Brutus duo Consules condiderunt Toletum centum et octo annis antequam Julius Cæsar regnare cœpisset, tempore Ptolemæi Evergetis Regis Ægypti. Nunc ad historiam Herculis revertamur.

(j) Compl. *Vascoles.*

(k) Compl. *Occeano Tyrrheno, et Ibero, et Pyrenæis* Al. *Occeano Ibero, et Pyrenæis*

(l) Tol. *Carpetaniam* Compl. *Carpentaniam.*

(m) Al. *Sinebutus.*

(n) Compl. *Aphalec* Al. *Aphaleg* Al. *Phales.*

(o) Compl. et Al. *Gedeonem.*

(p) Tol. et Compl. MCCLXXIII.

(q) Compl. *Populum per annos CCCCXLIII.* sed in margine notatur alibi legi *CCCCLXIII.*

(r) Al. *Tholomeus.*

De adventu et victoria Herculis in Hispaniam, et pugna illius cum Geryone tricipite.

CAPUT. IIII.

Cum itaque Hercules fere tota Asia occupata, pervenisset ad saxum miræ magnitudinis et excelsæ, ut saxum et populos qui se inibi [s] receperunt, expugnaret, et incolas in deditionem cogeret, terræ motu repulsus in Libyam navigavit, habens secum Atlantem Astrologum magnum pronepotem magni Atlantis fratris Promethei, qui fabulose dicitur homines de luto formasse, et spiritum immisisse. Mercurius, [t] et nepos eius multarum artium peritus tempore Moysi scribitur claruisse. Hunc Atlantem Hercules carum habebat, eo quod eius consilio regebatur. Erat et mons altissimus, qui dicebatur Atlas, sed quia Hercules Atlantem magnis honoribus extollebat, æquivocato nomine dixit poeta:

Hercule supposito sidera fulsit Atlas.

Habebat etiam secum Traxilinum in Musica clarum contra peri-

(s) Compl. et Al. *receperant.*

(t) Al. *etiam.*

riculum Sirenarum. Eo enim tempore Argonautarum dicitur periculum accidisse, et in finibus Hesperiæ navium suarum stationem locavit, et in illa parte turres fortissimas fabricavit, quæ essent posteris in monumentum, quæ adhuc hodie Gades Herculis nuncupantur. Erat autem tunc temporis in Hesperia princeps quidam, qui Geryon vocabatur, et abundabat gregibus et armentis, et habebat tria regna, quæ nunc dicuntur Gallæcia, Lusitania, Bætica: unde et iste Geryon cum esset alias fortis et ferox, triceps scribitur fabulose, de quo Ovidius in 9. Metamorph.

..........................Nec me pastoris Iberi
Forma [u] triceps, nec forma triplex tua, Cerbere, movit?

(u) Compl. triplex.

Et idem in lib. Heroidum:

[x] Prodigium triplex armenti dives Iberi
Geryones; quamvis in tribus unus erat?

(x) Al. prodigiumque.

Expressius autem de morte Virgilius in septimo Æneid.

............Cum iam Laurentia victor,
Geryone extincto, Tirynthius attigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Iberas.

Contra hunc pugnavit Hercules, et repetito bello ferocem virtute domuit, et prostravit privatum vita, patrimonio, et armentis, obtentamque partem illam Hesperiæ populis qui secum à Galatia venerant, captam tradidit habitandam: unde et à Galatis Gallætia quinta provincia Hispaniæ nomen accepit, licet ab [y] antiquis alia causa eius nominis assignetur.

(y) Al. aliquibus.

De victoriis Herculis, et ædificatione civitatum in Hispania.

CAP. V.

Et inde procedens in eam quæ nunc Lusitania dicitur, prope fluvium Anam in campo Hispaniæ propter victoriam habitam ludos instituit recolens Olympiadem, quam [z] Pelops avus eius maternus instituerat in Olympo, et eam provinciam à lusu Liberi patris filii Iovis, et Ana flumine, Lusitaniam nominavit, [a] eoque in Olympiade portentum Iovi Olympiaco fabricabant. Inde procedens ad Bæticam, in planitie quæ Bæti flumine irrigatur, civitatem Hispalim [b] erexit, nomen adaptans, eo quod prima habitacula, palis suppositis, tegimen susceperunt, et in ea Spalos, qui secum de prope Scythiam venerant, accolas collocavit. Provincia autem illa à situ, et flumine nomen sortitur. Hispani enim valles, planitie commodas *Vegas* vocant. His tribus [c] regionibus [d] præditus Geryon dicitur præfuisse. Procedensque per Carthaginensem provinciam occupans devastavit, et Cacum qui in Carpetania et Celtiberia morabatur, bello contritum in fugam coegit. Hic dicitur Vulcani filius, cuius habitatio principalis in monte Carpetaniæ, qui adhuc hodie mons Caci dicitur, celebris habebatur, cui ar-

(z) Compl. et Al. *Pelopius.*
(a) Compl. *quod.*
(b) Compl. *populavit.*
(c) Al. *regnis.*
(d) Compl. *prædictus.*

armentorum, et gregum, et venationum copia famulabatur, et in [e] Sirreo iugo sublimior invenitur, cuius principium prope Lermam, Tyrrheno prope Socorbicam terminatur. Cacus autem bello inferior, fugæ prodigus, Laviniam petiit, et in montem qui nunc Aventinus dicitur, in spelunca saxea, et profundissima, tenebrosaque metu Herculis se recepit, cuius aditum gravis moles, catenis appensa ferreis, protegebat, quam ipse paterno artificio fabricaverat. Hic semivir et semifer dicitur fabulose, eo quod immanitate horribilis, et atrocitate terribilis adiacentium orarum homines [f] inopes cladibus infestabat, et tam hominum quam ferarum strages innumeras exercebat, (quorum capita dira superbia detestandis postibus [g] affigebat,) de [h] truncis vero miserabilibus execrandam [i] ingluvies rabiem satiabat. Verum Hercules in radice montis Caci ex iis qui secum de Tyro et Ausonia venerant, (de qua dicit Lucanus:

(e) Tol. *Sureo.*
(f) Compl. et Al. *inopinis.*
(g) Compl. *affringebat.*
(h) Al. *Struricis.*
(i) Compl. et Al. *ingluviei.*

Cumque superba foret Babylon spolianda trophæis
Ausoniis.)

Civitatem propter victoriam habitam [j] auxit, et ex Tyriis et Ausoniis nomen indidit Tyrassonam: indeque ad munitiones Celtiberiæ properans, coactos in deditionem recepit. Et quia bellis urgebat, civitatem Urgellum ædificavit eisdem. Ausoniis etiam qui secum venerant, Annues oppidum cum territorio subiugavit, eisque contradidit, quod Ausoniam nominavit, cuius civitas Vicus hodie nuncupatur; ibique ex novem navibus sui pedissequis, ceteris ad Gallæciam applicatis, [k] nona ad litus applicuit Celtiberiæ, ubi civitatem ædificavit, [l] ex nona Barcha Barchinonam appellavit, tractisque Græcorum deliciis ad stationem navium in freto Britannico remeavit, et obtenta Hispania, immo verius desolata, quæ à sui principio quamprimo [m] Cetubales habitarunt, satis prospera felicitate gaudebat, infelices populos quos longa quies inermes fecerat et ignavos, Græcorum iugo qui naturaliter subditis sunt infesti, gladius Herculis subiugavit, dimissoque eis Hispano quodam nobili, qui secum ab adolescentia fuerat conversatus, ab eius nomine Hesperiam Hispaniam nominavit: ipse autem ascensis navibus in Italiam est profectus.

(j) Compl. *populavit.*
(k) Al. *nonam.*
(l) Compl. *quam.*
(m) Compl. semper legit *Cetubeles.*

De morte Caci, et vastatione Ilii, et morte Herculis.

CAP. VI.

Cumque ad loca ubi nunc Romæ gloria principatur, Hercules pervenisset, et heros Tirynthius unus ex magnis heroibus cum armentis Geryonis à finibus Hispaniarum edomitis remearet, et [n] montis Aventini vallibus se cum Iberis armentis secus ripam [o] Tiberis fluminis receptaret, et armenta nobilia per amœna pascua sub famosi Tiberis marginibus lascivirent, Vulcanides insuspecta tranquilli soporis gratitudine fruebatur: sed ne quicquam sceleris intentatum suæ nequitiæ remaneret,

(n) Compl. et Al. *et in.*
(o) Al. *Turreni*

ret, quatuor præelectos tauros cum totidem paris formæ coniugibus ex armentis fallaciter absentavit, et ut falleret vestigantem, [p] per caudam traxit retrogrado in speluncam. Aurora vero [q] postera rubescente, claviger cum armentis cœpit iter carpere consuetum, et pecudes in recessu devexas valles mæstis mugitibus impleverunt, ad quarum voces altisonas una boum remugiit in spelunca, et ex insperato furta sacrilegi revelavit. Tunc Hercules furibundus collis Aventini ambitum anhelis cursibus ter lustravit, frustra sublatas pecudes investigans, cum potius recessum quam accessum vestigia testarentur. Demum vero cernens semiferum in speluncæ aditu residentem, aerii culmen montis cursu celeri impetivit, trinodem clavam dextera relibrante. At proles Vulcania tunc timore trepidans insueto, cursu refugit [r] concito in speluncam, aditu accurate mole saxea iam obstructo. Ad quem cum Hercules nullomodo posset aditum reperire, sicut erat prævalidus, cornu rupis duris impulsibus laceravit, et aditu ad speluncam virtute valida præparato, cœpit Hercules Vulcanidem, nunc telorum imbribus, nunc saxorum impugnare grandinibus. Sed semifer impar viribus, ad eum Hercule propinquante, frustra artium paternarum auxilium invocavit, ignes fumificos incessanter ore stygio evomendo, quibus innatas speluncæ tenebras condensabat. At orbis domitor expers metus, contempto discrimine tetri rogi, caliginosis ignibus saltu præcipiti se iniecit, et semiferum trepidantem arreptum gutture suffocavit, et vastatis partibus Italiæ ac subiectis, in Græciam transfretavit, resumptoque exercitu vastavit Ilium, et Antæum palæstræ inventorem, cum non posset in terra, elevatum in aere interfecit. Postea Olympiades diu neglectas ob memoriam [s] Pelopis restauravit: et tandem dolore [t] colei vexatus pyræ ardenti coactus impie se ingessit, et qui multos extinxerat, se extinxit: licet fabulose dicatur à Deianira data camisia concrematus, quæ tamen dedit ignorans. Nam quidam maleficus Deianiræ suasit, quod Hercules aliam præferebat, sed si hanc camisiam indueret, captus amore maneret. Maleficus autem venenum incentivum camisiæ miscuit, qua indutus Hercules vivus arderet: unde Ovidius:

Incendit demum Deianira virum.

[u] Interiit anno vitæ suæ LII. Per idem tempus Alexander Helenam rapuit, bellumque Troianum decennale surrexit.

(p) Compl. et Al. *pede per caudam.*

(q) Al. *postea.*

(r) Al. *condito* Compl. habet *conscito.*

(s) *Pelopii* ita legunt Compl. et Al.

(t) Compl. et Al. *coli vexatus.*

(u) Compl. non habet *interiit.*

De operibus Regis [x] Hispanis.

CAP. VII.

Hispan autem vir industrius, strenuus, et de Heroum maioribus, quem Hercules præfecerat genti miseræ [y] Hispanorum, dissipatam Hispaniam reparavit, et opera fortissima prudenter extruxit, quarum aliqua adhuc extant, turres in Pharo Gallæciæ, et in [z] Gadibus, quas et [a] moderna tempora admirantur. Civitatem iuxta iugum Dorii ædificavit in loco subiecto promontorio quod Cobia dicitur,

(x) Compl. *Hispanis.*

(y) Compl. *Hesperorum.*

(z) Compl. *gradibus.*

(a) Al. *hodierna.*

et quia secus Cobiam sita, Secobia nuncupatur, ubi aquæductum construxit qui miro opere civitati aquarum iniectionibus famulatur: et in multis aliis locis inveniuntur opera ab operibus nostri temporis aliena, quæ tantò amplius admiramur, quanto ab antiquiori tempore adhuc extant. Græcorum ergo servitute Hispania remansit oppressa usque ad tempora Romanorum: medio tempore regno diviso plurium præda diripientium vastationem non potuit fugere, [b] quia leonum faucibus cogebatur inferri.

(b) Al. *qua.*

De origine et primis actibus Gothorum.

CAP. VIII.

Igitur quia magnorum petitio me coegit Gothorum originem et acta describere, prout ex diversis historiographorum scripturis recolligere potui, usque ad mea tempora contexui et descripsi. Verum cum [c] diversæ sint opiniones de Gothorum origine, Claudius Ptolemæus orbis terræ descriptor egregius refert, in Occeani solo esse magnam insulam nomine Scandiam, quam Pomponius Mela dicit esse positam in Codano Occeani maris sinu, lateribus pandis per longum ducta sese concludens. Et habet ab Oriente [d] Vistulam fluvium, qui à Sarmaticis montibus ortus, in conspectu Scandiæ trisulcus illabitur Occeano septentrionali, et dividit Scythiam, et Germaniam, et habet ab Oriente vastissimum lacum de quo egreditur fluvius dictus Vagi, quasi eius utero generatus, et transiens per partes australes undosus volvitur in Occeanum. Ab Occidente immenso pelago circundatur. A Septemtrione innavigabili Occeano est conclusa. Et licet in Scandia insula multæ et diversæ maneant nationes, septem tantum nomina eorum meminit Claudius [e] Ptolemæus, scilicet Gothi, Vesegothi, Ostrogothi, Dani, Rugi, Arothi. Thanii, quibus postea [f] Rodulphus Rex fuit, qui audita virtute Regis Theodorici, contempto proprio regno eius militiæ sese dedit. In cuius Scandiæ quadam parte tanta est frigiditas, quod apes [g] nusquam reperiuntur, et circa solstitium æstivale XL. diebus et noctibus continue lux habetur, et in solstitio hiemali eodem dierum et noctium numero nox continua tenebrescit. Sunt et ibi aliæ gentes, [h] qui velut Turingi eximiis utuntur equis, et pelles sapphirinas cum aliis gentibus commercantur, et decora nigredine pellium, cum vivant inopes, ditissime vestiuntur: Ostrogothi item et Dani, qui ex ipsorum stirpe progressi Herulos propriis sedibus expulere. Hæ itaque gentes corpore et animo grandiores pugnabant sævitia belluina. Ex hac ergo [i] Scandia insula quasi gentium officina, et nationum vagina, Gothi cum Rege suo nomine [j] Veric quondam memorantur egressi, et quam cito terram exeuntes à navibus attigerunt, dedere illico nomen loco Gothiscandiam nominantes, et locus ille [k] hodie Gothiscandia appellatur. Et inde venientes ad sedes Ulmerrugorum qui tunc in ripis Occeani habitabant, commisso prœlio, eos à propriis sedibus [l] pepu-

(c) Compl. *divisæ.*

(d) Tol. legit *Insulam.*

(e) Compl. *Ptolomeus.*

(f) Compl. *Redoulphus.*

(g) Al. *numquam.*

(h) Al. *quæ.*

(i) Al. *Scanthia* Compl. ubique legit *Schantia.*

(j) Al. *Verius.*

(k) Compl. *adhuc hodie.*

(l) Tol. et Compl. *expulerunt.*

Digitized by Google

pulcre, eorumque vicinos Vandalos subiugantes suis victoriis applicarunt, et diversos Reges ex suo genere habuerunt.

De opinionibus originis gentis Gothorum, et commendatione eorum.

CAP. IX.

Post mortem Veric regnavit in eis Gadaric, qui fuit magnificus triumphator, et multos in Scythia, et Gepidia, quæ nunc Dacia dicitur, populos subiugavit. Post hunc filius eius Philemer: et videns Philemer Rugorum terram ubertatis penuria laborare, dedit consilium, ut ab illis sedibus transmigrarent. Et cum diu sedes altissimas et congrua loca perquirerent, ad ulteriores Scythiæ terras venit, ubi regionis ubertatem et votiva gaudia admiratus, decrevit, ut in propriis residere. Et cum terram requireret ut explorans, et pontem in vasto flumine reperisset, et regionem ultra placidam perspexisset, decrevit regionis intima peragrare: et parte exercitus iam transmissa, pontis structura corruit transeuntium pedibus[m] conquassata, nec transmissis licuit remeare, nec aliis transvadere. Is enim locus (ut fertur) paludibus tremulus concluditur voragine circumiecta, qui utraque confusione impervius invenitur: verumtamen adhuc hodie et voces armentorum audiri, et indicia hominum deprehendi quamvis à longe commeantium, relatio[n] protestetur. Pars vero Gothorum, quæ apud Philemer citra remanserat, optatum potita solum ad gentem Spalorum advenit, ubi conserto prœlio victoriam sunt adepti: exinde ut victores ad extremam partem Scythiæ quæ adiacet Ponto mari, cum triumpho venerunt, et Scythiam suis victoriis subiecere. Et quia ibi diutius resederunt, et[o] regimen tenuere, Scythiæ ut indigenæ sunt vocati. Et licet Gothi ad gentes alias sæpius divertissent, rectores suos in Scythia dimittebant, penes quos gentis tuitio consistebat. Hæc quæ diximus de gentis Gothorum principio, Abavius descriptor gentis Gothorum egregius verissima historia attestatur, in quam sententiam multi de maioribus consenserunt. Iosephus quoque annalium relator verissimus, qui veritatis regulam et causarum origenes retraxit fideliter, et Isidorus Gothicæ gentis indigena, et Chronicorum dissertor optimus, hæc quæ diximus de Gothorum principio cur omiserint, ignoramus. Sed tantum ab hoc loco eorum prosapiam memorantes, Iosephus Scythas, Isidorus Getas asserunt appellatos. Sed cum de eorum antiqua origine opiniones variæ habeantur, plus occultat varietas, quam declarat. Iosephus dicit de Magog filio Iaphet Scythas[p] et Massagetas processisse. Unde quidam nituntur ea quæ Ezechiel Propheta contra Gog et Magog spiritualiter prophetavit, Gothorum actibus adaptare. Isidorus Doctor, nullius scientiæ expers, eos Getarum, sive Scytharum docet ex genere processisse, et *e* littera mutata in *o* Getæ dicuntur Gothi. De quibus Poeta:

Mortem contemnunt laudato vulnere Getæ.

Sed

(m) Compl. *concassata.*

(n) Compl. *protestatur.*

(o) Al. *Regnum tenuere Scythicum, indigenæ.*

(p) Compl. *qui et Massagetæ.*

Digitized by Google

Sed Iosephus et Isidorus, quia ortum eorum à Scandia omisere, Scythas et Getas ab incolatu patriæ, non ab origine appellarunt. Hi septemtrionalia iuga tentantes, Scythica regna montibus ardua possederunt: et pars illa adhuc hodie Gothia appellatur. Interpretatio autem nominis eorum est lingua nostra fortitudo, et re vera; nullius enim gentis strenuitas ita regnis et imperiis se obiecit. In primo enim egressu à Scandia gentem stolidam Ulmerrugorum et Vandalorum à suis sedibus eiecerunt, iuga Scythica subiecere, (q) Vexorem Regem Ægypti prœlio fugavere, Asiam subiugarunt, et eorum aliqui inibi remansere, ex quibus Parthi, ut dicitur, processere. Horum feminæ relictæ à viris armis in prœliis claruere, et partem Asiæ subiecere, Armeniam, Syriam, Ciliciam, Galatiam, Pisidiam, Ioniam, et Æoliam, domuere. Telephus Rex Gothorum vicit Danaos, interemit Thersandrum, insecutus fuit Ulyssem, Cyrus famosus à (r) Tomyri fuit occissus. Darius filius (s) Hystaspis, et filius eius Xerxes ab Anciro Rege Gothorum inferiores in prœlio sunt inventi. Hos Alexander vitandos docuit, Pyrrhus pertimuit, Cæsar exhorruit. Cum Pompeius pro arripiendo Reipublicæ principatu contra Iulium Cæsarem arma movit, et isti ceteris fortius dimicarunt. Thraciam irruere, Italiam vastavere, Romam ceperunt, Veronam ædificarunt nomen imponentes, quasi væ Roma in odium Romanorum, et Gallias sunt aggressi, Hispanias sunt adepti, ibique apud Toletum sedem vitæ et (t) imperium locavere. Hi postquam Scandiam reliquerunt, in tabernaculis et tentoriis habitarunt, terras uberes seminabant, nusquam munitiones, vel domicilia fabricabant: et licet terras, et civitates, et oppida subiugarunt, semper bellis et vastationibus insistebant, contenti dominio populorum, prædis divites et tributis. A sui principio ferocitati dediti belluinæ, vix humanæ rationis debitum attendebant. At postquam mores aliarum gentium videre et urbes, humaniores effecti, benignitatem et mansuetudinem induere, adeo quod et philosophos habuerunt, ad quorum sapientiam humili studio pervenerunt. Diu propriis ducibus se rexerunt, et postea regale fastigium ascivere, quod et sacerdotio ornavere. Hos omnes Europæ populi tremuerunt. Alpium obices his cesserunt. Post exterminium Scythiæ gens Vandalica à Pannonia non tam eorum præsentia fuit trita, quam opinione fugata. Eorum impetu Alani sunt extincti. Suevi inter (u) confractuosos Hispaniarum angulos eorum armis periculum finis sunt experti, et regno quod desidiose tenuerant, turpiori dispendio caruere. Libertatem semper bello quam pace potius servavere. In bellandi necessitate vires precibus prætulerε, et in armis spectabiles, hastis et iaculis, arcubus et sagittis, ensibus atque clavis, equestri et pedestri prœlio confligebant: cura tamen equorum carior illis fuit: talis et iaculis pro recreatione præludere affectabant. Ludorum certamina usu gerebant in armorum experientia.

So-

(q) Tol. *Velorum* Compl. *Vesorum.*

(r) Compl. *Thamari.*

(s) Compl. *Idaspis.*

(t) Compl. *imperii.*

(u) Compl. *anfractuosos.*

Solo navalis belli exercitio caruerunt usque ad tempora Sisebuti, sub quo ad tantam gloriam pervenerunt, ut victoriarum [x] insignibus non solum terras, sed et ipsa maria subsulcarint. [y] Fuere autem magnanimi, et audaces, et naturaliter ingenio faciles, et subtiles, in proposito providi, et constantes, gestu et habitu approbandi, viribus [z] pollentes, statura ardui et proceri, [a] diri vulneris, manu prompti, corpore validi, membris apti, dispositione compositi, et coloris albi.

(x) Compl. *insigniis.*

(y) Al. *Quærunt autem naturaliter magnanimi, et audaces, ingenio faciles.*

(z) Compl. et Al. *præpollentes.*

(a) Al. *duri vulneribus.*

De situ Scythiæ, et de Gothorum exercitus regimine.

CAP. X.

Scythia siquidem Germanæ terræ confinis, ab Occidente, ubi [b] Ister amnis oritur, dilatatur, habens ab oriente Seres, in sui principio Caspii maris litus, ab Occidente Germanos et flumen Vistula, à Meridie Ponto et extremo alveo Danubii terminatur. In principio [c] Scythiæ sunt montes Riphæi, qui Asiam dividunt et Europam, ex quibus oritur Tanaïs fluvius, qui in palude Mæotica finem facit. In Scythia autem prima gens ab Oriente sunt Gepidæ, ad Aquilonem Mysia, ab Africo magnus Danubius, ab Occidente Venetiarum natio populosa, quorum nomina, licet nunc per varias familias et loca mutentur, principaliter tamen Sclavi nominantur. Gothi ergo descensis Alpibus quibus inhabitabant, destructa Græcia, Macedonia, Ponto, et Asia, et Illyrico, Macedoniam et Illyricum annis fere quindecim tenuerunt, et post iuxta Mæotidem, quæ fuit eis prima sedes Scythiæ, commorantes, Philimer Regem habuisse noscuntur. In secunda, id est Daciæ et Mysiæ, [d] Zeutam eruditum philosophum habuerunt; post hunc Dicenium, post hunc [e] Zamolxem, quem miræ philosophiæ et eruditionis historiographi protestantur. Nec defuerunt eis qui eos in sapientia erudirent, unde et Gothi sapientiores pene omnibus barbaris extitere, Græcis pene consimiles, ut refert [f] Dion, qui eorum historias composuit græco stilo, et generosos dicit inter eos Pileatos vocari, ex quibus Reges et Sacerdotes ordinabantur, et adeo laudatos in bello probavit, ut Mars quem Poetæ Deum belli pronuntiant, ex eis dicatur ortus fuisse. Unde [g] Vergilius:

(b) Al. *instar.*

(c) Al. *et medio Scythiæ.*

(d) Tol. et Compl. *solo.*

(e) Compl. *Zalmoxem.*

(f) Compl. *Dio.*

[h] Gradivumque patrem Geticis qui præsidet [i] arvis.

(g) Compl. *Virgilius.*

(h) Compl. *et Martem patrem.*

(i) Compl. *armis.*

Unde Gothi Martem semper cultura asperrima placavere, opinantes bellorum præsulem captorum sanguine complacandum. Tertia vero sede super Ponticum consederunt, iam humaniores et prudentiores effecti, et divisi per familias castra figebant. Arcus ex nervis magno studio compingebant. Unde Lucanus:

[j] Armeniosque arcus Geticis intendite nervis.

(j) *Armenosque* ita habet Compl.

Habuere et carmina, et modulationes, et instrumenta musica, et psallentes.

De

De [k] Tanai et ortu Parthorum.

CAP. XI.

Scythis quos [l] Amazonum viros prisca tradit auctoritas, [m] Vexores Rex Ægypti bellum intulit, in quo à Gothorum exercitu victus fuit, quibus præerat Rex [n] Tanais; et nisi Nilus et munitiones quas propter incursus Æthiopum Vexores fecerat, obstitissent, eum cum patria extinxisset. Cumque eum ibi positum lædere non valeret, revertens, [o] fere totam Asiam subiugavit, et Formi Regi Medorum tunc sibi caro ad persolvendum tributum subditam esse fecit, ex cuius exercitu non nulli victores provincias subditas cõntuentes in omni fertilitate pollere, deserto suorum agmine in Asiæ partibus resederunt. Ex quorum genere dicit Pompeius Trogus Parthorum prosapiam descendisse. Unde et lingua Scythica Parthi, id est fugaces [p] sive exules dicuntur, suoque generi respondentes, inter omnes pene Asiæ nationes soli sunt sagittarii et acerrimi bellatores. De nomine vero Parthorum aliqui ethymologiam traxerunt, ut dicerentur Parthi, quasi parentum fugaces, quia à parentibus recesserunt.

(k) Compl. et Al. *Athanauso.*

(l) Compl. *Amazonarum.*

(m) Compl. et Al. *Vesosus* hic et infra.

(n) Compl. et Al. *Tanausus.*

(o) Compl. *pene.*

(p) Compl. non habet *sive exules.*

De feminis Gothorum, quæ postea dictæ sunt Amazones.

CAP. XII.

Hunc ergo [q] Tanaim post mortem sui inter numina posuere, post cuius decessum exercitus eius collocatis ibi feminis ad gentes alias diverterunt, quibus diutius immorantibus, mulieres coactæ ad incursus hostium arma sumpsere, ex quibus aliquæ rediere ad viros, aliæ remansere. Illæ autem quæ remansere, in prædam à vicinis gentibus tentabantur, sed doctæ armis fortiter restitere, hostesque super se venientes cum magna verecundia abegerunt. Eodem tempore fuere apud eos qui in Scythia remansere, duo iuvenes elegantes ex regali progenie procreati, alter Plinius, alter [r] Scolpythus vocabatur, qui egressi de terra sua cum multitudine iuvenum, habitaverunt iuxta fluvium qui dicitur [s] Thermodon. Incolæ autem eius terræ eos et suos bellis et factionibus occiderunt. Mulieres vero eorum de virorum interitu condolentes, paucos qui evaserant occidere, ut omnes viduæ pari fletu virorum sanguinem vindicarent; nec exinde maritalia gaudia admiserunt, sed tantum pugnis et prœliis institerunt. Cum quibus autem pacem habebant, concubitui se tradebant, et partus tempore masculos enecabant, et feminas reservabant, et dextras mammillas abscindere decrevere, ut armis et sagittandi officio expeditius uterentur. Virgines autem earum, spretis officiis mulierum, armis et venationibus insistebant, quæ audientes alias feminas sui generis à Gothis relictas prœliis exerceri, in earum coloniam transierunt; quæ omnes simul fretæ, maiori audacia se ad invicem cohortantes, quia sine principatu incertius ferebantur, duas prudentiores et audaciores [t] Lampedo videlicet et Marpesiam elegere, easque principatui præ-

(q) Compl. et Al. *Tanausum.*

(r) Compl. *Scolopeius.*

(s) Tol. *Termedontus* ita etiam Compl. sed Al. *Termeloontus.*

(t) Compl. *Lampeto* hic et infra.

Digitized by Google

præfecere. Quæ dum curam rerum gererent, et propria defendentes aliena vastarent, sorte Lampedo cepit fines patrios contuendos: Marpesia vero, feminarum agmine sumpto, novum genus exercitus attentavit, et in Asiam proficiscens diversas gentes bello contrivit, alias pace concilians ad Caucasum remeavit, ibique certum tempus demorans locum saxum Marpesiæ appellavit. Unde et Vergilius:

Ac si dura silex, [u] *aut stet Marpesia cautes.*

(u) Compl. *superat.*

Hic ergo multum temporis Amazones confortatæ, inde egressæ [x] Tale fluvium transiere, Armeniam, Syriam, Ciliciam, Galatiam, Pisidiam, omniaque [y] loca felici [z] exercitu domuere, et reversæ Ioniam Æoliamque deditas sibi provincias effecere. Ubi diutius dominantes, civitates castraque suo nomine dicavere. Ephesi quoque templum Dianæ miræ pulchritudinis ob sagittandi ac venandi studium, quibus se artibus dedicarunt, effusis opibus condidere. Tali ergo casu ex Scythia genitæ feminæ potitæ [a] victoria, per centum fere annos regna Asiæ tenuere, et sic demum ad proprias socias in cautes Marpesias quas superius diximus, ad montem Caucasum repedarunt. Quæ videntes proles suas rarescere, à vicinis gentibus concubitum petiere, ita ut facta nundina [b] in anno semel masculis misceantur, et eadem die futuro tempore revertentes concubitui se concedunt, patribus masculos, sibi feminas reservantes, et armorum usui deputantes. Dum vero hæ feminæ partes Asiæ devastarent, Persarum exercitus supervenit, qui cum feminis bellum aggressi, XL. millia feminarum cum Marpesia occidere. Post Marpesiam Sinope filia eius materno principatui subrogatur: post hanc regnavit [c] Orithyia, quæ adversus Menelaum et Herculem movit bellum, et plus dolo quam pugna Orithyia victa, ab Hercule fuit capta, et de exercitu feminarum fere centum millia in ore gladii cecidere. Hercules autem restituit Orithyiam sorori suæ [d] Antiopæ, quæ cum Orithyia corregnabat. Postea Orithyia misit ad Scythiam, ut Scythæ auxilium sibi destinarent, quo contra magnum Herculem prœlium repararet. Arpedo autem regnabat illo tempore apud Scythas, qui recolens Amazones ex Scytharum, seu Gothorum genere processisse, dolens tam insignes feminas deperisse, misit filium suum in auxilium Amazonum cum magna multitudine bellatorum, à quorum facie [e] veritus Hercules in Græciam se recepit. Post Orithyiam suscepit regnum Penthesilea, quæ audiens Græcos in Troiæ exterminium advenisse, succursui se contulit Troianorum cum LXX. millibus armatarum, et ibi strenue multa gessit. Tandem ibidem cum multis ex suis ab Achille dicitur interfecta. Post Penthesileam [f] Thalestris suscepit regnum Amazonum. Hæc, [g] acta pace cum Alexandro, qui et Paris, Græcos desiit infestare. Erant autem Amazones varia veste compositæ, capillis à fronte tonsis, à cervice demissis, mammillis dextris

(x) Tol. *Tales.*
(y) Compl. et Al. *Asiæ loca.*
(z) Compl. *exitu.*
(a) Compl. et Al. *victoriam.*
(b) Compl. adverbium *semel* legit priusquam *in anno.*
(c) Compl. *Oridria* hic et infra.
(d) Compl. *Antiabi.*
(e) Al. *victus.*
(f) Tol. et Compl. *Talisaeridis.*
(g) Compl. et Al. *facta.*

tris abscissis, sinistras strictura tunicæ coarctabant. Et erant eo tempore plusquam ducenta millia armatarum. Et hæ Gothorum feminæ usque ad Iulium Cæsarem regnum egregie tenuerunt: exinde usque ad hæc tempora regnum tenent in terra quæ vulgariter dicitur Feminea.

De actibus Gothorum, et Amazonum, et de Telepho, et de Eurypylo Gothorum Regibus, et Regina Tomyri.

CAP. XIII.

Sed quia de viris Gothorum sermo assumptus fuerat, [h] et quanta fuerit gentis illius gloria, de feminis fecimus mentionem quarum fortitudine hoc probatur. Orosius dicit Gothos Regem nomine Telephum post multa tempora habuisse. De quo Iuvenalis,

(h) Compl. *ut.*

> *.......Impune diem consumpserit ingens Telephus.*

Is ergo Telephus Herculis filius, sorori Priami fuit coniugio copulatus, procerus corpore, sed terribilior in vigore, qui paternam fortitudinem propriis viribus æquans, genas et formam similitudine præferebat. Huius regnum Mysiam appellavere maiores. Cum itaque Hercules tempore Gedeonis fuisse dicatur, et ante Telephum filium Herculis plures Reges habuerit gens Gothorum, scilicet Veric, et Gadaric, et [i] Philemer, et Zamolxem, et [j] Tanaim, et diu post, Telephum filium Herculis, et Hercules fuerit tempore Gedeonis, qui Iudicavit populum Israel centesimo octogesimo quinto anno, et ita videtur, quod multis annis ante tempora Gedeonis Gothi à Scandia sunt egressi. Is ergo prædictus Telephus habuit bellum cum Danais, in qua pugna [k] Thersandrum ducem Græciæ interemit, et dum Aiacem infestus invadit, Ulyssemque prosequitur, ictibus equo cadente ipse corruit, Achillisque iaculo femore sauciatus diu mederi nequivit: Græcos tamen, quamvis saucius, ex suis finibus propulsavit. Telepho vero defuncto, [l] Eurypylus successit in regno ex Priami Regis germana progenitus, qui cum ob Cassandræ amorem bello interesset Troiano, parentibus soceroque ferre auxilium cupiens, mox veniens est extinctus. Post longa vero tempora Cyrus ille famosus Rex Persarum, cum [m] Tomyris Regina Getarum sive Massagetarum sibi exitiabile bellum inferret, transmisso Araxe fluvio, mortis et regni pœnas subivit, cuius caput abscissum Tomyris in utrem humano sanguine plenum misit dicens: " Satiare sanguine quem sitiisti." Tunc Regina Tomyris adepta victoriam tantamque prædam, in partem Mysiæ, quæ nunc Amazonia dicitur, victrix abscessit, et mutato nomine minorem Scythiam appellavit, et civitatem Tamer à suo nomine ædificavit, et adhuc hodie [n] successtrices earum feminæ agentes militiam, strenuæ habentur in opere militari, et terra earum adhuc hodie dicitur vulgariter Feminea.

(i) Compl. ubique legit *Philimer.*

(j) Compl. et Al. *Tanausum.*

(k) Compl. *Thessandrum.*

(l) Compl. *Eurypbylus* ubique.

(m) Tol. toto capite legit *Atamiris*: Compl. *Athamaris.*

(n) Compl. et Al. *successores.*

De

De victoriis Gothorum contra Persas et Græcos.

CAP. XIIII.

Post hæc Darius filius [o] Hystaspis Rex Persarum, Anchiri Regis Gothorum filiam in matrimonio postulavit, rogans pariter et deterrens, nisi suam perageret voluntatem. Cuius affinitatem Gothi spernentes, legationem et petitionem pariter frustravere; qui quia repulsus, et dolore stimulatus, contra ipsos egit exercitum septingentorum millium armatorum, navibusque pene à Chalcedonia usque ad Byzantium instar pontium tabulatis, duobus mensibus fatigatus octo millia perdidit armatorum. Timens autem ne pontem eius adversarii occuparent, celeri fuga in Thraciam repedavit, nec Mysiæ solum credidit esse tutum. Post cuius decessum Xerxes filius eius paternas iniurias ulcisci desiderans, de suis septingenta millia, de auxiliantibus vero [p] trecenta millia habuit armatorum. Naves rostratas mille ducentas, quæ ad navale bellum rostris ferreis armabantur, onerarias autem [q] ad tria millia legitur habuisse. Et contra Gothos profectus [r] bellum non fuit ausus tentare, sed eorum animositate et constantia superatus absque certamine confusus recessit. Philippus quoque Pater Magni Alexandri cum Gothis amicitias fœderans, [s] Olympiadem Neoptolemi regis Molossorum filiam accepit uxorem, ut tali affinitate roboratus Macedonum regna firmaret. Qua tempestate Philippus inopiam pecuniæ passus, Odissicanam Mœsiæ civitatem, quæ propter viciniam Tomyri Reginæ Gothidi erat subiecta, vaſtare curavit. Sed sacerdotes Gothorum qui [t] Pileati vocantur, patefactis portis, cum citharis et vestibus candidis obviam [u] egressi, patris diis, ut sibi propitii Macedones repellerent, voce supplici modulantes: quos Macedones sibi fiducialiter occurrere contuentes, (si fas est dicere) ab inermibus terrentur armati, et soluta acie quam ad bellandum, non ad urbis excidium [x] construxerunt, inito fœdere ad [y] propria sunt reversi. Quem dolum cum post longum tempus cognovisset Sitalcus egregius doctor et ductor Gothorum, CL. millia pugnantium congregavit, et Atheniensibus bellum intulit, in eis Perdicca tunc regnante, quem Alexander, apud Babyloniam ministri insidiis portans interitum, porrecto annulo in Atheniensium principatu reliquerat successorem: magnoque prœlio [z] in hoc inito Gothi inventi sunt pro victoria superiores, et pro iniuria quam [a] in Mœsia Græci fecerant, Gothi in Græcia discurrentes cunctam Macedoniam vastavere.

(o) Tol. et Compl. *Hydaspis.*
(p) Al. *quatuorcenta.*
(q) Compl. non habet *ad.*
(r) Compl. *ad.*
(s) Compl. *Medumpam Gudilæ Regis filiam.*
(t) Compl. *pii.*
(u) Compl. et Al. *egressi sunt.*
(x) Compl. et Al. *construxerant.*
(y) Al. *patriam.*
(z) Compl. *cum hoc.*
(a) Al. *cum Mysia.*

De sapientibus Gothorum et Consiliariis eorumdem.

CAP. XV.

Deinde regnavit in Gothis [b] Borvista, et venit ad eum in Gothiam Dicineus, quo tempore Sylla in Romanis habuit principatum, et Dicinei consilio Germanorum terras [c] quas Franci detinent, occuparunt, et dedit ei Borvista fere re-

(b) Al. *Borvisti.*
(c) Compl. et Al. *quas nunc Franci.*

regiam potestatem. Gothorum regnum Cæsar qui pene totum mundum suo subiecit imperio, crebro pertentans, non potuit subiugare, neque Caius Tiberius Imperator tertius Romanorum, licet sæpius attentarit. Gothi autem hoc commodum, hoc salubre, hoc votivum, hoc agendum in agendis et in iudiciis iudicabant, quod Dicineus eorum consiliarius approbabat. Ipse autem mores eorum barbaricos immutavit, ipse fere omnem Philosophiam, Physicam, Theoricam, Practicam, Logicam, dispositiones XII. signorum, planetarum cursus, augmentum lunæ et decrementum, solis circuitum, Astrologiam, et Astronomiam, et naturales scientias Gothos docuit, et ex belluina ferocitate homines et philosophos instauravit. Hæc et alia Dicineus Gothis peritia sua tradens, mirabiliter enituit apud illos, et non solum mediocribus, immo et Regibus imperavit. Elegit præterea nobiliores et prudentiores, fecitque Sacerdotes, quos ad Theologiam instituens vocavit speciali nomine Pileatos, et quia [d] tiaris capita palliabant, arbitror sic vocatos. Decedente vero Dicineo, pene pari veneratione Eumosicum habuere, quia nec impar in sollertia habebatur. Etenim Rex et Pontifex ob sui peritiam illis fuit, et in summa iustitia populos iudicabat. Et hoc rebus humanis exempto, [e] succedit in regno post multa tempora Dorpaneus.

(d) Tol. et *tiaris.*

(e) Compl. et Al. *succesit.*

Iterum de bellis Gothorum, et Ostrogotha, et Gniva Regibus eorum.

CAP. XVI.

[f] Anno XII. ante Æram conditam usque ad Æram CXXV. in qua regnavit Domitianus, et fiunt anni CXXXVII, scriptum non reperi, et ideo hic omisi. Demum autem Domitiano imperante Æra CXXV, Gothi eius avaritiam metuentes, fœdus quod cum aliis principibus pepigerant, [g] dissolventes, ripam Danubii diu possessam à Romano imperio, deletis militibus cum eorum ducibus, vastavere. Caput [h] Oppii Sabini, qui inibi Romanis præerat, abscindentes, castella, et civitates, et oppida Romanis subdita devastarunt: qua necessitate Domitianus cum omni virtute sua Illyricum properavit pene Republica iam exhausta, et Fusco eis prælato cum electissimis viris, amnem Danubii consertis navibus instar pontis transire coegit contra exercitum [i] Dorpinei. Tum Gothi insignes reperti arma capessunt, primoque conflictu Romanos devincunt, Fuscoque duce imprimis extincto castra militum divitiis spoliant Romanorum, magnaque potiti gloria per loca proceres suos pro gloria et fortuna Semideos vocaverunt. Hi autem licet communiter dicerentur Gothi, illi [j] autem qui in Scythia commorantes in Orientali plaga manebant, Ostrogothi, qui in Occidentali, Vesegothi specialiter vocabantur. Et gens ista mirum in modum, in ea parte Scythiæ qua manebat, in Ponti litore tan-

Æra 125.

(f) Compl. *De gestis Gothorum à XII anno ante æram.*

(g) Al. *dissolverunt.*

(h) Tol. et Compl. *Opii.*

(i) Compl. te Al. *Darpanai.*

(j) Compl non habet *autem.*

Digitized by Google

tanta terrarum spatia, tot sinus maris, tot [k] concursus fluminum tenens enituit, ut Vandalus et Margomanus [l] Squadrorum Princeps eorum essent [m] subditi. Fastida Rex Gepidarum ab Ostrogotha Rege Gothorum, aut bellum sibi parari, aut terræ spatium legatione præmissa petiit derelinqui. Tunc Ostrogotha, ut erat animi solidi, respondit relatis, bellum tale se abhorrere, durumque fore et omnino scelestum confligere cum propinquis, loco vero non cedere [n] fore dignum. Gepidæ autem in bella irruunt, et inclinata parte Gepidarum, Rex eorum pudendis opprobriis ad patriam fugit bello coactus. Victores Gothi discessione [o] contenta in sua patria toto tempore feliciter remanserunt. Post decessum Ostrogothæ Gniva ad [p] regimen sublimatur, qui exercitum dividens in duas partes, unam partem ad vastandam Mœsiam dirigit, quæ negligentibus Principibus fuerat destituta; ipse vero Philippopolim ire festinat, et diu obsessam invadit, prædaque potitus Priscum ducem qui inerat, fœderavit, quasi cum Imperatore Decio pugnaturus, qui Decius cœ-
Æra 267. pit regnare Æra CCLXVII. Ad conflictum igitur venientes, illico Decii filium sagitta crudeli [q] vulnere sauciavit. Quod pater advertens, ad confortandos animos fertur dixisse, perditione unius militis [r] nihil est Reipublicæ diminutum: affectu tamen paterno compatiens hostem invadit, aut mortem, aut ultionem filii exposcendo, dispositoque prœlio finem consequitur vitæ, Imperii, ultionis.

(k) Compl. *cursus.*

(l) Al. *Scandorum*, vel *Scandiorum.*

(m) Compl. et Al. *subditi servituti.*

(n) Compl. et Al. *ferens.*

(o) Al. *contentus.* Compl. legit *contempta.*

(p) Al. *regnum.*

(q) Compl. *funere.*

(r) Compl. *non.*

De Gallo, et Volusiano, et Claudio Imperatoribus, et pugnis eorum cum Gothis.

CAP. XVII.

Defuncto autem Decio, Gallus et Volusianus filius eius regnum adepti sunt Romanorum, et regnavere annis duobus, Æra CCLXX. Æra 270.
Gallo autem in fata cedente, Gallienus per se arripuit principatum Æra CCLXXI. tempore Æra 271.
cuius Gothorum exercitus cum multis navibus per Hellespontum in Asiam transierunt, ubi multas eius provinciæ civitates, et opulentissimum templum Dianæ quod superius diximus Amazones condidisse, extractis divitiis succendere, et spoliatam Chalcedoniam subvertere, quam postea Cornelius habitus reparavit. Quæ etsi urbis regiæ dignitatem obtineat, antiquæ [s] pugnæ posteris signa præfert. Hac ergo felicitate, victoriis, spoliis, prædaque ditati, transeuntes per Hellespontum in suo itinere Troiam et Illium vastavere, et quæ erant à bello Agamemnonis vix aliquantulum reparatæ, hostili gladio iterum feriuntur. Post tale excidium iterum Asia eorum experta est feritatem. Nam [t] Anchialon civitatem aggressi, quam mari vicinam Sardanapalus Rex Assyriorum dicitur construxisse, ibi multis feruntur mansisse diebus aquarum calidarum recreatione iucundi. Erat [u] autem ad infirmorum efficacissime sanitatem. Exinde ad propria repedarunt. Cumque regiones Romanis subditas devastarent, Claudius Imperator qui cœpit regnare Æra C-

(s) *ruinæ* ita legit Compl.

(t) Al. *Anthioloc.* Compl. habet *Anthiolos.*

(u) Al. *enim.* Compl. *erant enim ad infirmorum.*

Digitized by Google

Æra 286. CCLXXXVI. occurrit, et [x] victores coegit ad primas sedes Scythiæ remeare. Romani autem Claudium Augustum, pro eo quod tam fortissimam gentem à finibus Reipublicæ removisset, insigni gloria honorantes, in foro illi aureum clypeum, in Capitolio auream statuam collocarunt.

(x) Compl. *victos.*

De Constantino Imperatore, et Geberic et Hermanarico Gothorum Regibus, et eorum bellis.

CAP. XVIII.

Demum cum auxilia plurima Diocletiano et Maximiano Romanorum Principibus præbuissent, succedente Constantino Cæsare Magno, qui cœpit regnare Æra
Æra 326. CCCXXVI, aliquamdiu sunt neglecti, eo quod Cæsar Magnus, succedentibus sibi prosperis contra Parthos et Persas, in superbiam tumuisset. Et cum Diocletianus Achillem in Alexandria superasset, et Maximianus Herculeos et [y] Quingentinos in Africa attrivisset, cœperunt Romani Gothorum auxilia dedignari. Tunc Gothi Sarmatarum regionem aggressi, copiosissimis super Romanos agminibus irruere, et vehementi virtute cuncta deprædatione et gladio vastavere. Adversus quos Constantinus aciem instauravit, ingentique certamine Danubium compulit pertransire, de diversis gentibus virtutis gloria clarus, sed de Gothorum victoria amplius gloriosus, quem Romani acclamante senatu laude sunt publica prosecuti, quod tantam gentem vicerit, quod patriam Reipublicæ reformarit. Gothi autem ad iuga propria revertentes, ibidem aliquandiu habitarunt, sed quia licet [z] vitia virtutibus non cedebant, iterum contra Romanos rebellia attentarunt, et sub Ariaco et Aurico qui tunc temporis Gothis præerant, Pannoniam et Italiam devastantes, Liguriam invaserunt, et commoditate regionis illecti studuerunt famosissimam Romanæ urbis æmulam in suo nomine condere civitatem, quæ ab aliquibus creditur fuisse Verona, quæ (ut alibi diximus) quasi væ [a] Roma est appellata. Aliqui dicunt fuisse Sicambriam, quæ fuit iuxta paludem Mæotidem [b] ædificata. Post Ariacum et Auricum Geberic succedit in regnum anno Constantini
XXVII. Æra CCCLIII. Nam Æra 353.
hic cum esset nobilissimus genere, gloriam generis sui avorum magnalibus voluit adæquare, et primicias regni in gente Vandalica cupiens ostentare, contra Huimar Regem eorum bella tentavit, victumque coegit à patria exulare. Huimar autem et Vandali expulsi à sedibus à Constantino Principe, Pannoniam petierunt, ibique fere per sexaginta annos locatis sedibus, Imperatorum decretis velut incolæ paruere, et post longum tempus à Stilicone magistro Romanæ militiæ, Consule et Patricio, invitati Gallias occuparunt. Ubi finitimos deprædantes, impedientibus Gothis non potuere ad primas sedes in Pannoniam remeare. Nam Geberico rebus humanis exempto, Hermanaricus regimen suscepit in Gothis anno Constantini Imperatoris secundo, Æra CCCLVII. Æra 357.
Hic

(y) Compl. et Al. *Quingentianos.*

(z) Compl. et Al *victi à virtutibus non cessabant.*

(a) Compl. *Romæ.*

(b) Compl. et Al. *populata.*

Hic multas et bellicosissimas gentes perdomuit, suisque legibus parere coegit, quem merito non nulli Alexandro maximo compararunt. Siquidem cum gentes domitas haberet subiectas, et apud omnes earum subiectione clarus floreret, non est contentus, nisi gente Herulorum quibus præerat Alaricus, fere trucidata, residuum suæ subiiceret ditioni. Nam gens prædicta quamvis multos sua velocitate subigeret, Gothorum tamen subiacuit stabilitati, ut et ipsa inter gentes reliquas Hermanarico serviret. Post Herulorum cædem Hermanaricus in Venetos arma movit, qui quamvis armis despecti, præ numerositate tamen primo resistere conabantur, et licet ab una stirpe exorti Venetiani et Sclaviani dicantur, hos omnes Hermanaricus subegit, et ut propriis laboribus imperavit.

De[c] Hunnis, et morte Hermanarici.

(c) Compl. et Al. *Hugnis* Tol. ita semper.

CAP. XIX.

Hermanaricus autem Rex Gothorum qui (ut superius retulimus) multarum gentium extiterat triumphator, aliquo vulnere saucius ægram vitam imbecillitate contraxit, et tunc Alamber Rex Hunnorum in Ostrogothos, qui iam à Gothis seiuncti manebant, insiluit, et prostravit. Hermanaricus autem dolore vulneris et Hunnorum potius, vitæ suæ anno[d] VX. est defunctus. Cuius mors Hunnis occasionem præbuit prævalendi, ipsique Gothi qui remanserant, extinctis pene Ostrogothis et Vesegothis, ad Valentem Imperatorem nuncios transmiserunt, ut partes Thraciæ et[e] Mœsiæ eis traderet ad manendum: qui annuit, et petitas terras contulit excolendas, et Danubium transmeantes Daciæ et Thraciæ largitione Principis insederunt.

(d) Compl. et Al. *CX.*

(e) Compl. et Al. *Vicesiæ.*

LIBER SECUNDUS.

De schismate in Athanaricum et[f] Fridigernum, et hæresi Ariana.

(f) Al semper habet *Fridigernum.*

CAP. I.

Primus Gothorum gentis administrationem suscepit Athanaricus
Æra 381. Æra CCCLXXXI, et regnavit annis XIII; qui persecutione crudelissima adversus[g] fidem commota, contra Gothos qui in gente sua christiano nomine censebantur, cædes[h] cœpit, ex quibus plurimos qui nolebant idolis immolare, fecit martyres, reliquos autem multis persecutionibus afflictos dum interficere præ multitudine abhorreret, dedit licentiam in Romanorum provinciam transmigrare. Æra CCCLXXXIX. Gothi Æra 389.
in Istrum adversus semetipsos in Athanarico, et Fridigerno divisi, alternis se cædibus devastarunt: sed

(g) Al. *fideles.*

(h) Compl. et Al. *incepit.*

Digitized by Google

sed Athanaricus Fridigernum Valentis Imperatoris auxilio superavit, et ei cœpit potentia præeminere. Verumtamen Fridigernus quasi Subregulus habebatur. Tandem vero ne gentis Gothicæ gloria scinderetur, Fridigernus cum iis qui in Oriente Ostrogothi dicebantur, et Athanaricus cum Vesegothis in Occidente tabernacula metabantur. Tunc Gudila Episcopus eos legem docuit christianam, et scripturas novi ac veteris Testamenti linguam transtulit in eamdem: et Gothi qui hactenus idololatriæ superstitioni dediti gentilibus sacrificiis se vovebant, iam nunc fide suscepta Ecclesias construxerunt, et Sacerdotes evangelicos habuere, specialesque litteras quas eis cum lege Gudila eorum Episcopus tradiderat, habuerunt, quæ in antiquis [i] Hispanorum et Galliarum libris adhuc hodie superextant, et est littera quæ dicitur Toletana. Huius rei gratia legatos cum muneribus ad Valentem Imperatorem miserunt, et doctores propter suscipiendam christianæ fidei regulam postularunt. Valens autem à veritate catholica devius, et Arianæ hæresis perversitate detentus, ut audivit Gothos fidem catholicam suscepisse, applausit eisdem, et missis hæreticis Sacerdotibus Gothos persuasione nefanda sui erroris dogmati aggregavit, in tam præclaram gentem virus pestiferum transfundendo: sicque errorem quem recens credulitas bibit, tenuit, diuque servavit usque ad tertiam Synodum Toletanam, quæ fuit sub Recharedo Principe celebrata. Gothi autem statim ut Valentis litteras suscepere, et sibi dogmatis sui Ecclesias construxere, et talia iuxta eumdem Arium de ipsa divinitate documenta sumpsere, ut crederent Filium Patris maiestate esse minorem, et æternitate posteriorem, Spiritum autem Sanctum nec [j] Dominum esse, nec ex substantia Patris existere, sed per Filium creatum esse, utriusque ministerio deditum, et amborum obsequio subditum: aliam quoque Patris sicut Personam, sic et naturam asserentes, aliam Filii, aliam denique Spiritus Sancti, ut non iam secundum sanctæ scripturæ traditionem unus Deus, et unus [k] Dominus coleretur, sed iuxta idololatriæ superstitionem tres Deos, et Dominos faterentur: cuius blasphemiæ malum per decessum temporum, Regumque successum annis pluribus tenuere; qui tandem salutis suæ reminiscentes, et inolitam perfidiam detestantes, ad unitatem catholicæ fidei redierunt Æra CCCXC. Æra 390.

(i) Compl. et Al. *Hispaniarum.*

(j) Al. *Deum.*

(k) Compl. non habet *unus.*

De fame Gothorum, et morte Valentis Imperatoris.

CAP. II.

Gothi qui primum Christianos à sedibus suis expulerunt, rursus ab Hunnis et ipsi cum Athanarico et Fridigerno suis Regibus sunt expulsi: transito Danubio, cum vim ferre non possent, Valentis Imperatoris imperio armis depositis se dederunt. Sed ubi viderunt se opprimi à Romanis contra consuetudinem libertatis, rebellia tractaverunt. Verum famis periculo [l] eminente, Fridigernus et Athana-

(l) Compl. et Al. *imminente.*

naricus qui vice Regum illis præerant, [m] exercitus inopiæ condolere, et immundorum animalium morticina eis dare, ita ut mancipium pro uno pane, aut decem libris carnium mercaretur. Mancipiis autem et supellectili iam [n] distractis, filios eorum avarus mercator poscebat, parentes autem saluti pignorum providentes, elegere ingenuitatem potius perire quam vitam, dum qui venditur, vitæ servetur. Contigit illo tempore, ut Dictator Romanorum Fridigernum Gothorum Regulum dolo ad convivium invitaret. Sed cum Fridigernus doli nescius cum paucis convivio advenisset, suorum in prætorio occisorum vox suspectis auribus [o] intonuit, et voce flebili non [p] ignota, illico velocitate egreditur Fridigernus, suosque socios eripiens ab interitu imminente, ad Romanorum necem instigat. Qui nacti votivam occasionem, elegerunt bello magis quam fame deficere, et Lupicinum et Maximinum duces gladio occidere: et illa dies Gothis famem, Romanis securitatem ademit, cœperuntque Gothi iam non ut advenæ et peregrini, sed ut cives et domini, possessoribus imperare, [q] totasque septemtrionales usque ad Danubium sub iure tenere: quod comperiens in Antiochia Valens Imperator, mox armato exercitu in partes Thraciarum egreditur, ubi lacrimabili bello commisso, vincentibus Gothis in quodam [r] prœlio iuxta Adrianopolim saucius ipse fugit, ignorantibusque quod Imperator in tam vili casella delitesceret, Gothis ignem, ut [s] assolent, apponentibus, cum regali pompa crematur: et merito ipse ab eis temporali crematur incendio, qui tam pulchras animas æternis ignibus tradiderat concremandas. Invenere autem Gothi illo prœlio confessores priores ex Gothis, quos dudum propter fidem à suis finibus expulere, et voluere eos participes fieri prædæ suæ, qui cum acquiescere noluissent, fuere ex eis aliqui interfecti, alii montuosa loca tenentes sibi refugia construxere, et non solum [t] perseveratione Christiani catholici, sed [u] et in concordia Romanorum à quibus dudum excepti fuerant, permansere. Eo tempore Vesegothi Thraciam Daciamque Ripensem post tanti trophæi gloriam, tanquam solum genitale potiti, colere inceperunt.

(m) Compl. et Al. *cœperunt exercitus.*
(n) Al. *defectis.*
(o) Compl. et Al. *intonavit.*
(p) Al. *ignorata.*
(q) Al. *septemtrionales portas.* Compl. *totasque partes septemtrionales.*
(r) Compl. et Al. *prædium.*
(s) Compl. et Al. *assolet.*
(t) Compl. *perseveraverunt.*
(u) Al. *etiam.*

De quibusdam vastationibus, et pace Romanorum, et morte Athanarici et Fridigerni.

CAP. III.

Gratianus autem qui cœpit regnare Æra CCCXCI, et regnavit annis VI, post obitum Valentis patrui sui Theodosium qui agnominabatur Hispanus, filium Theodosii Comitis electum præfecit imperio Orientis anno regni sui quinto, et fratrem parvum Valentinianum Romano imperio subrogavit. Qui Valentinianus regnavit cum Theodosio annis VIII. Cum autem esset Theodosius acris ingenii, consilio et virtute præclarus, præceptorum severitatem sic liberalitate et blanditia temperavit, ut remissum exercitum ad fortia provocaret. At vero milites

Æra 391.

D Prin-

Principe meliore comperto impetendi Gothos fiduciam acceperunt, eosque Thraciæ finibus pepulere. Sed cum Theodosius pene usque ad desperationem ægrotasset, Fridigernus cum Gothis diviso exercitu Thessaliam, Epirum, Achaiam, et Alatheos cum residuis copiis deprædatus, Pannoniæ supervenit. Quod cum Gratianus Imperator qui à Roma in Gallias secesserat, comperisset, mox ad eos collecto exercitu venit, et eorum exercitum cui præerat Fridigernus, primo adventu prostravit. Sed cum qui evaserant, ad Athanarici exercitum confugissent, [x] et mox Athanaricus deliberavit collegæ sanguinem vindicare. Sed Gratianus occurrens venit ad eos, non tam armis, quam gratia et muneribus complanandos, pacemque firmat victualia concedendo. Quod audiens Theodosius, postquam convaluit, gratum tulit, et in hanc pacem ipse consensit, Athanaricumque Regem qui Fridigerno successerat, sibi benignis moribus et muneribus sociavit, et Constantinopolim accedere invitavit, qui acquiescens, cum Theodosio urbem regiam est ingressus, miransque urbis situm, stationemque navium, populosque diversarum gentium, quasi in uno fonte è diversis mundi partibus scaturire: "En, inquit, "cerno, quod incredulus audiebam." In tali ergo admiratione, maiorique à Principe suffultus honore, obiit paucis mensibus interiectis, quem Princeps affectionis gratia, plene plus mortuum quam vivum honorans, dignæ tradidit sepulturæ.

(x) Compl. non habet *et.*

De strage [y] *Radagasi et Stiliconis, et vastatione Italiæ.*

CAP. IV.

Defuncto igitur Athanarico Æra [z] CCCCXIIII, attendentes Gothi Theodosii benignitatem, Romano imperio se dedere, fuereque sine Rege XXVIII annis: et exinde dicti sunt Fœderati, quos Theodosius contra Eugenium tyrannum qui occiso Gratiano Gallias occuparat, plusquam viginti millia armatorum fideles et amicos intelligens secum duxit, victoriaque de prædicto tyranno potitus ultionem exegit. Sub Theodosio Alani, Vandali, et Suevi Hispanias sunt aggressi: Alani Carthaginem et Lusitaniam sortiuntur: pars Vandalorum qui Silingui dicebantur, Bæticæ resederunt: reliqui Vandali cum Suevis Gallæciam sunt adepti. Postquam vero Theodosius qui cœpit regnare cum Gratiano Æra CCCXCII, et regnavit cum eo annis quinque, et Valentinianus regnavit Romæ annis septem, et Theodosius in Oriente post mortem Valentiniani iunioris regnavit [a] Monarcha annis decem, et fiunt in universo anni XVII. Hic pacis et Gothorum gentis amator fuit, et rebus excessit humanis Æra CCCCXII; et successere ei Arcadius et Honorius filii eius, et regnavere annis XXV: qui luxuriose viventes Gothis consueta donaria subtraxerunt. Mox Gothis increvit fastidium, verentibus ne longa pace eorum strenuitas solveretur, et iudicarunt indignum se Romanorum subditos potestati, eosque sequi quorum leges et impe-

(y) Compl. *Redagaysi* ita sæpius: Tol. et Al. in sequentibus legunt *Radagaysus.*

Æra 414.

(z) Compl. et Tol. *CCCXCIIII.*

Æra 392.

(a) Compl. *Monarchus.*

Æra 412.

pe-

perium contempsere, et quos in prœlio sæpius devicerunt. Sed dum Regem eligere procurarent, anno XI. Arcadii et Honorii Æra

Æra 423. CCCCXXIII. in Radagaso et Alarico divisi, se variis cædibus lacerarunt. Tandem in concordiam veniunt ob excidium Romanorum, et pari intentione uniforme consilium inierunt, ut ambo pariter corregnarent, Alaricus tamen [b] potior haberetur, et ad deprædandas Italiæ regiones ad invicem dividuntur. Sed Radagasus genere Scytha, cultui idololatriæ deditus, barbaricæ [c] inhumanitatis feritate sævissimus, cum ducentorum armatorum millibus Italiæ partes vastatione aggreditur vehementi, spondens in contemptum Christi Diis suis Romanorum sanguinem [d] immolaturum. Cuius exercitus ab Stilicone duce Romano in montuosis locis Tusciæ circumclusus, fame est potius quam ferro consumptus, ipse postremum Rex captus et interfectus. Quo extincto, consors regni [e] alacrius cœpit regnare solus, nomine quidem Christianus sed hæreticus professione. Qui dolens tantam multitudinem Gothorum extinctam, habito suorum consilio, ad Honorium misit legationem, ut, si permitteret, Gothi pacati in Italiam residerent: sin autem aliter, bello foret agendum. Sed Honorius utramque pollicitationem formidans, inito consilio cum senatu, ut eos à finibus Italiæ pellerent, provincias longe positas, scilicet Gallias et Hispanias quas pene perdiderant, concesserunt. Gothi autem acceptam donationem sacro oraculo confirmatam, et ad patriam sibi traditam processerunt. Post quorum discessum nihil mali in Italiam perpetrato, Gothis nihil à Romanis suspicantibus, Stilico Patritius et socer Honorii, qui fuerat natus de genere Vandalorum, gente perfida et dolosa, in Alpibus Gothos invadere procuravit. Sed Gothi recollectis animis, ut solebant, et recolentes tantam multitudinem cum Radagaso extinctam, omnem pene exercitum Stiliconis usque ad internecionem furibundo animo prostraverunt, et in Liguriam quam transierant, rediere, eamque prædis et spoliis devastantes, Æmiliam pariter vastavere, et Tusciam discurrerunt.

(b) Al. *potentior.*

(c) Compl. *immanitatis.*

(d) Al. *libaturum.*

(e) Al. *Alaricus.*

De destructione urbis, et morte Alarici.

CAP. V.

Et ne [f] victrix cædium expers remaneret, Alaricus cum suis in vindictam sanguinis Radagasi adversus Romam prœlium inceperunt, obsessamque magnæ [g] cladis impetu irruperunt. Sicque urbs cunctarum gentium victrix, Gothicis triumphis victa succubuit et captiva. Gothi autem tantæ fuerunt clementiæ, quod omnibus indulxerunt qui ad Sanctorum limina confugerunt, nec quemquam à Sanctuariis extraxerunt. Ingressi urbem omnibus pepercerunt, sed iis quos extra loca Martyrum invenerunt, Christi et Sanctorum nomina invocantibus, simili misericordia indulserunt, in reliquis autem, etsi præda hostibus patuit, feriendi licentiam pietas refrenavit. Incursantibus vero Gothis in illa

(f) Al. *et ne atrox cædium expers.* Compl. *et ne actrix cædium expers cædium remaneret.*

(g) Al. *cædis.*

illa vastitate per urbem, dum quidam potens virginem consecratam ætate provectam in transitu reperisset, eam modeste admonuit, ut si quid apud se auri argentique haberet, voluntarie exhiberet: illa fideli conscientia, quod habuit, revelavit. Cumque ille vasorum formam et pulchritudinem ex illa antiqua Romanorum opulentia miraretur, virgo ait: "Hæc »vasa mihi de sacrario beati Petri »Apostoli sunt commissa: præsu»me, si audes: ego sacram hostiam »non audeo tibi dare." Gothus ille ad nomen Apostoli magno pavore perterritus, hoc Regi per nuncium nunciavit, qui Rex confestim reportari omnia ad sacrarium Sancti Petri per virginem illam summa cum reverentia, iussit, dicens: cum Romanis se bellum gerere, non cum Apostolis Iesu Christi. Rediit igitur virgo reverentissimis officiis honorata, redeunt et cum illa omnes qui ei se sociaverunt, super capita sua vasa illa aurea et argentea cum hymnis et canticis reportantes. Concurrerunt undique ad voces canentium de latibulis agmina christiana. Concurrerunt et Pagani Christianis admixti, et dum servos Christi se esse fingerent, calamitatis excidium evaserunt. Capta est itaque Roma ab Alarico anno MCLXIIII. (b) ditionis suæ. Et (i) beatus Innocentius Papa primus refert: (qui tunc temporis apud Ravennam positus, ut peccatoris populi non videret excidium) "Illa irruptio non »hostis fortitudine sed Dei iudicio »acta fuit." Hac tempestate Gothi Placidiam Theodosii Imperatoris filiam, Arcadii et Honorii Imperatorum sororem, cum ingenti auri argentique thesauro Romæ capiunt, adeptisque multis opibus Romanorum, tertia die eversa urbe, partibus et incensa, incliti et spoliis et victoria recesserunt. Deinde per Campaniam, (j) Brutiam, Lucaniamque simili strage bacchantes, Rhegium pervenere. Inde conscensis navibus cum (k) Siciliam exiguo ab Italia freto divisam transire (l) disponunt, infesto mari periclitati, multum exercitum perdidere, quibus tanta fuit gloria de Romanæ urbis obtentu, ut nihil mali se passos arbitrarentur, eventum naufragii victoria compensantes. Post paucos autem dies apud (m) Consentiam quam ipse destruxerat, Alaricus morte subita est defunctus XXVII. regni anno Æra CCCCL, quem sui nimia dilectione lugentes, Barsento amne à suo alveo derivato, in medio amne, collecto captivorum agmine, locum effodiunt sepulturæ, in cuius foveæ gremio Alaricus cum multis copiis sepelitur, et loco obtecto rursus amnem proprio cursui reddidere, et ut nesciretur ab aliquo, omnes fossores captivos qui interfuerant, extinxerunt. Æra 450.

(b) Tol. et Compl. *conditionis suæ.*

(i) Compl. et Al. *ut beatus.*

(j) Al. *Briciam.*

(k) Compl. et Al. *ad Siciliam.*

(l) Compl. *disponerent.*

(m) Compl. *Cotantiam.*

De victoriis Athaulphi, et morte eius.

CAP. VI.

Alarico sepulto, ad regni fastigium Athaulphum consanguineum eius, forma menteque consimilem, sublimarunt Æra CCCCXLIX, Æra 449. et regnavit annis sex, qui etsi non adeo proceræ staturæ, pulchritudine tamen corporis erat in oculis in-

Digitized by Google

intuentium gratiosus. Hic suscepto regno rediens Romam, si quid remanserat, totum abrasit more consumentium locustarum, nec tantum privatis divitiis, immo publicis Italiam spoliavit, (n) imperante Honorio resistere non valente: cuius sororem Placidiam quam Gothi Romæ ceperant, tum propter nobilitatem, tum propter pulchritudinem, in Foro Iulii civitate Æmiliæ sibi matrimonio copulavit: et Honorio rebus exhausto, iam quasi cognato deferens, reliquit Italiam, et ad Gallias se convertit; quod cum audissent Burgundiones et Franci qui prius Gallias infestabant, cœperunt se suis finibus coarctare. Vandali, Alani, et Suevi quos Gothi fugaverant à Pannonia, qui et in Galliis se receperant, relatione maiorum didicerant, qualiter Geberic Rex Gothorum incommodis et cædibus eos in Pannonia coarctarat, et à Gothis coacti ad partes confugerant Galliarum. Unde audito eorum adventu, se ad (o) Hispanos transtulerunt. Cumque Athaulphus diu Gallias infestasset, ei ut Principi paruere. Confirmato itaque Gothorum regno, Athaulphus audiens insolentias barbarorum, cœpit condolere miseriis Hispanorum, et occurrere incursibus Vandalorum. Dum autem relictis Galliis Hispanias peteret, à quodam suorum apud Barcinonam fuit inter familiares fabulas iugulatus Æra
Æra 455. CCCCLV. Huius Athaulphi et Placidiæ matrimonio conantur quidam adaptare prophetiam Danielis: *Filiam Regis Austri assumet*
Dan. 11. 6. *Rex Aquilonis, nec stabit ex eis germen*: et vocant Regem Austri Theodosium, et Regem Aquilonis Athaulphum, nec stetit ex eis germen, quia prolem non habuerunt. Sed aliter exponitur in Daniele de Regibus Syriæ et Ægypti, nec respectu loci ubi prophetavit, regnum Romanum versus Austrum consistit. Interea Stilico Comes de quo diximus, cogitavit Honorium pellere de imperio Romanorum, et suum filium Eucherium subrogare: sed Honorius stratum bello cum Eucherio filio interfecit.

(n) Compl. et Al. *Imperatore.*

(o) Compl. et Al. *Hispanias.*

De Sigerico et Valia, et victoriis in Hispania.

CAP. VII.

Post obitum Athaulphi Princeps Gothis eligitur Sigericus Æra CCCCLV, et regnavit anno uno. Æra 455.
Erat autem Sigericus Romanorum clade in urbe notissimus, statura mediocris, profundo animo, sermone rarus, contemptor luxuriæ, ira turbibus, habendi cupidus, ad sollicitandas gentes prudentissimus, contentionum semina iacere, odia miscere paratus, claudicans equi casu. Hic cum plures haberet filios, sperans regnum filiis proventurum, ne intestino bello, sicut in reliquis gentibus assolet provenire, populus vexaretur, cœpit ad pacem intendere Romanorum. Ordo in filiis iste fuit: primus (p) Gisericus pater et dominus: sequens Hunericus: tertius Guntemandus: quartus Trasamundus: quintus Hildericus. Cum igitur Sigericus proponeret Gothos ob causam filiorum pace diutina detinere, et Romanorum beneplacitis connivere,

(p) Al. *Gesericus.*

re, Gothi quorum belli quam pacis potior causa fuit, contra ipsum continuo conspirarunt, et eum factione impia peremere. Æra

Æra 456. CCCCLVI. Valia Sigerico in regno succedens, regnum tenuit tribus annis, belli causa Princeps à Gothis effectus; sed ad pacem divina providentia ordinatus, (mox enim ut regnare cœpit, fœdus cum Imperatore Honorio pepigit) Placidiam sororem eius olim captam ei restituit honoratam, promittens Imperatori se propter Rempublicam adiutorem. Itaque ad Hispanias per Constantium [q] Patricium evocatus, Romani nominis causa barbaris intulit magnas cædes, Vandalos, Silinguos in Bætica bello prostravit, Alanos qui [r] dominabantur Vandalis et Suevis, adeo [s] cecidit, ut extincto Athace ipsorum Rege, pauci qui superfuere ex Alanis, obliti regni nomine, Gunderico Regi Vandalorum qui in Gallæcia [t] residebat, sese darent, et dum cum Valia confligere tentavissent, non potuerunt eius potentiam sustinere. Devictus itaque cum Vandalis Gundericus fugam in Africam meditatur, et dum à bello Hispaniæ vellet in Africam transfretare, in freto [u] Gaditani maris vi gravissimæ tempestatis effractus, memor illius sub Alarico naufragii, omisso navigationis periculo, relictis Hispaniis fugam in Gallias procuravit. Prostratis igitur Vandalis, Alanis, et Suevis, potitus victoria, ab Hispaniis gloriosus Valia revertitur in Tolosam, Romano imperio fugatis hostibus aliquantas provincias, secundum quod promiserat, derelinquens. Et data est sibi ab Imperatore ob meritum victoriæ secunda Aquitania cum provinciis et civitatibus aliquantis. Post hæc apud Tolosam, longa valetudine deprimente, excessit à rebus humanis, qui felix fuerat, licet parum.

(q) Al. *Principem.*

(r) Compl. *potentabantur.*

(s) Al. *cessit.*

(t) Compl. *resederat.*

(u) Compl. *Graditani.*

De [x] Theudoredo, et casu Hunnorum.

CAP. VIII.

Valia Rege defuncto, Theudoredus succedit in regno Æra Æra 459.
CCCCLIX, et regnavit annis XXXIII, qui regno Aquitanico non contentus, pacis Romanæ fœdus recusat, pleraque municipia Romanorum suis cædibus occupavit, Aurelianum nobilissimum Galliæ oppidum obsessum multis viribus oppugnavit, à cuius obsidione [y] eminente virtute Etii Romanæ militiæ ducis non impunitus abscessit. Iussu igitur Valentiniani Imperatoris Etio remoto à militiæ principatu, cum Theudoredus Narbonem urbem fame et obsidione diutina infestasset, rursus à Litorio Romanæ militiæ duce Hunnis auxiliantibus effugatur. Litorius autem dum primum gessisset bella Reipublicæ contra Gothos, denuo dæmonum signis aruspicumque responsis fallaciter circumventus, bellum cum Gothis iniit moriturus, amissoque Romano exercitu, miserabiliter interiit superatus: fecitque intelligi, quantum illa quæ cum eodem periit multitudo, prodesse potuerit, si fide potius quam fallacibus dæmoniorum auspiciis dimicasset. Extincto igitur Litorio et receptis epistolis Valentiniani, Theudoredus cum Romanis pace in-

(x) Tol. et Compl. semper legunt *Theuderedus.*

(y) Compl. et Al. *imminente.*

inita, denuo adversus Hunnos Galliarum provincias devastantes, atque urbes plurimas evertentes, in campis Catalaunicis contra Hunnos et Regem eorum Attilam bellum assumpsit. A parte Romanorum tanta Etii Patricii cui innitebatur Respublica, virtus enituit, ut in ea parte Hunnorum ferocitas sopiretur auxiliantibus Francis, Burgundionibus, Saxonibus, Urionibus qui quondam fuerant Romani milites, sed tunc in auxilium requisiti. [z] Sangibanus autem Rex Alanorum metu perterritus futurorum, Aurelianis civitatem Galliæ, ubi sistebat, pollicetur Attilæ se daturum. Sed ubi Theudoredus et Etius cognovere, ante adventum Attilæ iniectis aggeribus occuparunt, et quia suspectum, custodiri faciunt Sangibanum, quem cum gente propria in die belli medium statuere. Attila autem Rex Hunnorum tali discrimine conturbatus timuit experiri, et futura cœpit per aruspices sciscitari, qui prænuntiantes infausta, hoc solatii prædixere, quod ductor adversæ partis occumberet, et sua morte triumphum sedaret. Erat autem in campis illis locus superexcrescens, quem uterque cupiebat exercitus obtinere. Dexteram partem Hunni, sinistram Gothi et Romani cum suis auxiliis occuparunt. Inter quos dextrum cornu tenebat Theudoredus, sinistrum Etius cum Romanis, medium Sangibanus. Ex adverso autem acies Hunnorum ordinatæ in quorum medio cum suis Attila consistebat, ut hac ordinatione ab imminenti periculo servaretur, excepto cornu Attilæ multiplices populi et nationes diversæ quas suæ subdiderat ditioni, suæ gentis exercitum ambiebant. Attila autem sollicitus super omnes, suos erigit ad certamen. Sed Thurismundus Theudoredi filius, et Etius dux Romanus cruento Marte collis supercilium occuparunt. Arderico Rege Gepidarum qui ob nimiam fidelitatem consiliis intererat et secretis, et Valamer Rege Ostrogothorum qui erat secreti tenax, doli ignarus, blandus alloquio, cum essent audacia strenui, et eos Hunni sæpius infestassent, ne dixerim subiecissent, adiuvantibus supra modum, venientes Hunnos collis beneficio facile turbaverunt. Attila autem videns suos causa dicta turbatos, eos alloquitur, ne qui hactenus invicti extiterant, nunc inferiores invenirentur. Hæc et alia illo dicente accensi, in pugnam præcipitantur, et præsentia Regis cunctationem [a] inertibus auferebat, bellum manibus aggrediuntur atrox, multiplex, immane, pertinax, cui simile antiquitas nulla narrat, in quo gesta talia referantur, ut nihil esset quod in vita sua [b] conspici potuisset egregius, qui huius spectaculi non fuit contemplator. Tanta enim fuit cruoris effusio, ut fluminis alveus, sicut solet imbribus inundare, fluenta traheret mixta cruore. Tunc Theudoredus Rex Gothorum, dum adhortans suos, discurreret per exercitum qui pugnabat, cuius telo [c] occidit, ignoratur, nisi quod equo desiliens calcantium pedibus conculcatus vitam clausit ultimæ senectutis: hoc fuit quod Aruspices Attilæ prædixerunt. Ibi etiam fuit occisus cognatus Attilæ Laudericus. Tunc

(z) Al. toto capite *Sanguibanus.*

(a) Tol. *mentibus.*

(b) Compl. et Al. *conspicere.*

(c) Al. *ceciderit.*

Digitized by Google

Tunc Gothi se ab Alanis dividentes, Hunnos fortiter invaserunt, et pene Attilam extinxerunt, nisi quod videns suorum interitum fugit ad castra, et in ambitum quem ex plaustris et scriniis sibi firmaverant, se recepit. Thurismundus autem Theudoredi filius de colle quem cum Etio occupaverat, credens se nocte ad agmina propria remeare, ad carpenta hostium ignarus accessit, quem fortiter dimicantem quidam de equo deiecit capite vulneratum, sed suorum prudentia liberatus à prœliandi intentione cessavit. Etius etiam noctis confusione divisus, cum inter hostes medius vagaretur, si quid adversi Gothis acciderat, intrepidus inquirebat, tandem ad castra veniens reliquum noctis scutorum defensione transegit. Die autem postera clarescente, campos plenos cadaveribus aspexerunt, et tamen Hunni erumpere non (d) audebant. Sciebant autem Gothi Attilam non nisi magna clade percussum certamina deviare, quamvis tamen armis teperet, tubis canebat minans incursus, velut leo confossione venabuli provocatus, qui speluncæ aditus obambulando, nec audet insurgere, nec cessat fremitibus vicina terrere. Sic Attila Rex bellicosus licet inclusus suos turbabat. Fertur autem desperatis rebus in supremo agmine de sellis equinis pyram struxisse, ut si irruerent adversarii, flammis se ingereret consumendum, ne aut aliquis eius vulnere lætaretur, aut in potestatem hostium dominus tantarum gentium deveniret. Verum Gothi de ignoto Regis interitu admirati, et quod in eius absentia tanta (e) fuit felicitas subsecuta, doloribus stimulati, exploratum diutius et ploratum, demum inter densissima cadavera repererunt, et cantibus honoratum inimicis spectantibus abstulere, et per globos dissonis vocibus inter bella furentia funeris debitum exolverunt, et subrogati filii gaudium funesto funeri miscuerunt. Thurismundus autem gloriosus pro bello, ut tanti patris decebat filium, peractis lacrimis orbitatis, virtutis impetu in Hunnos mortem patris voluit vindicare, et super hoc Etium Patricium, tamquam seniorem, prudentia (f) maturum, duxit in articulo consulendum. Ille vero metuens, ne elevati victoria Gothi consurgerent in Romanos, consuluit ut ad sedes proprias remearet, et regni paterni initium roboraret, ne Germani eius procuratis copiis prævenirent. Quod consilium non ut callide fuit actum, sed ut fides sincera, ut utile acceptavit. Sic enim humana fragilitas dum suspicionibus carere conatur, agenda plerumque rerum occasione relinquit. (g) Thurismundus patre mortuo in campis Catalaunicis ubi pugnaverat, et victor extiterat, ad maiestatem regiam sublevatur Æra CCCCXCII, et regnavit anno uno, cum patre duobus, qui tamen patri annumerantur. Et licet fratrum et fortium turba gauderet, ipse tamen sic sua initia temperavit, ut nullius reperiret de regni successu certamen. In hoc itaque famosissimo bello ab utrisque partibus tercenta ferme millia cæsa feruntur, exceptis XV millibus Francorum et Gepidarum qui ante bellum mutuis vul-

(d) Al. *valebant.*

(e) Al. *fuerit.*

(f) Compl. *prudentiaque maturum.*

(g) Tol. toto cap. legit *Turismundus.*

Æra 492.

Digitized by Google

vulneribus conciderunt. Multa signa cœli et terræ eodem tempore præcesserunt, quorum prodigiis tanta belli crudelitas signabatur. Nam assiduis terræ motibus homines conturbati, à parte Orientis luna fuscata, à solis occasu apparuit stella Cometes, atque ingenti magnitudine [h] infausta diu fulsit: ab Aquilonis plaga cœlum rubuit sicut ignis, immixtis per ruborem igneum lineis clarioribus, quæ in speciem hastarum fulgentium rutilabant. Nec mirum si tantarum gentium tanta strages tot portentis divinitus monstraretur. Attila igitur cognita discessione Gothorum, et tamen dolo metuens procuratam, diu se continuit intra castra. Thurismundus vero Tolosam à campis Catalaunicis est reversus. Euphromus autem Episcopus [i] Augustudini innumera occisorum cadavera sepelivit. Igitur Attila Danubium transiens, post bellum Catalaunicum contra Alanos movit [j] bellum. Quod cum Thurismundus Rex Gothorum non imparis gloriæ præsensisset, in auxilium Alanorum exercitui Attilæ mox advenit, consertoque prœlio, sicut in campis Catalaunicis, pavenda Romanis vexilla Attilæ effugavit, ipsumque Attilam fugientem coegit [k] oblitum olim trans Danubium repetere mansiones: et ille famosus Attila victoriarum dominus, bello gemino consternatus, inglorius effugatur. Thurismundus vero repulsis ab Alanis Hunnorum catervis Tolosam rediit, et pace composita inter suos, dum [l] insolentius solito cœpisset agere, anno regni sui secundo, cum de vena sanguinem minuisset, fuit à suo cliente consilio fratrum interfectus. Sed ante mortem una manu parvo ganipulo quem tenebat, sui sanguinis ultor fuit, et de insidiantibus aliquos interfecit.

(h) Al. *infausta pronuntians infulsit.* Al. lectio habet *prænuntians.* Compl. rectius legit *infausta prænuntians diu fulsit.*

(i) Tol. et Compl. *Augustuduni.*

(j) Tol. *guerram* ut infra sæpe: *guerram* etiam habet hic Compl.

(k) Tol. et Compl. *oblitus.*

(l) Al. *insolertius.*

De [m] *Theudorico, et Regulis Suevorum.*

CAP. IX.

Theudoricus germanus eius post necem fraternam Æra CCCCXCIII. annis tredecim imperavit, et Rechiarium Suevorum Regem cognatum suum reperit inimicum. Hic enim Rechiarius, ex quo Theudoredi Regis filiam duxerat, de se præsumens, universam pene Hispaniam sibi credidit occupandam, habens sedes Gallæciam et Lusitaniam, è quibus egrediens Hispanias invadebat, cui Theudoricus cognatus suus, ut erat modestus, per legatos pacifice demandavit, ut non solum recederet à finibus alienis, verum etiam nec præsumeret attentare. [n] Cumque ad eum Theudorici legatio advenisset, tumido animo sic respondit. [o] "Si hic murmurans Tolosam venio, ubi sedes, et si poteris, ibi resiste." His auditis, Theudoricus, compacatis gentibus quibus arma moverat, à Gallia Gothica contra Rechiarium properavit. Cui cum Rechiarius cum magna copia occurrisset, conserto prœlio iuxta fluvium Urbicum inter Astoricam et Legionem, Theudoricus victor enituit. Cæsis Suevorum agminibus aliquantis, et multis captis, plurimisque fugatis, ipse postremo Rex Rechiarius telo saucius cum pau-

Æra 493.

(m) Tol. *Theodoricus* toto cap. Compl. hic habet *Theodericus*, sed infra semper ut Tol.

(n) Tol. et Compl. hæc etiam habent: *ipse enim Rechiarius ratus est opportunum regnantis initia attentare. Cumque ad eum.*

(o) Tol. *Sic hic murmuras?*

paucis aufugit, carensque præsidio Suevorum, navem conscendit, solius fugæ præsidio comitatus, adversaque procella Occeani Portugale proiicitur, ibique captus, adversario redonatur privatus regno, victoria, atque vita. Theudoricus vero victor existens, subactis pepercit, eisque præfecit clientem proprium nomine Aliulphum, qui Suevorum persuasionibus incitatus prævaricari præsumpsit, credens se æqua cum domino potestate provinciam obtinere: erat quippe Avernorum stirpe genitus, à nobilitate Gothici sanguinis alienus. Quo comperto, Theudoricus contra eum exercitum destinavit, qui mox veniens, eum in primo certamine superavit, et suorum auxilio destitutus capite plectitur, sensitque iratum, quem nescivit servare placatum. Tunc Suevi Rectoris intuitum contuentes, Sacerdotes suos ad Theudoricum supplices direxerunt, quos ob Pontificalem reverentiam grate suscipiens, non solum impunitatem Suevis indulsit, sed ut sibi de suo genere Principem elevarent, flexus misericordia condonavit. Occiso Rechiario, Theudoricus de Gallæcia ad Lusitaniam pertransivit, et dum Emeritensium urbem intenderet deprædari, Sanctæ Martyris Eulaliæ miraculo territus, cum suo exercitu mox discessit, et cum parte exercitus duces dimisit, qui ea quæ in Hispaniis adquisierat, tuerentur, et partem unam exercitus cum duce qui Ceurila dicebatur, ad Bæticam destinavit, partem aliam cum Sunerico et Nepotiano ducibus Gallæciæ deputavit, qui Suevos apud Lucum sævis cædibus vastavere: et ex tunc Gothorum duces in Hispaniis præfuerunt. Exinde Theudoricus, Suevorum gente cum suis Principibus subiugata, in Galliam Gothicam est reversus. Et tunc Agrippinus Comes, ut Gothorum auxilia mereretur, Narbonam tradidit Theudorico. Post cuius discessum Suevi bifarie sunt divisi: alii Masdram Massilæ filium in Principem elegere, qui tantum duobus annis regnavit, alii [p] Frantam. Masdra autem statim mortuo, pars Masdræ filium eius substituit [q] Remismundum, qui cum Franta illico pacem fecit: et ambo pariter fœderati partes Lusitaniæ devastabant. Post biennium mortuo Franta, pars eius Frumarium sibi [r] præfecit, qui cum Remismundo super regni præeminentia litigaret, evertit [s] Flaviam, vastationes in patria exercendo. Remismundus et Lucum, et Auriam, et maritima devastabat. Sed post biennium Frumario decedente, Remismundus pace cum Gallæcis inita, Suevorum in Gallæcia obtinuit principatum. Suevi enim eum sibi in Regulum præfecere: qui ad Lusitaniam transiens, Coimbriam pace [t] detentam diripuit, et exhausit, Ulysbonam etiam occupavit, Lusidio cive et incola, qui illic præerat, eam tradente. Post aliquot dies Remismundus his successibus elevatus ad Theudoricum Regem Gothorum nuncios destinavit, et pacem et amicitiam postulavit. Quos Theudoricus benigne recipiens, annuit postulatis, et in signum veri amoris coniugem misit ei per Sallanum quemdam ex officio palatino cum adie-

(p) Al. *Frabta.*

(q) Al. *Remismedum.*

(r) Compl *præfert.*

(s) Al. *flammam vastationesque.*

(t) Tol. et Compl. *deceptam.*

iectione munerum et armorum. Et recepta coniuge et muneribus, cœpit amplius superbire, et Sallanum donariis honestatum remisit ad Theudoricum cum epistolis suæ laudis: qui cum ad Galliam rediisset, Theudoricum ab Eurico fratre suo reperit interfectum.

De Eurico Rege.

CAP. X.

(u) Al. *fratri.*

Æra 506. Euricus pari scelere, quo et [u] frater, successit in regno Æra DVI, et regnavit annis XVII, in quo honore provectus et crimine, partes Lusitaniæ impetu devastavit, Pampilonam et Cæsaraugustam misso exercitu in deditionem recepit, superioremque Hispaniam suæ subdidit potestati, [x] Tarraconem et provinciæ nobilitatem quæ ei repugnaverat, irruptione exercitus peragravit. In Gallias autem reversus, percupida festinatione succensus, audivit Valentinianum à Maximo interfectum, et ipsum Maximum ab Urso Romano milite interemptum. Unde attendens Romanum imperium conturbatum, Arelatum et Massiliam subiugatas principatui suo adiecit, et contra Riothimum Regem Britonum, qui cum XII. millibus in auxilium venerat Romanorum, bella restaurans, victor extitit, et oppressor. Ad hæc omnia [y] eum Gizericus Rex Vandalorum, qui expulsus ab Hispania regnabat in Africa, consilio et muneribus incitabat, ut dum Respublica turbaretur, ipse in Africa quiete placida frueretur. Quod Euricus grate suscipiens, Hispanias Galliasque cum Burgundionum [z] provinciis subiugavit. Cumque quadam die apud Arelatum Gothos ad colloquium congregasset, et Gothi manibus tela tenerent à parte ferri alia viridi, alia roseo, alia nigro, alia croceo colore, naturalem ferri speciem vidit aliquamdiu immutatam. Sub hoc Rege Gothi legum suarum statuta ad scripturæ seriem redegerunt: nam antea tantum moribus et consuetudine tenebantur. Obiit Arelati Euricus Rex, et morte propria vitam finivit.

(x) Al. *Tarraconum etiam.*

(y) in Al. *eum* non habetur, neque in Compl.

(z) Al. *provincia.*

De Alarico et [a] Gisaleico.

(a) Al. *Gisalrico.*

CAP. XI.

Eurico mortuo Arelati, filius eius Alaricus apud Tolosam ad Gothorum regimen sublimatur Æra DXXIII, et regnavit annis XXIII: Æra 523. adversus quem [b] Fluduinus Francorum Princeps Galliæ Gothicæ regnum affectans, Burgundionibus sibi auxiliantibus bellum movit, fusisque Gothorum copiis ipsum postremo Regem apud Pictavium prœlio interfecit. Gisaleicus superioris Regis filius ex concubina, quia Amalaricus filius Alarici ex Amalasvente Regina, filia Theodorici Regis Ostrogothorum, qui in Italia tunc regnabat, erat parvulus vix quinquennis, Narbonæ Alarico mortuo subrogatur Æra DXLVI. regnans annis quatuor, sicut genere vilis, ita infelicitate et ignavia summus. Æra 546. Denique [c] ut eadem civitas à Gundebado Burgundionum Rege direpta fuisset, iste cum magna suorum clade Barcinonem se recepit, ibi moratus, donec regni fascibus fugæ igno-

(b) Compl. *Fludingius.*

(c) Compl. habet *dum* pro *ut*: Al. ita habet *dum eadem civitas à Gundelado.*

Digitized by Google

minia privaretur. Vidensque non posse proficere, in Africam transfretavit, poscens suffragium Vandalorum, qui sine auxilio ab Africa rediens, ob metum Theudorici in Aquitaniam se recepit. A qua post anni circulum in Hispaniam est reversus, atque [d] Theudorici Regis duce, duodecimo à Barcinone milliario commisso prœlio, effugatur, et interiit trans [e] Druentiam fluvium Galliarum. Sicque honore primo caruit, et post vita.

(d) Compl. à *Theodorici.*

(e) Compl. et Al. *Druentium.*

De Theudio.

CAP. XII.

Post mortem Amalarici, mater professa sexus fragilitatem, cum sperneretur à Gothis, Theudium consobrinum, olim filii sui tutorem, ob germanitatis gratiam à Tuscia arcessivit, ubi private degebat, et eum in Regem cum [f] conniventia Principum elevavit Æra DLXX, et regnavit annis XVII. mensibus quinque. Qui dum esset hæreticus, pacem tamen concessit Ecclesiæ, adeo ut licentiam catholicis Episcopis daret in unum apud urbem regiam convenire, et quæcumque ad disciplinam Ecclesiæ pertinerent, libere [g] ordinarent. Eo regnante, dum Francorum Reges cum infinitis copiis in Hispaniam convenissent, et Tarraconensem provinciam devastarent, Gothi duce Theudisclo, obicibus Hispaniæ interclusis, Francorum exercitum multa cum admiratione victoriæ prostravere. Sed dux idem, prece atque ingenti pecunia sibi data, viam fugæ hostibus residuis unius diei noctisque spatio condonavit, cetera infelicium turba cui transitus collati temporis non occurrit, Gothorum perempta gladio non evasit: et sic insidiosam Francorum calumniam repulit ab Hispanis. [h] Theudius vero immemor beneficii Amalasventæ, post aliquos dies eam fecit in balneo strangulari: et quia ipsa se et filium Justino catholico Orientis Principi commendarat, cum audisset facinus, condoluit interfectæ, et misit [i] Belisarium ducem et Patricium, ut in Theudium vindicaret. Sed ipso intercepto negotiis Romanorum, ante adventum eius fuit Theudius interfectus, et sic remansit impietas impunita. Post tam felicis successum victoriæ trans fretum Gothi minus provide navigarunt. Denique dum adversus milites qui Septam oppidum invaserant, pulsis inde Gothorum militibus, Tyrrheni litora pertransissent, et [j] eidem castrum magna vi certaminis expugnarent, adveniente die Dominico armis depositis quieverunt, ne diem sacrum prœlio funestarent. Hac igitur occasione reperta, milites repentino incursu aggressi exercitum mari undique terraque conclusum, inermem exercitum adeo prostravere, ut nec quidem unus superesset, qui tantæ cladis excidium nunciaret. Nec mora ipsum Principem debita mors prævenit; vulneratur enim à quodam in palatio, qui iam dudum dementis speciem, ut Regem deciperet, simularat. Finxit enim arte insaniam, ut Principem trucidaret: quo vulnere Rex prostratus, vi gladii indignantem animam exhalavit. Fertur autem in emissione sanguinis coniuras-

(f) Al. *conveniential.*

Æra 570.

(g) Compl. et Al. *ordinare.*

(h) Al. *Theudis*: ita etiam Compl. toto capite.

(i) Compl. et Al. *Belesarium.*

(j) *iidem* f. Compl. *idem.*

Digitized by Google

rasse, ne quis interficeret percussorem, dicens se congruam meriti vicissitudinem recepisse, quod et ipse privatus commiserat in ducem suum. Interempto Theudio, Theudisclus dux exercitus Gothis præficitur incunctanter Æra
Æra 587. DLXXXVII, et regnavit anno uno, mensibus tribus. Qui dum plurimorum potentum connubia prostitutione publica macularet, et ob hoc necem pluribus procuraret, præventus manu coniuratorum Hispali confoditur, et inter epulas iugulatur.

De Agila Rege.

CAP. XIII.

(k) Al. *Theudisculo.*

Extincto [k] Theudisclo, in regnum Agila sublimatur Æra
Æra 588. DLXXXVIII, et regnavit annis quinque. Iste adversus Cordubam movit bellum, et in contemptum religionis Catholicæ sepulturam beatissimi Aciscli Martyris hostium et iumentorum præsentia profanavit, et inito certamine contra cives, pœnas dignas, Sanctis inferentibus, prout meruit, est expertus. Nam belli præsentis ultione percussus, filium cum copia exercitus interfectum, et thesaurum omnem cum insignibus opibus confusus amisit. Ipse victus, ac miserabili metu fugatus, apud Emeritam se recepit, adversus quem, interiecto aliquanti temporis spatio, Athanagildus tyrannide regnum præsumpsit, dum exercitum contra se missum Athanagildus apud Hispalim prostravisset. Hinc Gothi videntes excidio proprio se everti, et magis metuentes, ne in Hispaniam Romani milites hac invaderent occasione, Agilam Emeritæ peremerunt, et Athanagildi [l] se regimini tradiderunt.

(l) Compl. *sese.*

De Athanagildo, et Luiba, et [m] Leovigildo.

(m) Tol. et Compl. *Leovegildo.*

CAP. XIV.

Occiso Agila, Athanagildus tyrannide fit successor Æra DXCIII, Æra 593.
et regnavit annis XIIII. Hic cum iam dudum Agilam regno privare conaretur, auxilia militum ab Imperatore Iustiniano poposcit, sed submovere Agilam à regno non potuit, donec à suis fuit Agila interfectus. Decessit autem Athanagildus Toleti propria morte, et vacavit regnum mensibus quinque. Post Athanagildum Narbonæ præficitur Luiba Gothis Æra DCVII, Æra 607.
et regnavit tribus annis, qui secundo anno postquam adeptus est principatum, Leovigildum fratrem non solum successorem, sed et participem regni fecit, et Hispaniæ provisorem, ipse Galliæ regno contentus. Sic regnum duos sustinuit, [n] cum nulla potestas patiens sit consortis. Huic autem unus tantum annus in ordine temporum reputatur, reliqui Leovigildo fratri annumerantur. Duxerat autem Leovigildus uxorem nomine Theodosiam filiam Severiani ducis provinciæ Carthaginensis, qui fuerat filius Regis Theoderici. Luiba vero defuncto, Leovigildus adeptus est Hispaniæ et Galliæ principatum Æra DCX: regnavit annis XVIII. Æra 610.
Hic bellis regnum desiderans ampliare, opes instituit congregare, studio eius exercitum concordante fa-

(n) Compl. et Al. *dum.*

Digitized by Google

favore victoriarum, et animositate præclarus multos populos subiugavit. Cantabriam namque iste obtinuit, et destruxit: [o] Baregiam iste cepit: Sabaria ab eo fuit devicta: cesserunt ei plurimæ rebelles Hispaniæ civitates. Fudit quoque diverso prœlio milites adversantes, et quædam castra quæ occupaverant, eis abstulit dimicando. Hemergildum deinde filium contra imperium tyrannizantem obsessum Hispali dolo cepit, et quia nefandis ritibus noluit consentire, tormentis variis cruciavit. Demum securi percussum parricida impius dignum Deo Martyrem consecravit. Postremum bellum Suevis intulit, regnumque eorum in ius Gothorum bello celeri commutavit, et magna ex parte potitus Hispaniam ampliavit. Nam antea gens Gothorum angustis finibus arctabatur. Sed offuscavit in eo error impietatis tantæ gloriam probitatis. Denique Arianæ perfidiæ furore repletus, in catholicos persecutione commota, Leandrum Hispalensem et [p] Mausonam Emeritensem sanctissimos Episcopos, et alios plurimos exilio relegavit, Ecclesiarum reditus infiscavit, et privilegia earum [q] abstulit, multosque [r] terroribus Arianæ pestilentiæ applicavit, plerosque sine persecutione illectos auro rebusque [s] decepit. Ausus quoque inter cetera hæresis suæ contagia catholicos rebaptizare, non solum ex plebe, sed et Sacerdotalis ordinis dignitate, sicut Vincentium Cæsaraugustanum, quem de Episcopo apostatam esse fecit, et tanquam à cœlo decidit in infernum. Extitit autem quibusdam suorum perniciosus: nam quoscumque potentissimos ac nobilissimos vidit, aut capite mutilavit, aut ablatis opibus spoliavit, et proscriptos in exilium relegavit. Fiscum quoque iste primus locupletavit, primusque ærarium de rapinis [t] civitatum hostiumque manubiis avarus locupletavit. Primus etiam inter suos regali veste regia coopertus resedit in regali solio more Regum. Nam ante eum Reges qui fuerant, in vestibus et [u] confessionibus militibus communiter convivebant. Condidit civitatem in Celtiberia, quam ex nomine filii sui Recopolim nominavit. In legibus quoque ea quæ ab Eurico videbantur incondite constituta, correxit studio vigilanti, plurimas leges adiiciens prætermissas, plerasque superfluas resecavit. Sed dum infirmitate acriter torqueretur, præcepit filio Recaredo, ut Episcopos ab exilio revocaret, et Leandrum Hispalensem, et eius germanum Fulgentium Astigitanum qui in doctrina ecclesiastica fulgebat insignis, tanquam Patres audiret, et eorum monitis obediret. Obiit autem defunctus propria morte Toleti.

(o) Tol. *Aregiam*. Compl. et Al *Baregiam*, ut in textu.

(p) Tol. *Musonam*, cum in sequenti cap. legat *Mausonam*.

(q) Compl. *tulit*.

(r) *erroribus* f.

(s) *deiecit* f.

(t) Compl. *civium hostiumque manubriis*.

(u) *consessibus* f. Compl. legit *consessionibus* Tol. in margine habet ut Compl.

De Recaredo Rege.

CAP. XV.

Leovigildo defuncto, in regno successit eius filius Recaredus Æra DCXXVIII, et regnavit XV. annis. Hic fuit cultu præditus religionis, et paternis moribus longe dissimilis. Nam ille irreligiosus et bello promptus, hic fide pius et pace præclarus. Ille [x] armatorum exercitu gentis imperium dilatavit, hic Æra 628.

(x) Compl. *armorum exercitio*.

Digitized by Google

hic gloriosus eandem gentem trophæo fidei sublimavit. In ipsis enim regni sui exordiis per Leandrum et Fulgentium in fide catholica institutus, totius Gothicæ gentis populos, inoliti erroris labe detersa, ad cultum rectæ fidei revocavit. Synodum deinde Episcoporum sexaginta duorum ad condemnationem Arianæ hæresis de diversis Hispaniæ et Galliæ provinciis in urbe regia congregavit, et eidem Concilio religiosissimus Princeps devotus advenit, gestaque Concilii subscriptione firmavit, abdicans, Pontificibus et palatii primoribus, clero et militia approbantibus cum populo universo, perfidiam quam hucusque Gothorum populus didicerat ex dogmate Ariano, prædicans trium personarum unitatem, unum Deum, Filium à Patre consubstantialiter genitum, Spiritum Sanctum inseparabiliter à Patre et Filio procedentem, et esse amborum unum Spiritum, unde et unum sunt. Egit etiam gloriose bellum adversus infestas gentes fidei auxilio sublevatus. Francos enim cum LX. ferme millibus armatorum in Galliam Gothicam irruentes, misso adversus eos Emeritensi duce Claudio, glorioso triumpho repulit, et prostravit. Nulla umquam in Hispaniis Gothorum victoria, vel maior, vel similis invenitur. Prostratis enim et captis plurimis millibus hostium, residua pars exercitus Gothis sequentibus usque ad regni sui confinia cæsa fugit. Sæpe etiam contra insolentias Romanorum et irruptiones Vasconum plurima bella gessit. Unde non magis bella tractasse, quam gentem Gothicam quasi in ludo palæstræ pro usu certaminis videtur exercuisse. Provincias autem quas pater prœlio conquisivit, iste pacifice conservavit, æquitate disposuit, moderamine gubernavit. Fuit autem placidus, mitis, egregiæ bonitatis, tantaque in vultu gratia abundabat, et tanta animi benignitate dulcis, erat, ut omnium mentibus influens, (y) et malos in suæ dilectionis reverentia conservaret: adeo liberalis, ut opes privatorum, et Ecclesiarum prædia quæ paterna labes fisco addixerat, iuri debito restauraret: adeo clemens, ut tributa populi indulgendo sæpius relaxaret. Multos etiam ditavit rebus, plures honoribus sublimavit, opes suas in miseris, thesauros in egenis recondens, sciens ad hoc illi fuisse regnum collatum, ut eo salubriter frueretur. Bonis initiis addidit bonum finem: fidem (z) rectæ gloriæ quam in initio regni percepit, novissime publica confessione et pœnitentia consummavit. Toleti fine pacifico migravit ad Christum. Anno quarto gloriosissimi Regis Recaredi idibus Maii tertia Toletana Synodus celebratur, et inter secundam Synodum sub Montano et istam fuerunt LXII. anni. Et hæc fuit sub Helladio, et interfuerunt Mausona Emeritensis, Euphemius Tarraconensis, Leander Hispalensis, Nigetius Narbonensis, (a) Pantardus Bracarensis, et suffraganei eorum. Et in hoc Concilio fuit ab Hispanis eliminata hæresis Ariana, qua infecta fuerat gens Gothorum à tempore Athanarici Regis et Valentis Imperatoris qui dedit Gothis doctores, ut eos in Ariana perfidia con-

(y) Al. *etiam*.

(z) Al. *enim*: ita quoque legit Compl.

(a) Al. *Partardus*: ita quoque habet Compl.

Digitized by Google

confirmarent. Sed in hoc Concilio eliminata spurcitia eius sectæ, Gothi in vera confessione fidei catholicæ remanserunt, et ponitur ibi homilia Sancti Leandri Episcopi de laude Ecclesiæ pro [b] conversione Gothorum, quæ sic incipit: "Festivitatem hanc omnium esse "sollemniorem festivitatum novi"tas ipsa significat," et cetera. Et fuit istud Concilium LXII. Episcoporum.

(b) Al. confessione.

De Luiba, Victerico, et Gundemaro.

CAP. XVI.

(c) Tol. et Compl. semper habent Reckaredum.

Æra 643.

Post [c] Recaredum Regem cœpit regnare Luiba filius eius Æra DCXLIII, et regnavit annis duobus, ignobili quidem matre progenitus, sed virtute indolis insignitus, quem in primo flore adolescentiæ [d] Victericus sumpta tyrannide innocuum Regem deiecit, præcisaque dextra occidit anno ætatis XVI. regni autem secundo, Æra DCXLV. Extincto [e] Luiba, Victericus regnum quod vivente illo invaserat, vindicat annis VII. vir quidem strenuus in armorum arte, victoriæ tamen expers. Nam cum adversus Romanos bellum sæpius intentasset, semper inglorius est inventus, nisi quod quosdam milites ducens Seguntiam captos cepit. Hic in vita illicita multa fecit, in morte autem gladio periit, quia gladio fuerat operatus, mors quippe innocentis non pertransivit inulta. Inter epulas enim prandii coniuratione quorumdam extitit interfectus, corpus autem viliter exportatum vilius est [f] sepultum Æra DCLII. Gundemarus post Victericum regnum suscepit, et regnavit annis duobus. Hic Vascones una expeditione vastavit, alia militem Romanum obsedit. Propria morte Toleti decessit.

(d) Compl. Wictericus toto capite.

Æra 645.

(e) Tol. Luiban. Compl. Luibane.

(f) Al. humatum.

Æra 652.

De Sisebuto Rege.

CAP. XVII.

Sisebutus Rex Christianissimus post Gundemarum ad regale fastigium evocatur Æra [g] DLIIII. regnans annis VIII. mensibus sex. Qui in initio regni Iudæos ad fidem christianam [h] permovens, æmulationem quidem habuit, sed non secundum scientiam; potestate enim compulit quos provocari oportuit fidei ratione: sed sicut Paulus dicit: *Sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, in hoc gaudeo, et gaudebo.* Sisebutus itaque Iberiam ut vir sapiens et nimium litteraturæ deditus per annos VIII. retentat. Hic per Hispaniam urbes Romanas sibi subiecit. Venerabilem Helladium Toletanæ sedis metropolitanum Episcopum sanctitatis præconio præfulgentem Ecclesia veneratur. Isidorum Hispalensem metropolitanum tunc temporis Hispania [i] celebrabat sanctissimum, doctorem egregium et præclarum, qui anno septimo præfati Principis Sisebuti contra Acephalorum hæresim apud Hispalim in [j] secretario Sanctæ Hierusalem Concilium celebravit, atque per veridica doctorum testimonia Syrum quemdam Acephalum Episcopum supra fatam hæresim vendicantem exuperat, et ve-

Æra 654.

(g) Compl. DCLIIII.

(h) Al. præmonens.

Philipp. 1. 18.

(i) Al. celebrat.

(j) Al. sacrario.

Digitized by Google

vera Concilii assertione eius eloquia condemnavit, atque à suo errore præfatum Pontificem diu docendo perpetualiter liberavit. Fuit autem Sisebutus eloquio nitidus, litterarum sapientia doctus, in iudiciis strenuus, ac præstantissimus pietate, mente benignus, gubernatione regni præcipuus, in bellicis documentis et victoriis semper clarus. Astures enim sæpius rebellantes misso exercitu in deditionem reduxit. Rucones montibus arduis [k] conceptos undique per duces evicit. Ecclesiam Sanctæ Leocadiæ Toleti miro opere fabricavit. De Romanis quoque personaliter bis feliciter triumphavit, et quasdam eorum urbes pugnando [l] subegit, residuas intra fretum omnes exinanivit, quas gens Gothorum post in suam redegit facile ditionem. Tantæ clementiæ extitit erga victos, ut quos hostilis potentia mancipaverat servituti, dato pretio restitueret libertati, eiusque thesaurus redemptio exsisteret captivorum. Hunc alii proprio morbo, alii immoderato medicaminis haustu, alii veneno asserunt decessisse: cuius exitus non solum religiosis, sed etiam optimis laicis exstitit luctuosus. Huius temporibus nefandus Mahomet nequitiam sectæ suæ stultis populis prædicavit. Obiit itaque Sisebutus relicto filio Recaredo parvulo, qui post patris obitum Princeps paucorum dierum, id est septem mensium, consummatur. Huius vitæ brevitas nihil habuit memoria dignum.

(k) Compl. *consepios.*

(l) Compl. *subiecit.*

De Suintila, et Rechimiro filio ejus.

CAP. XVIII.

Gloriosissimus Suintila filius Regis Recaredi suscepit divina gratia regni sceptrum Æra DCLXIII, et regnavit annis X. Iste sub Rege Sisebuto ducis nactus officium castra domuit Romanorum. Rucones etiam superavit. Postquam vero regni apicem est adeptus, urbes residuas quas in Hispaniis manus occupaverat Romanorum, conserto prœlio obtinuit, et subiecit, auctamque triumphi gloriam præ ceteris Regibus felicitatem mirabiliter reportavit. Totius Hispaniæ monarchiam intra fretum Occeani, quod nulli retro Principum est collatum exclusis Romanis, primus obtinuit inter Gothos. Auxit eo prœlio virtutis eius titulum duorum Patriciorum obtentus, quorum alterum prudentia suum fecit, alterum virtute prœlii subiugavit. In initio regni incursus Vasconum coarctavit, qui Tarraconensem provinciam infestabant. [m] Montivagi ubi populi adventus eius terrore perculsi, confestim quasi debita iura noscentes, remissis telis et complosis ad precem manibus, supplices submittunt ei colla: Oligitis civitatem Gothorum stipendiis suis et laboribus, ut eis parceret, fabricarunt, (hanc quidam dicunt Olorum, quidam Olitum) pollicentes iurisdictioni parere, et imperio obedire. Præter has militaris gloriæ laudes plurimæ in eo virtutes regiæ effulsere, fides, prudentia, et industria, in iudiciis examinatio provida, in regimine cu-

Æra 663.

(m) Al. *Ubi Montivagi populi*: Al. forte melius *Ubi moti vagi populi.*

cura præcipua, circa omnes largitas læta, erga inopes misericordia semper prompta, ita ut non solum Princeps populorum, sed etiam pater pauperum vocaretur. Toleti propria morte decessit Æra
Æra 673. DCLXXIII. Huius filius Rechimirus in consortio regni assumptus pari cum patre solio corregnavit, in cuius infantia ita sacræ indolis splendor enituit, ut in eo et vultu et mente paternarum virtutum effigies appareret. Isto fere cum patre mortuo, superstites remansere alii duo filii Suintilæ Sisenandus et Cindasvindus, quos susceperat ex Theodora filia supradicti Principis Sisebuti. Sed beatus Isidorus, Gothorum historiæ descriptor egregius, usque ad quintum annum Principis Suintilæ fuit seriem historiæ prosecutus, et quarto anno regni Scintilæ, non dico Suintilæ à quo tertius fuit iste, cum beatus Isidorus in Hispalensi Ecclesia sollemnia celebrasset, et populum sibi commissum cœlestis frumenti adipe satiasset, se eorum orationibus commendavit, et ultimum vale dicens, obitum suum quem prophetice noverat, revelavit. Obiit itaque quarto [n] Principis anno, Æra DCLXXXI. secundo nonas Aprilis. Æra 681.

(n) Compl. prædicti Principis.

De Sisenando, et Cintila, et Conciliis eorum temporibus celebratis, et de Tulga.

CAP. XIX.

Post Suintilam et Rechimirum filium eius cœpit regnare Sisenandus Æra DCLXXIII, et regnavit annis quinque et mensibus XI. Æra 673.

Iste per tyrannidem [o] in Gothorum solio collocatur. Qui anno regni tertio sui, LXVIII. Galliæ et Hispaniæ apud Toletum Episcopis [p] congregatis cum absentium vicariis et palatii senioribus in Ecclesia Sanctæ Leocadiæ Virginis et Martyris Christi, exstante adhuc Isidoro Hispalensi Episcopo, et in multis iam libris fulgente mirifice, de diversis causis Concilium celebravit sub Iusto urbis regiæ Primate, et subscribunt ibi Isidorus Hispalensis, [q] Selva Narbonensis, Iulianus Bracarensis, Audax Tarraconensis, Imirus vicarius Emeritensis, et suffraganei eorum, et fuerunt omnes LXVIII, et istud fuit quartum Concilium Toletanum. Post mortem Sisenandi [r] Cintila Gothis præficitur Æra DCLXXIX. uno anno mensium numerato regnans quatuor annis. Æra 679. Hic quintum Concilium Toletanum Episcoporum XXIIII. procurat sub Eugenio regiæ urbis Primate. Ubi non solum de rebus mundanis, verum etiam de divinis multa ignaris mentibus à lumine gratiæ sunt infusa. Quanta vero Sanctorum congregatio cum Episcoporum vicariis assistentibus, et cum senioribus palatii qui digni interesse concilio habebantur, exstitit aggregata in Ecclesia Sanctæ Leocadiæ Virginis, liber canonum gloriose declarat. Huic Synodo Braulio Cæsaraugustanus Episcopus præ ceteris illustris effulsit, atque piam doctrinam christianis mentibus decenter infudit, cuius et opuscula nunc usque Ecclesia veneratur. Huius eloquentiam Roma, urbium mater et domina, per epistolare alloquium est mi-

(o) Compl. in regni Gothorum.

(p) Al. aggregatis: ita etiam Compl.

(q) Tol. Silva.

(r) Compl. Cyntila.

Digitized by Google

mirata. Et in hoc Concilio subscripsit [s] Selva Tarraconensis, et aliqui de suffraganeis suis et [t] vicariis absentium Episcoporum. Sextum Concilium de observatione fidei catholicæ et aliis ecclesiasticis disciplinis fuit tempore eiusdem Principis Cintilæ celebratum sub Eugenio urbis regiæ metropolitano et Primate, subscribentibus Selva Narbonensi, et Iuliano Bracarensi, et Honorato Hispalensi, et Protasio Tarraconensi, et eorum suffraganeis, et vicariis absentium Episcoporum. Mortuo Cintila, Tulgas, bonæ indolis et radicis Gothorum, regnum suscepit Æra
Æra 683. DCLXXXIII, et regnavit duobus annis. Iste blandus et catholicus in omnibus est inventus. Regna sibi subdita pacifice dilatavit. In iudicio rectus iudex, claruit largitate, [u] magna fuit lenitate. [x] Synodos à suis prædecessoribus confirmatas simili auctoritate confirmavit. Doleat gens Gothorum tam cito talem indolem amisisse, cunctis flentibus, quia flos tantæ indolis in fructum non adolevit. Toleti propria morte [y] decessit.

(s) Compl. non habet *Selva.*
(t) Compl. *vicarii.*
(u) Compl. et Al. *præfuit lenitate.*
(x) Compl. *Synoda à suis decessoribus confirmata.*
(y) Compl. *discessit.*

De Cindasvindo, et inventione Moralium per Taionem Episcopum.

CAP. XX.

Post Tulgam Cindasvindus per tyrannidem regno Gothorum invaso cœpit Iberiæ triumphaliter
Æra 685. principari Æra DCLXXXV, et regnavit annis decem. Hic in Toletana urbe Synodale decretum XXX. Episcoporum cum omni clero, et vicariis eorum Episcoporum quos languor vel inopia detinuerat, et cum palatino collegio quod interesse collegiis [z] merebatur, anno regni sui quinto indixit laudabiliter celebrandum, discurrentibus tantum notariis quos ad recitandum ordo requirit: et hoc fuit septimum Concilium Toletanum sub Eugenio metropolitano et Primate urbis regiæ celebratum XV. calendas Novembris, [a] de refugiis et præsidiis, [b] ecclesiasticis disciplinis: et interfuerunt, et subscripserunt Orontius Emeritensis, Antonius Hispalensis, Protasius Tarraconensis, et eorum suffraganei, et absentium vicarii, omnes numero XL. Et fuit in hoc Concilio magna turbatio, eo quod liber Moralium quem beatus Gregorius ad petitionem beati Leandri [c] composuerat, deperditus negligentia in Hispaniis non exstabat. Unde et idem Princeps, sacro Concilio approbante, Taionem Cæsaraugustanum Episcopum, religione et litteratura præstantem, et sollicitum Scripturarum, ad Romanum Pontificem cum sua petitione pro libris Moralium navigio destinavit, et dum à Papa de die in diem responsio differretur, quasi in armario Romanæ Ecclesiæ præ multitudine voluminum non posset quæsitum de facile reperiri, orationis causa Taio Episcopus in Basilica Apostolorum Principis pernoctavit: ab ostiariis Ecclesiæ conniventia est petita; at ubi impetravit, circa noctis medium cum se lamentis nimis ante beati Petri loculum irrigasset, [d] et mox luce missa cœlitus adeo tota Ecclesia illustratur, ut nec modicum quidem luminaria

(z) Compl. *merebantur.*
(a) Compl. et Al. *De Refugiis et perfidis clericis, sive laicis, et aliis ecclesiasticis disciplinis.*
(b) Tol. *de Ecclesiæ disciplinis.*
(c) Compl. *conscripserat.*
(d) Compl. non habet *et.*

 ria

Digitized by Google

ria Ecclesiæ relucerent, et tunc vidit Sanctorum agmina in voce psallentium introire. Denique ubi timore nimio Episcopus territus, et quasi exanimis iam iaceret, oratione ab eis completa, ex illa Sanctorum curia ad eam partem in qua Episcopus consistebat, duo senes in dealbatis vestibus accesserunt, et cum eum iam pene mortuum invenissent, ad statum pristinum reduxerunt dulci alloquio salutatum. Cumque interrogarent ob quam causam à tam remotis partibus advenisset, aut cur in ea Basilica sic vigiliis institisset, et quasi inscii omnia quæsivissent, Episcopus multis eloquiis consolatus, fiducialiter sic est fatus: "Obsecro domini, qui »sunt illi, et quæ Sanctorum illa »caterva quæ sese tanto lumine »comitetur?" Cui dixerunt: "Duo »Principes quos cernis manibus se »tenere, sunt Petrus et Paulus »Apostoli Domini nostri Iesu Chri»sti: ceteri successores eorum qui »in ista Basilica requiescunt." Cumque causam, cur venerat, explicasset, et percunctatur, qui essent ipsi qui ad eum venerant consolandum, alter eorum respondit: "Se esse Gregorium, pro cuius »libris devotissime laborasti, et ideo »venimus, ut quod expetis, re»velemus." Dixeruntque: "In ar»mario librorum et theca penul»tima invenies quod requiris." At ille pro oraculo lætus quærit, si in illa tam sancta multitudine Sanctus Augustinus adesset, pro cuius libris non minori quam pro libris beati Gregorii desiderio tenebatur. Tunc ille vir clarissimus, et omni spectatione gratissimus, inquit: "Augustinum quem quæ»ris, altior nobis continet locus." Certe ubi ad eorum pedes cœpit proruere, citius ab eius oculis senes Sanctissimi cum luce qua venerant, abiere, ipso et ostiariis simul territis vehementer. Cumque sequenti die visionem Romano Pontifici revelasset, in Apostolorum Sede venerabilis Taio exstitit gloriosus qui antea despicabilis habebatur: et reperto libro prout Sanctorum oraculum [e] revelarat, recepta benedictione Papali, ad suum Principem est reversus, libro, gaudio, et gloria comitatus, habitus Romæ et in Hispaniis venerandus.

(e) Al. *revelavit.*

De morte Cindasvindi, et Primatu Ecclesiæ Toletanæ.

CAP. XXI.

Cindasvindus Recensvindum filium suum regno Gothorum præponit, regnans per se annis sex, mensibus novem, et cum filio suo Recensvindo annis quatuor, diebus quindecim. Iste à Romano Pontifice obtinuit privilegium, ut secundum beneplacitum Pontificum Hispanorum Primatiæ dignitas esset Toleti, sicut fuerat ab antiquo: et per [f] multas Synodos cum Episcopis celebratas Ecclesiam erudivit. Huius tempore ab omni perturbatione Hispania conquievit, adeo ut nullus in ea infidelis reperiretur, vel qui arma sumeret rebellandi: libros Sanctorum Patrum diligenter fecit perquiri, et instituta beati Isidori firmiter observari. Hic perfidum Theodistum Hispalensem Episcopum Synodali sen-

(f) Al. *multa synodia cum Episcopis celebrata Ecclesiam erudivit.* Compl. ita etiam legit, sed pro *synodia* habet *synoda.*

Digitized by Google

sententia in [g] exilium misit, et dignitatem Primatiæ quam ab antiquo habuerat, totius approbatione Concilii Toletanæ Ecclesiæ confirmavit. [h] Obiit Toleti.

De Recensvindo, et Conciliis eius tempore celebratis, et de Sancto Ildefonso.

CAP. XXII.

Recensvindus post mortem patris successit in regno Æra DCXCV, et regnavit annis XVIII. et mensibus XI, in universo XXIII. annis. Sed [i] quini anni ei in ordine temporum non computantur, quia patri cui corregnaverat, numerantur. [j] Restat ut ei decem et octo anni et menses undecim computentur. Hic ter Concilia, clarente Eugenio urbis regiæ metropolitano, Toleti instituit celebrari XLVI. Episcoporum cum infinito clero, et vicariis desistentium, atque officiariis dignissimis palatinis in Basilica prætoriensi Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum. Et non solum de mundanis actibus, verum etiam Sanctæ Trinitatis [k] Mysterio animas instituit ignorantes. In diebus huius anno quinto regni eius fuit octavum Concilium Toletanum, præsentibus et subscribentibus Orontio Emeritensi, Antonio Hispalensi, et Potamio Bracarensi, et eorum suffraganeis, necnon et Episcopis provinciæ [l] Narbonensis et Tarraconensis, sub Eugenio Toletano Pontifice et Primate sollemniter celebratum, et fuerunt numero LII. Episcopi, et X. vicarii absentium, et plures Abbates, et XVI. de viris illustribus officii palatini: et ponuntur in serie eiusdem Concilii leges quædam à prædicto Recensvindo Principe promulgatæ. Nonum Concilium Toletanum fuit tempore eiusdem Principis anno VII. regni sui sub Eugenio urbis regiæ Pontifice celebratum, præsentibus et subscribentibus Episcopis aliarum provinciarum numero XVI, et vicariis absentium, et [m] viris illustribus ex officio palatino. Decimum Concilium Toletanum fuit tempore eiusdem Principis anno VIII. regni sui, et sub Eugenio Pontifice celebratum, et [n] subscripserunt [o] Fugitinus Hispalensis, Fructuosus Bracarensis, et suffraganei, et vicarii aliorum numero XXV. Hic fidem catholicam ex corde diligens, à sciolis sanctæ Scripturæ petebat, dubia Scripturarum et articulos fidei declarari, adeo quidem cum divinæ Scripturæ semper collatio delectabat: altaria Christi ornamentis variis decorabat. Huius temporibus eclipsi solis, stellis meridie apparentibus, omnis Hispania territatur, atque incursationem Vasconum non cum modico exercitu repulit sine damno. Recensvindus itaque cunctos mire dilexit, et à cunctis dilectus fuit. In villa propria quæ tunc [p] Gerticos, nunc Bamba dicitur in territorio Palentino, obiit calendis Septembris, ibique sepultus fuit Æra DCCXIII. Nono huius Recensvindi Principis anno suscepit Sanctus Ildefonsus pontificatum Ecclesiæ Toletanæ. Fuit autem beatus Ildefonsus genere nobilis, discipulus beati Isidori, monachus professione, vir per omnia laudabilis, et præcipuus sanctitate, demum-

Æra 695.

Æra 713.

(g) Compl. et Al. *exulavit* pro exulare fecit.
(h) Compl. *Toleto*.
(i) Compl. *quinque*.
(j) Compl. *restat ergo ut*.
(k) Compl. *Mysterium animas instruit ignorantes*.
(l) Al. *Narbonæ et Tarraconæ*.
(m) Compl. *pluribus*.
(n) Compl. *subscribunt*.
(o) Al. *Fugitivus*.
(p) Al. *Genticos*.

mumque Pontifex Toletanus. Huius tempore cum Helvidius et Pelagius à Galliis venientes, plerasque partes Hispaniæ infecissent, virginitatem beatæ Virginis infamantes, beatus Ildefonsus illis occurrens sacrarum Scripturarum testimoniis, et lingua melliflua, et gratia in labiis suis diffusa, eorum dogmata confutavit, et ab Hispaniis confusos abegit. Unde et in festo gloriosæ Virginis, quod in Hispaniis XV. calendas Ianuarii celebratur, cum ipse ad matutinale officium comitatus clero et populo et multis luminaribus ad Ecclesiam convenisset, apparuit ei beata Virgo choris Apostolorum, Martyrum, atque Virginum comitata, et sic ait: "Quia fide certa, "conscientia pura, lumbos tuos vir"ginitatis cingulo cinxisti, et gra"tia labiis tuis diffusa virginitatis "meæ gloriam in cordibus fidelium "depinxisti, accipe vestem de the"sauris Filii mei, ut [q] etiam in hac "vita vestimento gloriæ adorneris, "et ea in meis et Filii mei solle"mnitatibus vestiaris." Et his dictis, cum glorioso cœtu quo apparuerat, ad gloriam Filii remeavit. Beatus autem Ildefonsus de promissis securus suscepto munere lætus remansit. Hac autem veste nullus post eum uti præsumpsit, nisi Sisibertus Archiepiscopus qui culpa sua ab illa sede propulsus, fuit exilio relegatus. Sedit autem novem annis, et duobus mensibus in cathedra Toletana, et expleto XVIII. Recensvindi Principis anno, qui sine patre Cindasvindo XVIII. annis regnaverat, X. calendas Februarii vitam finivit Toleti, et in Ecclesia beatæ Leocadiæ ad pedes beati Eugenii [r] decessoris sui cum magna reverentia est sepultus: et multa de operibus quæ conscripsit ante pontificatum, et cetera post pontificatum miro eloquio consummavit, aliqua etiam morte præventus imperfecta reliquit. Et quia divina gratia perfuderat os illius, Ildefonsus os aureum dicebatur, et etiam quia in diversis libris melliflue loquebatur, et de virginitate beatæ Virginis nitido politoque eloquio peroravit. Ancora fidei eius tempore in tota Hispania, [s] Gothica Gallia roboratur: et libri ab eo editi postquam fuere in Conciliis lectitati, et ab omnibus approbati, tamquam cibi divinæ gratiæ in fide pusillanimes refecerunt. Et cum beatus Isidorus scripsisset Gothorum originem usque ad quintum annum Regis Suintilæ, S. Ildefonsus scripsit tempora Gothorum, Alanorum, Vandalorum, et Suevorum à quinto anno Suintilæ usque ad octavum decimum Recensvindi, [t] (et Isidorus iunior qui à principio mundi incipit chronica, usque ad octavum decimum Recensvindi annum fideliter prosequutus, et usque ad destructionem Hispaniæ per Arabes ipse scripsit.)

(q) Compl. et Al. *iam.*

(r) Al. *prædecessoris.*

(s) Compl. *et.*

(t) In Tol. desunt, quæ in parenthesi de Isidoro iuniore narrantur.

LI-

LIBER TERTIUS.

De regno Bambæ.

CAP. I.

Defuncto itaque Recensvindo, ibidem ab omnibus Bamba vir nobilis, de Gothorum nobili genere, strenuus, pacificus, mansuetus, qui ante regni fastigium multorum revelationibus celebris habebatur, ad regni fastigium unanimiter sublimatur Æra DCCXIV, et regnavit annis novem, mense uno, et quamvis renuens et invitus, demum tamen minis et terroribus vix consensit, sed decrevit se à Regis nomine temperare, donec in maiori Ecclesia urbis regiæ unctionis reciperet sacramentum. Mox igitur à principibus Toletum ducitur, et in primate Ecclesia beatæ Virginis à Quirico eiusdem Pontifice in Regem omnibus annuentibus consecratur, (et omnes in electione eius promissione spontanea subscripserunt, et fidem ei et patriæ iuraverunt, et Paulus futurus proditor subscripsit cum aliis) et iuravit, [u] et iam cultu regio insignitus, ante altare divinum fidem catholicam est professus, et iuramento leges et consuetudines iuri consonas confirmavit. Et in ipsa hora qua à Pontifice ungebatur, cunctis cernentibus visus est vapor ab eo loco, ubi unctionis oleum fundebatur, in modum [x] virgæ funeæ ascendisse, et visa est apis de eius capite [y] prosiluisse, et ad cœlos continue volitasse. Et qui diligentius cogitabant, intelligebant per eum Gothorum regnum feliciter exaltandum, et in pacis dulcedine gubernandum.

Æra 714.

(u) Compl. *iam.*

(x) Compl. et Al. *virgulæ fumeæ.*

(y) Tol. et Compl. *prosiliisse.*

De rebellione Hilderici.

CAP. II.

Sed quia novitas perturbationibus raro caret, [z] in primo anno regni eius turbatio non modica excitatur. Nam Hildericus qui Nemausensis urbis Comitatum tenebat, faventibus sibi [a] Gumildo pernicioso Magalonensi Episcopo et Ranimiro Abbate, contra statuta Gothorum Iudæos in patriam revocavit, et virum venerabilem Aregium Nemausensem Episcopum rebellionis suæ vecordia nisus est irretire, quem quia non potuit laqueare, à sede expulsum Francorum manibus tradidit illudendum, et Ranimirum Abbatem perfidiæ socium in pontificatu exulis subrogavit, et à duobus Episcopis proditionis consortibus fecit contra statuta canonum consecrari. Demum à temeritatis insania non verentes Hildericus Comes, Gumildus Magalonensis, Ranimirus Nemausensis intrusus, coniuratione iterum innovata, à monte Camesi usque ad Nemausum terram dividunt, coniurationis complices adsciscentes, ut fidelitatem infidelitas superaret, et furoris sui vesania non contenti, cives et agricolas qui adventum Bambæ no-

(z) Tol. *et in primo.*

(a) Al. *Gumilo* alibi *Gumello.*

novi Principis expectabant, cœperunt prædis et vastationibus lacessere. Quod cum ad Regis notitiam pervenisset, misit illico cum exercitu Paulum ducem qui ex Græcorum prosapia nobili ortus erat, sed gentis suæ versutiam non oblitus, cœpit remissius agere, et militum corda qui accensi ad prœlium veniebant, ut regni iniuriam vindicarent, à gradu propero retardabat, et persuasionibus inclinabat, dicens, impedimenta Principis militantibus expedire. Et iam publice fidem promissam Bambæ Principi violavit, et ut ad optatum fastigium perveniret, Renosindum Celtiberiæ ducem et Hildisum adhuc in palatino officio consistentem arcano consilio circumvenit, ut suis insidiis consentirent. Simulabat enim sui desiderii virus occultans contra rebelles regiæ potestatis exercitum circumferre: quod vir magnæ sanctitatis (b) Argebatus Antistes Ecclesiæ Narbonensis sollerter percipiens, nisus est præcludere aditum civitatis. Sed et hoc ipsum ad notitiam Pauli venit, et anteaquam reverendus Antistes, quod fideliter cogitaverat, effectui manciparet, Paulus portas Narbonæ præcursoribus militibus occupavit, et circumfusa exercitus multitudine, habita concione, cœpit iniurias in Antistitem retorquere, eo quod urbis ingressum nisus fuerat impedire.

(b) Compl. *Argebadus.*

De proditione Pauli.

CAP. III.

Et cum iam corda fere omnium inclinasset, rebellionem contra regiam maiestatem quam corde conceperat, publice denudavit, iureiurando promittens Bambam pro Rege se nullatenus habiturum, nec in eius consistere famulatu, sed suasit, ut Regem ex se ipsis eligerent, cui et ipse, ut ceteri, in omnibus obediret. Ad hæc Ranosindus factionis conscius sic respondit: "Regem nolumus nisi Paulum, et ipsum in Regem eligimus, et ei ut Principi obedimus." Tunc omnes coniuratione astricti illud idem voce publica acclamarunt. Paulus vero fidelitatis immemor, ambitione anhelus, præsumptione superbus, consensit crimini proditorum, et mox regalibus insignibus insignitus, omnes sibi allicuit iuramento sub eadem forma qua ipse cum aliis Toleti iuraverat Bambæ Regi. His peractis regnum obtentans, alios minis, alios donis, alios pœnis sibi alliciens, Francos et Vascones datis muneribus ad sui auxilia incitavit. Hildericum Comitem, (c) Gumildum, Ranimirum Pseudopontifices de facili suæ perfidiæ sociavit: et nec solum Gallia Gothica, sed et pars Celtiberiæ acquievit consilio proditorum. Paulus vero tantorum coniurationibus iam securus se cœpit parare, ut intraret Hispanias proditor contra dominum pugnaturus, et regni confinia invasurus. Dum hæc agerentur, Vascones quietis ignari loca Pyrenæi et Cantabriæ invaserunt rapinas agentes, ut eius gentis (d) etiam hodie facta et desideria attestantur, qui libenter rapiunt aliena. Quod cum ad Bambæ notitiam pervenisset, contra iniuriosos de iure procedens, à finibus Cantabriæ et Pyrenæi confusos abegit.

(c) Compl. *Gumellum.*

(d) Tol. non habet *etiam.*

De

(e) Al. *proceſſu.*

De (e) *proceſſibus Regis contra Paulum.*

CAP. IIII.

Regem autem in finibus Cantabriæ commorantem à partibus Galliæ perculit celer rumor de (f) rebellatione Pauli et Hilderici. Cumque illuſtribus palatii rumoris inſtantiam revelaſſet, bifarie conſilia dividuntur: alii redire ad patriam, et ampliorem ſumere apparatum, contra proditores patriæ proceſſuri: alii ſuadebant, ut incontinenti procederent perfidos invaſuri. Cumque Regis catholici ſollers cura conſilia nutantia audiviſſet, ſuos magnanimus ſic affatur: "Quid Paulus et ſui attentaverunt, iam audiſtis: eos ergo expedit præveniri, ne creſcat incendium tanti mali; et Gothorum gloriam non deceret repetere propria, donec tanti facinoris iniuria vindicetur; (g) et pudendum eſſet, ut Paulus proditor qui fraude non armis patriam ſupplantavit, Gothorum gloriæ audeat repugnare, et qui imbellem gentem pro quiete patriæ non valuit ſubiugare, Gothorum (h) militiæ hoſtem ſe audeat exhibere, quaſi nulla virtute eius tyrannidi reſiſtere valeamus, cum à ſæculis Gothorum magnalia omnes populi omneſque Principes ſint experti. Etſi enim de Francorum viribus Paulus præſumat, claret clare, quod ſæpe Franci invaſi ab hoſtibus, Gothorum auxilia implorarunt, et eorum beneficiis ſunt erepti. Si quando et prœlium interceſſit, ſemper Gothi ſuperiores Gallicis ſunt inventi. Properemus igitur reſiſtentium contubernia devaſtare, ut armis impares armis duplicibus devaſtentur: et glorioſius erit etiam deficientibus alimoniis arma (i) capeſſere, quam abundantiæ ignavia detorpere. Iuvat et quod Gothorum nobilitas ſemper donavit nobiles libertate, quos Franci ſervitute (j) crudeliſſima oppreſſerunt. Ab hinc ergo Vaſconum cladibus accedamus, et per eos ad ſeditioſorum interitum properemus." His auditis exercitus gratulatur, et accenſis animis Gothorum gloriam æmulatur, et ſciſſuram patriæ reſarcire viribus meditatur; et tranſitum faciens per Calagurram et Oſcam, per vallem Pyrenæi, quæ (k) Aſpa dicitur, Vaſconias ſunt aggreſſi, quas per dies aliquot devaſtantes, et eorum campos incendiis concremantes, et caſtra plus lignea, quam lapidea fabrica elevata pugnis et machinis deiecerunt, ita ut qui ſe adiutores Paulo ſpoponderant, depoſita feritate, vitam ſervari, pacemque largiri, datis obſidibus poſtularunt, quas non tam precibus, quam muneribus vix potuere à Principe obtinere. Et acceptis obſidibus et tributis, paceque firmata, Rex Bamba et ſuus exercitus ad Galliam proceſſerunt, et diviſit exercitum in tres manus: unam partem verſus Ruthenum et Albam Aquitaniæ civitates, cui præfecit Deſiderium nepotem ſuum qui tunc temporis in (l) Narbonenſi habebatur: aliam partem verſus Auſoniam contra eos qui faventes Paulo in Celtiberia rebellarant: tertiam vero per viam Toloſæ verſus Narbonam, (m) Biterram, et Agatham deſtinavit.

G Rex

(f) Compl. *rebellione.*

(g) Compl. et Tol. non habent *et.*

(h) Tol. *militis.*

(i) Compl. *capeſcere.*

(j) Tol. *nobiliſſima.*

(k) Al. *aſpera.*

(l) Al. *Narbonæ provincia.* Compl. legit *in Narbonenſi provincia.*

(m) Al. *Biterram.*

Rex autem cum potiori multitudine eam manum quæ per Ausoniam iverat, sequebatur. Sed quia inimicus bonorum operum semper nititur in bonis operibus zizaniam seminare, quidam de exercitu rapinis et adulteriis delectati, etiam domos incendiis consumebant, quod Rex iustus ita acriter vindicavit, ac si læsæ maiestatis criminis essent rei, ut ceteris fieret exemplum, ne similia attentarent; et alloquens exercitum peroravit: "Cum bellum immineat, non licet »illicitis implicari, quia Dei be»nignitas est omnis immunditiæ »execratrix. Cavendum est ergo, »ne Dei iudicium facinoribus pro»vocemus, et non viribus hostium, »sed nostris sceleribus consterna»mur, et quod Gothorum gloria »armis efficere consuevit, nostris »excessibus amittamus; et ego qui »præsum, merito confusioni sub»iaceam, si impunita facinora de»relinquo. In Domino igitur con»fidentes, purgati à crimine pro»cedamus." Cumque [n] Barcinonem pervenisset quæ erat una de rebellantibu , eam incursu celeri acquisivit, [s] in eadem capiens satellites repugnantes, scilicet [p] Euredum, Pompedium [q] Guntifredum, Vulsum diaconum, et Naufredum. Deinde Gerundam incursu simili subiugavit, ubi fuere ei litteræ præsentatæ, quas Paulus proditor Amatori eiusdem urbis Antistiti miserat sub his verbis: "Audivi quod Rex Bamba cum »exercitu ad vos venire disponat, »sed tua prudentia non conturbe»tur, (nec enim hoc fieri puto) »et tamen quem primum de no»bis ambobus ibi tua sanctitas cum »exercitu viderit accedentem, »ipsum se credat habere domi»num, et in eius [r] debet persi»stere caritate." Hæc miser scripsit, nescius quod contra se iustum iudicium proferebat. Unde et verba rescripti Rex Bamba considerans, dixit ei, non in his scriptis Paulum à semetipso locutum, sed nescientem prophetasse.

(n) Compl. *Barchinoniam.* Al. *Barchinonam.*

(o) Tol. *et.*

(p) Al. *Euredium.*

(q) Al. *Gundifridum.*

(r) Compl. *debeat.*

De transitu Pyrenæi.

CAP. V.

Egressus itaque Princeps à civitate Gerunda, conserto exercitu, venit ad municipium Pyrenæi quod [s] Cauco liberi nuncupatur, ubi est portus maris navigantibus commodus et securus. Ibi etiam Pyrenæus mari finitur. Et castra alia [t] Vultuariam et Libyam sibi subiecit, quæ quidem castra auro, et argento, et sericis, et bonis aliis abundabant, quæ omnia exercitui advenere, glorioso Principe manus ab his omnibus continente. Unde et ad serviendum sibi animos omnium inflammabat. Cumque ad castrum Libyæ quod est caput [u] Ceretaniæ, pervenisset, Hyacinthus Episcopus Helenensis cum [x] Aragisclo sibi castrum capere nitebatur, sed nec castrum capere potuit, nec Bambæ Principis manus evasit. Missisque duobus ducibus cum parte exercitus, Rex Bamba castrum quod Clausura dicitur, eisdem decertantibus occupavit, captis ibidem Ranosindo et Hildigiso cum multo agmine perfidorum qui ad defensionem castri convenerant fastuosi, [y] quos iidem duces,

(s) Al. *Colibre.*

(t) Compl. *Vulturariam.*

(u) Compl. *Cerritaniæ.*

(x) Al. *Aransctio.*

(y) Tol. *quod.*

Digitized by Google

ces, post terga manibus alligatis, glorioso Principi præsentarunt. Victimirus etiam unus ex perfidis qui se in Sardonia [a] receptarat, relicto castro aufugit timidus in Narbonam, et Paulo usurpato Principi facta Bambæ Principis nunciavit, qui corde solutus, ut fuerat particeps factionis, sic fuit etiam et timoris. Unde et à Narbona fugiens servili animo consternatus, adventum Principis non sustinuit expectare, et Victimiro qui à Sardonia fugerat, tuitionem Narbonæ commisit, relictis ibi Ranimiro Pseudoepiscopo, Argemundo, et Gultritione primicerio, qui etiam Ranimirus, viso exercitu, antequam civitas inciperet expugnari, fugam petiit, sed mox in territorio Biterrensi capitur, et reducitur fugitivus. His igitur munitionibus occupatis, gloriosus Bamba fatigatum exercitum et manum quam per Tolosam miserat, recollegit, et se et suos donans quieti, biduo ibi mansit. Cumque exercitus úndique convenissent, manum unam misit per mare, ut Narbonam navali impetu coarctarent. Ipse vero quatuor præmisit principes cum electo exercitu armatorum, qui Narbonam machinis impugnarent, cumque ad muros urbis principes pervenissent, secundum legem oblata pace, salutem, si se Regi redderent, pollicentur. Victimirus autem qui pro Paulo inibi rebellabat, cœpit Regem conviciis lacessere, et ceteris mortis periculum et Pauli potentiam minitari. Quod Gothorum animositas impatiens tolerare, incanduit animis, et ora blasphemantium iaculis impetivit. Immanis utrinque pugna conseritur, et alternatim sagittarum immissionibus impetuntur, et dum ab utrisque fortiter agitur, à Regis exercitu tot lapidum ictibus civitas infestatur, ut videretur omnibus quasi alluvione grandinis subvertenda. Per quatuor enim fere horas à fundibulariis sic fuit civitas infestata, ut nec quidem respiraculum superesset. Tunc Gothorum agmen virtute magnanima dilationem victoriæ non præstolans, ad portas urbis fiducialiter accesserunt, et succensis portis ingressi sunt civitatem. Tunc Victimirus ingressu Gothorum [a] turbatus, in Ecclesia beatæ Virginis se recepit, plus gladio quem manu tenebat, se [b] iactans defensurum, quam reverentia Aræ sacræ. Unus autem de exercitu audiens eum verbis superbiæ intonare, sumpta tabula invasit eum: sed miser et vilis corde dissolvitur, et [c] in terra cadens vivus capitur, et privatus gladio quem tenebat, vinctus ducitur, et cum his quibus urbem tueri decreverat, flagellis durissimis flagellatur. Civitate itaque triumpho nobili iam obtenta, et multis bellatoribus communita, Biterram et Agatham civitates victoria simili subiugarunt, comprehensis Agathæ Vilismundo Episcopo, et Aragisclo, et Ranosindo germano Episcopi Vilismundi. Post hæc contra Magalonam suas acies direxerunt: quod audiens Gumildus Pseudopontifex eius urbis, qui tunc aderat proditionis conscius, mente et animo consternatus fugam iniit, et Nemausum ad Paulum pervenit. Rex autem Bamba urbem exercitu circumfuso et navali prœlio sic arctavit, quod Ma-

(a) Al. *receptarat.*

(a) Al. *stupefactus.*

(b) Compl. *incitans.*

(c) Compl. *terram.*

galonam simili victoria subiecit, pariter et munivit.

De adventu exercitus ad Nemausum.

CAP. VI.

Post hæc contra Nemausum Gothorum acies diriguntur. Prima acies quatuor ducibus cum magno bellatorum agmine commendatur, in qua erat robusta iuventus fere triginta millium pugnatorum: et isti seduli præcursores, Regis exercitum præcedentes, in ortu auroræ Nemausi conspectibus advenerunt coram oculis conclusorum, clari nobilitate animorum, pariter et armorum. Erat autem Paulus Nemausi cum complicibus factionis et cum Francorum exercitu in auxilium advocato. Verum in eadem civitate cum Paulo [d] erant potiores, et qui tandiu eius perfidiæ pertinaciter adhæsere, donec cum ipso facti degeneres perierunt, Gumildus Episcopus, Fruiscus, [e] Flodorarius, Victimirus, [f] Ranimundus, Adosyndus, Adulphus, Maximus, et Gothila, et alia peccantium synagoga, quasi stuppa pertinacia simili colligata. At ubi venientem Regis exercitum conspexerunt, cum paucos crederent, in campo confligere decreverunt, sed suspicantes insidias superesse, eligunt in urbe rei exitum præstolari, præsertim cum crederent peregrina auxilia citius adventura. Ubi autem terris solis claritas est infusa, tubis clangentibus cœpit Gothorum exercitus muros urbis acriter impugnare, et eos etiam qui erant in urbe, fundis, iaculis, et sagittis exitialiter coarctare, et pugna simili qui interius resistebant, exteriorem exercitum impetebant, et æquali certamine tota die et tota nocte crudeli Marte undique concertarunt. Unus autem conspirationis particeps eminus ex muro proloquens, talia proclamavit: "Quid hic (inquit) »pugnæ insistitis morituri? Cur »ad lares proprios non reditis? Cur »ante tempus vitæ dispendium »procurastis? Cur prærrupta mon»tium, concava vallium, conden»sa nemorum, aspera collium non »requiritis? Ut cum auxilii nostri »advenerit fortitudo, possitis ibi »saltem ad modicum vitæ dispen»dio providere: nec ut terream, »sic peroro, sed vestræ miseriæ »condescendo. Imminent enim au»xilia adventitia, quæ tanto vos »durius extirpabunt, quanto vir»tute et multitudine præemine»bunt, et tertia dies est hodie, ex »quo ab illo exercitu huc adveni. »[g] Nec enim vestro Principe con»fidatis, quem vobis ostendam à »nostris auxiliatoribus captivatum. »Non ergo expedit pro eo ulte»rius decertare, quem forte iam »constat nostrorum gladio interiis»se, et cum nostra victoria vos »involverit, spes vobis veniæ nul»la erit:" nec hæc dicens bellantes terruit, sed ad pugnam potius animavit; ad murumque viriliter accedentes, pugnam acuunt acrius dimicantes. Et tunc ad Regem Bambam nuncios destinarunt, ut exercitus in auxilium properaret, ne forte adversæ partis auxilia prævenirent. Auditis nunciis, in noctis initio Rex Bamba præmisit cum Vandemiro duce decem mil-

(d) Compl. *aderant.*

(e) Tol. et Compl. *Flodoarius.*

(f) Compl. *Renemundus.*

(g) Compl. *nec in vestro.*

millia pugnatorum, qui tota nocte gradu propero incedentes, in ortu diei ad eos qui Nemausum obsederant, advenerunt, et quanto obsessoribus creverunt animi, tantum obsessis elanguidis fuit demptum. Cum enim viderunt hostibus exercitum accrevisse, [h] existimarunt Bambam Principem advenisse. Cumque Paulus in quandam turrim, ut exercitum conspiceret, ascendisset, deiectus animo sic est affatus: "Æmulum meum video » advenisse, quem in suis disposi» tionibus recognosco. Hæc sunt vi» res, hæc potentia, hic exercitus, » nec habet amplius quid spectet, » nihil est quod de cætero timeatis. » Famosa enim Gothorum virtus » qua gentibus [i] præeminebat, pe» nitus iam defecit, quia prœlian» di desuetudo torpore confecit » quos consuetudo assidua virtute » præfecit: et si ad certamen ve» niremus, facti degeneres potius » fugient, quam resistent." Ad hæc ex suis aliqui asserebant, Regem sine vexillorum insignibus non venire. Ad quod Paulus: "Ideo » (inquit) sine insignibus advenisse, » ut putaremus adhuc alium Re» gis exercitum superesse, et hoc » fraude agitur, ut quos bello non » sufficit, dolis eviret." Hæc Paulo dicente, cœpit tubis regalibus exercitus concrepare, et urbem variis insultibus infestare, sed qui intus erant, licet alia iactitarent, plus de muri fortitudine quam de suis viribus confidebant. Unde lapidum et iaculorum iniectionibus insistebant, et ingeminantes certamina rediviva, plus ipsi quam exterior exercitus lædebantur. Cumque pars Pauli sagittis, et fundis, et spiculis, et vulneribus graviter urgeretur, iam timore affecti, et animo consternati Paulo dixerunt: "Non » videmus Gothorum audaciam de» crevisse, non strenuitatem in eo» rum aliquibus defecisse, sed in» stans magnanimitas hoc confir» mat, quod gentis illius antiqua » nobilitas asseverat, et plagarum » et vulnerum profunditas iam nos » docet à quantis viribus infligan» tur, et excussio iaculorum non » prius percutit, quam extinguat, » [j] iactus lapidum simul vulnerat, » et occidit, præter instantiam sa» gittarum quibus nequeunt arma » resistere, vel cautela." Quorum Paulus dum verbis trahitur, desperationis iaculo figebatur.

(h) Compl. et Al. extimarunt.

(i) Compl. præeminebant.

(j) Compl. et Al. ictus.

De irruptione Nemausi, et desperatione Pauli.

CAP. VII.

Exercitus itaque Regis Bambæ reputans tardum, si victoria in crastinum differatur, accensis animis concitati fere usque ad horam nonam muros fortiter impugnarunt, portas urbis ignibus succenderunt, et muros irrumpunt, et in plerisque locis aditu patefacto occupant civitatem. Cumque inclusi non possent ferocitatem intrantium tolerare, in præsidium confugiunt arenarum, quod à Gothis fuerat antiquitus contra Romanorum potentiam obfirmatum: sed viri exercitus persequentes usque ad præsidium cædere non desistunt, adeo quod omnia fere habitacula et plateæ plenæ iacent cadaveribus mortuorum. Aliqui tamen de vulgo qui prædæ insistere ni-

Digitized by Google

nitebantur, adverso gladio perierunt. Cumque in parte Pauli dissensio oriretur, eo quod incolæ proditionem in suorum aliquos retorquebant, mutuis [k] vulneribus concidebant, et adeo invaluit ista cædes, quod licet ipse Paulus quemdam esse de suis vernulis acclamaret, de manibus ferientium non potuit liberare. Unde et factus contemptibilis, tam ipse, quam sui qui cum eo ab Hispania venerant, ab omnibus incolis suspicioni et despectui habebantur. Verebantur enim, ne in suis capitibus admissam Bambæ Principis gratiam procurarent. Unde et rediviva concertatione concisi, mirabili spectaculo caterva prosternitur perfidorum, et qui Gothorum evaserant vim, armorum suorum gladiis ceciderunt, ita ut penetralia et abdita cadaveribus essent plena, aliqui etiam letali vulnere sauciati mortuorum effigiem simulabant. Paulus autem talia videns, tyrannidis ferocitate deposita, magna cordis miseria arctabatur, cum nec posset hosti resistere, [l] nec civibus subvenire. Vir autem quondam de familia Pauli calamitati compatiens, inquit Paulo: "Quid agis? Ubi sunt "consiliarii qui te ad tanti ludibrii "spectaculum perduxerunt? Quid "tibi profuit contra Regem et tuos "insurgere, cum nec te nec tuos "valeas adiuvare?" [m] Nec vir ille insultandi animo dicebat, sed memor beneficii ex compassionis amaritudine loquebatur. Tunc Paulus oravit, ut dolori confusionem non admisceret, et illico vir ille in gradu marmoreo, ubi talia proferebat, à Pauli militibus est occisus, licet frequenti lacrima Paulus diceret esse suum, et ut parcerent flagitaret, sed negligitur contemptui habitus, quasi continuo moriturus. Tunc Paulus omnino desperans, quæ superbe præsumpserat, regalia deposuit ornamenta, et ea die revoluto anno, hoc est in calendis Septembris, qua religiosus Bamba fuit ad regimen sublimatus, ea die fuit [n] eruptio civitatis, et Paulus regalibus spoliatus coronam deposuit cum fortuna. His igitur malis Paulus proditor tabefactus, tertia die postquam deposuit regni culmen, suis loquitur, ut mortis vale, aut vitæ consilium sibi darent.

(k) Compl. *se vulneribus.*

(l) Compl. et Al. *nec sibi nec civibus.*

(m) Al. *Hæc vir ille.*

(n) Compl. et Al. *irruptio.*

De legatione Argebadi Episcopi ad Regem.

CAP. VIII.

Tunc omnes communiter flagitant Argebadum Antistitem Narbonensem, ut Regi occurreret veniam petiturus. Hic eorum actibus non consensit, sed coactum duxerant à Narbona, et tamen pietate solita condescendens, suscepit officium supplicandi, et celebratis divini Mysterii sacramentis, eisdem sacris vestibus cum quibus Deo immolaverat, quarto ab urbe milliario exivit obviam Principi venienti. Et cum ad Regis præsentiam pervenisset, de equo descendens, coram maiestate regia se prostravit, quem Rex ut vidit, pietate motus illico substitit, et iussit à terra Pontificem elevari, et Pontifex voce flebili Principi supplicavit eiulans, atque dicens: "Peccavimus, inique egimus, nec *Iudith. 7. 19.*
"tan-

Digitized by Google

"tanti Principis venia digni sumus, "cum sit nostra iniquitas non tan- "tum terræ, sed cœlo etiam re- "velata, quia et promissæ fidei "pacta fregimus, et læsæ crimen "incurrimus maiestatis; sed pieta- "tis tuæ clementia condescendat, "et præstet (o) venia quod petitio "non meretur, ut ad internecio- "nem mucro non sæviat, et gla- "dius reliquias non extinguat, et "saltem remaneat seminarium in- "colarum: iube ergo cessare à san- "guine, quia pauci evasimus, et "pro paucis veniam postulamus; "si enim cito non peperceris, non "supererit cui parcas." Regis clementia his commota, vitam omnibus pollicetur salva iustitia tantæ culpæ. Pro tanta gratia præsul lætus addidit supplicare, ut ad iustitiam condonaret. Sed Rex inquit: "Quod iam dixi "penitus observabo, sed conditio- "nes alias non admitto: tibi autem "soli sufficiat me in omnibus pe- "percisse." Rex itaque propter nimiam instantiam aliquantulum indignatus, properavit ad arenarum præsidium capiendum animosus, eo quod audierat Francorum auxilia advenire. (p) Rege itaque cum exercitu procedente, armorum fulgor ex solis reverberatione præfulgidus terram quasi splendore duplici radiabat, et tantus erat decor exercitus, quod vix posset ei aliqua gloria comparari, cum maiores, mediocres, et iuvenes sic procederent ordinate, ut nullus esset qui à suo ordine dissideret, et specialibus vexillis quælibet acies signabatur. Fertur etiam Angelorum præsidia affuisse, et multis videntibus, pugnatorum animos erexisse. Cumque duæ manus quæ secum aderant, et illa quæ in Aquitaniam iverat, Principi advenissent uno ab urbe stadio, visione iam angelica roboratus, dispositis aciebus, corda suorum ad bellum excitat perfidorum; (q) invaluerat quippe rumor, Francos et Saxones qui in subsidium venerant obsessorum, ad belli dubia se parare: sed cum nihil esse Princeps strenuus comperisset, nisi quod aliqui qui nuper advenerant, talia iactitabant, mox præcepit, ut de caveis arenarum proditores cum sibi faventibus abstrahantur, ut vivi Principi præsententur. Bellatoribus autem iussa complentibus, Paulus cum complicibus mox extrahitur de abditis arenarum, et per murum fune depositus, à duobus ducibus capillis tractus, et ludibrio habitus Principi præsentatur. Quo viso, Rex magnificus prorumpens in lacrimas, cœpit Regem omnium collaudare, et protensis in cœlum manibus proclamavit: "O Rex omnium te collaudo, "qui humiliasti superbum, ut *Psalm. 88. 11.* "vulneratum, et in brachio vir- "tutis tuæ adversarios dispersisti." Sed mox Paulus ut faciem Regis vidit, soluto cingulo quo cingebatur, super terram coram Regis pedibus se prostravit, et collum cingulo propriis manibus alligavit. Iam enim exanimis et pavore perterritus, quid faceret, ignorabat, qui paulo ante se viderat gloriosum. Quum itaque ante Principem Paulus et complices sic iacerent, Regis compassio inquit ita: "Cur ad tantum malum vesaniæ pro- "rupistis, ut malum pro bono (r) be- "neficio redderitis? Vitam dono, "sed

(o) Al. *veniam.*

(p) Tol. et Al. *Rex.*

(q) Al. *invaluerat.*

(r) Compl. *beneficio.*

Digitized by Google

»sed sub arcta custodia præcipio »conservari, donec de vindicta iu»dicium agitetur.» Tunc traditi sunt per exercitum certis custodiis deputati. Francos autem et Saxones qui capti fuerant, iubet mitius pertractari. Erant enim nobiles, et stipendio, non odio trahebantur: quos omnes post diem octavum decimum, datis muneribus, suis terris restituit manumissos.

(s) Compl. et Al *Nomansi.*

De reparatione [s] *Nemausi, et restitutione Sacrorum.*

CAP. IX.

Post hæc autem Rex condolens dirutæ civitati, præcepit muros cum instantia reparari, et incensas ianuas renovari, et occisorum corpora sepeliri, et vulneratos medicorum officio confoveri, et thesauros omnes qui capti fuerant, sollerter inquiri, et cum diligentia custodiri, non cupiditate illectus, sed Sacrorum reverentia provocatus. Proditor enim Paulus timens, ne ærarium quod à Rege susceperat, sibi deficeret, Sacrorum spoliis ærarium augmentavit, et vasa aurea et argentea quæ habere potuit, de thesauris Domini sacrilegus infiscavit, et coronam auream quam Recaredus Princeps devotissimus Gerundæ ad altare beati Felicis obtulerat, vesanus Paulus suo capiti [t] usurpavit. Rex ergo Bamba sacra vasa quæ potuit reperire, præcepit suis Ecclesiis redonari. Tertia feria post victoriam, Paulus cum aliis qui erant custodiæ deputati, ligatus Principi exhibetur. Cumque vinculatus cum suis tribunali adsisteret: «Adiuro te [u] per fidem(inquit Prin»ceps) ut si te læsi in aliquo, aut »tibi malum occasione malitiæ pro»curavi, hic edisseras coram cun»ctis, ut contra me tantum faci»nus cogitares, et regni etiam api»cem attentares.» Mox Paulus coram omnibus protestatur, se à Principe nunquam læsum, nec in aliquo molestatum, sed suis beneficiis plus merito exaltatum, et quod fecerat, instinctu diaboli se fecisse. Similiter [x] et omnes factionis [y] complices responderunt. Tunc iubentibus senioribus et viris illustribus ex [z] officio palatino qui iudicialiter assistebant, prolatum est instrumentum Toleti confectum, in quo (sicut superius diximus) Paulus fidelitatem, sicut alii, Regi et patriæ iuramento et subscriptione manus propriæ roboravit. Allatæ sunt etiam et relectæ conditiones quibus iurare populum sibi fecit, ut ei inseparabiliter adhærerent, et ei fideliter obedirent, et tanquam Principem observarent, et contra Regem Bambam et defensores illius efficaciter adiuvarent, et contra deiectionem eius vel periculum usque ad effusionem sanguinis totis viribus dimicarent, et gloriosum Bambam infaustum Regem in concione sua sententialiter iudicarunt. His conditionibus et electione Bambæ in commune perlectis, à senioribus et viris illustribus iudicati sunt sententialiter Paulus et sui, Regis et patriæ proditores, eo quod in Regis mortem et patriæ exterminium coniurassent: unde et capitali sententia condemnantur. Sed Rex verax, pro-

(t) Al. *usurpaverat.*

(u) Al. *perfiste.*

(x) Compl. *et omnis factionis complices.*

(y) Al. *complures.*

(z) Tol. *indicio.*

promiſsi non immemor, præcepit eis vitam, sicut Archiepiscopo promiſerat, conservari, sed decalvationis opprobrio tunc confuſos, effoſsis oculis, præcepit in vinculis custodiri.

De fuga Lupi ducis, et metu Francorum.

CAP. X.

Iterum rumor increbuit ex adverso Francos et (a) Teutonicos contra Regem quantocius advenire. Quod Rex memor antiquæ iniuriæ suæ gentis gratanter accepit, experiri cupiens contra Francos. Unde et aliquandiu expectavit, sed falso rumore penitus expirante, deliberavit cum eis in eorum finibus experiri. Sed quia pacta pacis cum Rege Francorum (b) intercesserunt, noluit pacis fœdera violare: et tamen Francorum urbes quæ magnis munitionibus præeminebant, adventu Regis in Galliam Gothicam iam audito, ab eius facie timuerunt, et proprium excidium deplorantes, à propriis sedibus recesserunt, vitæ suæ latebrosis subsidiis providentes. Cumque Rex (c) Francorum à vastationis proposito iam cessasset, et Nemausensem urbem fossatis et muris fortissimis restaurasset, nuntiatum est ei, Lupum ducem de nobilioribus Franciæ Biterrense territorium devastare. Quod Rex audiens, cum exercitu properans, Lupi fugam voluit prævenire. Sed cum Lupus iuxta Villam quæ Asperianum dicitur, regressum Principis audivisset, tanto timore fugæ periculum meditatur, ut sui sibi, et ipse suis viderentur penitus iam deesse. Et partita fuga omnes sine comitatus solatio aufugerunt, prædas et spolia et divitias quas attulerant, hostibus reliquerunt, et multi quibus timor abstulit alas, capti postea (d) remanserunt, et tanta fuit celeritas fugientis, quod non potuit consequi studium subsequentis, et sic fugerunt ad abscondita latebrarum, quod pauci aut nulli potuerunt inveniri.

(a) Al. *Theutonicos.*

(b) Compl. *intercesserant.*

(c) Compl. et Al. *à Francorum vastationis.*

(d) Tol. *rem auferunt.*

De (e) reformatione provinciæ Narbonensis, et reditu Regis in Hispaniam.

CAP. XI.

Fugato itaque Lupo duce, Princeps victor felici regressu Narbonam pervenit, et disponens de provincia Narbonensi, et de Ruteno, et Alba civitatibus quæ tunc ad eam (f) provinciam pertinebant, præcepit diruta restaurari, et eos qui ob metum discidii fugerant, revocari, et consuetudines indebitas in melius immutari, et omnia loca à malis usibus reformari, et locis debitis rectores qui clementer agerent, deputari, ut terra tantis sordibus deformata quasi novo baptismate purgaretur. Præcepit etiam ut Iudæi quos Hildericus vocaverat, ab illis finibus pellerentur, (g) statutum omnium pacis concordia roboravit, et radicem rebellionis et schismatis penitus extirpavit, et dimisit ibi manum validam fortium bellatorum, Francorum prœlia non formidans, immo potius vilipendens, cum nullus esset Principum vicinorum qui cum eo præsumeret

(e) Al. *reparatione.*

(f) Tol. *civitatem.*

(g) Compl. *statum.*

Digitized by Google

concertare. His omnibus provide ordinatis, disposuit in Hispaniam remeare. Cumque ad locum qui Canebat dicitur, pervenisset, concione totius exercitus convocata, omnibus grates refert, quod tam fideliter, tam viriliter, et tam strenue sibi in omnibus astitissent, et quod eorum prœliis tam cito rebellia subiecisset. Unde et imperterritus animo Princeps clemens cunctos absolvit, dans licentiam et sumptus itineris, ut quo placeret itinere, remearent: ipse quoque Helenam veniens, [b] biduum ibi mansit. Indeque veniens in Hispaniam, sexto mense à suo recessu rediit gloriosus, et quarto fere milliario ab urbe regia Paulus cum sociis factionis, decalvatis capitibus, rasis barbis, pedibus denudatis, induti saccis, camelis impositi, et Paulus confusionis [i] potior, corona picea coronatus, sequente longa deductione suorum, quos cæcitas et proditio [j] deducebat, facti omnibus in derisum et ludibrium, in opprobrium et cachinnum, urbem ingressi sunt Toletanam, et carceri deputati, ut qui [k] supra se nequiter levaverunt, sedeant solitarii, et tabescant.

(b) Compl. *per biduum.*

(i) Compl. *potioris.*

(j) Compl. *perducebat.*

(k) Compl. *se supra se.*

De reparatione urbis Toletanæ.

CAP. XII.

Postquam igitur Rex cum triumpho nobili fuit sedi regiæ restitutus, sceptra regni meditans eleganter, civitatem Toleti muro et exquisito opere renovavit, quam et opere scultorio versificando prætitulans, hoc in portarum epigrammatibus stilo ferreo in nitido lucidoque marmore fecit scribi:

Erexit factore Deo Rex inclitus urbem
Bamba, suæ celebrem protendens gentis honorem.

In memoriis quoque Martyrum, quas super eisdem portarum turribus titulavit, [l] hoc similiter exaravit:

(l) Compl. *hæc.*

Vos domini Sancti quorum hic præsentia fulget,
Hanc urbem et plebem solito [m] servate favore.

(m) Compl. et Al. *salvate.*

Hic anno regni sui quarto in Toletana urbe [n] beatæ Mariæ semperque Virginis atrio in secretario, post transactos octo et decem perturbationum et diversarum cladium annos, Concilium salutis paravit: et istud fuit Concilium undecimum Toletanum sub Quirico urbis regiæ Primate. Interfuerunt huic Concilio XVI. Episcopi et multi vicarii absentium Episcoporum, cum quibus et tempora absque Concilio prætereuntia deplorarunt. In hoc vero Concilio consolationem cum tantis viris recepit, et ibi fuit [o] tunc illud Concilium constitutum, [p] ut vicini Episcopi singulis per annum mensibus in urbe regia debeant commorari. Huius tempore ducentæ septuaginta naves Arabum ad litus Hispaniæ pervenerunt, cumque cædes et vastationes agerent, et ad Regis notitiam pervenisset, mis-

(n) Compl. *in Beatæ Mariæ Virginis.*

(o) Compl. non habet *tunc.*

(p) Tol. et Compl. *cum longe lateque, et ut vicini.*

Digitized by Google

misso exercitu bellatorum illico capiuntur, et naves incendio concremantur, et pars potior adventorum gladio detruncatur, et pars alia captivatur: et sic exercitus ad Regem cum gloria est reversus. Tempore autem Cindasvindi Regis, ex Græcia vir advenit nomine Ardavastus, qui ab Imperatore suo expulsus, mari [q] transvectus, in Hispaniam est [r] adductus. Quem Rex Cindasvindus suscepit [s] magnifice, et consobrinam suam ei matrimonio copulavit, ex qua suscepit filium quem Ervigium nominavit: qui Ervigius in palatio nutritus, processu temporis honore Comitis sublimatur, mortuoque Cindasvindo in superbiam elevatur, et contra Regem Bambam factionem incepit callide cogitare, et Regis potui ingessit herbam per quam Regis memoria turbaretur. Cumque Quiricus Episcopus urbis regiæ et optimates palatii intelligerent Regem memoria destitutum, et causam penitus ignorarent, ne Rex Catholicus sacramentis fidei fraudaretur, statim confessionis et pœnitentiæ antidotum obtulerunt, et Rex [t] gloriosus devote suscepit, et religionis habitum postulavit, et ad monasterium convolavit in villa quæ Pannisplica dicitur, et ibi creditur tumulatus, et vixit in regno annis novem, et in monasterio annis septem.

(q) Compl. *transiectus.*
(r) Compl. *advectus.*
(s) Al. *honorifice, et sobrinam.*
(t) Compl. et Al. *Religiosus.*

De regno Ervigii, et Iuliano Pomerio.

CAP. XIII.

Huic succedit Ervigius, eo quod esset Recensvindi sobrinus, sed tyrannide, non de iure. Reliquerat enim Recensvindus filium parvulum Theodofredum cui regni successio debebatur. Cœpit autem regnare Ervigius Æra DCCXXIII, et regnavit annis VII. Æra 723. Hic Cisilonem filiam suam magno viro Egicæ, Bambæ Principis consobrino, dedit uxorem propter Recensvindi filium Theodofredum, ne regni eius primordia impediret. Huius in tempore fames valida Hispaniam pro parte depopulavit. Hic anno regni sui primo procuravit fieri Concilium duodecimum Toletanum quinto idus Maii, in quo fuerunt XXXV. Episcopi cum inæstimabili clero, et Christianorum collegio laicorum. Et hoc Concilium fuit sub Iuliano urbis regiæ Primate, et subscripserunt Iulianus Hispalensis, Luiba Braccharensis, Stephanus Emeritensis, et suffraganei, et vicarii absentium prælatorum. Anno quarto Flavii Ervigii Principis fuit celebratum tertium decimum Concilium Toletanum sub eodem Iuliano Primate, et interfuerunt Episcopi numero XLVIII, Luiba Braccharensis, Stephanus Emeritensis, [u] Spandus Abbas agens vicem Tarraconensis, Pacatus Abbas agens vicem Sumphredi Narbonensis, et alii Episcopi Hispaniæ et Galliæ cum vicariis absentium vices agentibus. Quartum decimum Concilium Toletanum fuit anno quinto Flavii Ervigii sub Iuliano urbis Regiæ Primate, subscribentibus Vitelliano Cypriani Tarraconensis metropolitani vicario, et Ioanne Abbate Sumphredi Narbonensis Archiepiscopi vicem agen-

(u) Compl. *Spatandus.*

agente, et Maximo Abbate vicario Stephani metropolitani Emeritensis, Recisindo vicario Luibæ Archiepiscopi Braccharensis, Gaudentio vicario Florisindi Archiepiscopi Hispalensis, et (x) subscripserunt XVI. Episcopi, et alii vicarii absentium prælatorum. Et fuit celebratum hoc Concilium die Dominico, duodecimo calendas Decembris. In cuius tempore iam Iulianus Episcopus (dictus Pomerius) ex traduce Iudæorum, ut flores rosarum de inter vepres spinarum productus, omnibus mundi partibus in doctrina Christi manet præclarus, qui et iam à parentibus Christianis progenitus splendide in omni prudentia Toleti manebat edoctus, ubi et postmodum episcopatu extitit decoratus.

(x) Compl. hic et alibi habet *subscribunt*.

De regno Egicæ, et scriptura Benedicto Papæ transmissa.

CAP. XIV.

Egica gener et successor Ervigii post mortem eius ad regni Gothorum assumitur principatum Æra
Æra 730. DCCXXX, et regnavit annis decem, et cum filio annis tribus: sed isti tres anni patri, non filio computantur, et ita in universo regnavit annis tredecim, et dum regnum accepit, filiam Ervigii coniuratione Bambæ abiecit. Hic Gothos morte fuit et odio persecutus. Huius tempore inguinalis plagæ necessitas invaluit in provincia Narbonensi, occasione cuius ad Narbonensem cathedram Episcopi pertinentes, à Toletano Concilio excusantur, ita tamen quod eiusdem sacri Concilii instituta in singulis Cathedralibus Ecclesiis nuncientur, et admittantur: et si quis Episcoporum hoc non fecerit, et anathemate feriatur, et quinta bonorum parte mulctetur. Anno regni eius primo quintum decimum Concilium celebratur Toleti in Ecclesia prætoriensi Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, omnibus Hispaniæ et Galliæ (y) Episcopis aggregatis, beatæ memoriæ Iuliano doctore clarescente, sub LX. numero Episcoporum, et multiplici Christianorum collegio in circuitu assistente. In quo pro diversis causis, et pro absolutione iuramenti quod præfato Principi Ervigio noxaliter fecerat, exposcit Synodum, ut solveretur à iuramento. Eius in tempore librum de tribus substantiis, quem dudum Romam miserat Primas sanctissimus Iulianus, et minus caute tractando Benedictus Papa Romanus indixerat reprobandum, ob id quod voluntas genuit voluntatem, Sanctus Iulianus veridicis testimoniis in hoc Concilio ad exactionem præfati Principis per oracula eorum quæ Romam transmiserat, verum esse firmavit, et apologeticum fecit, et Romam misit per suos legatos presbyterum, diaconum, et subdiaconum viros eruditissimos et in omnibus Dei servos, et in divinis Scripturis imbutos, cum versibus etiam acclamatoriis, secundum quod et olim transmiserat de laude Romani Imperatoris. Quod Roma digne et pie recipiens, cunctis legendum indixit, atque (z) Imperator acclamando, *Laus tua Deus in fines terræ*, lectum sæpius notum fecit: qui et rescriptum domino Iulia-

(y) Compl. *Pontificibus*.

(z) Al. *Papa*.

Psalm. 47. 11.

liano per supra fatos legatos cum gratiarum actione, et cum honore remisit, et omnia quæcumque scripsit, iusta et pia esse deprompsit. Et fuit hoc quintum decimum Concilium Toletanum celebratum anno primo Regis Egicæ, quinto idus Maii, sub Iuliano urbis regiæ Primate, et subscripserunt [a] Sumphredus Narbonensis, Floresindus Hispalensis, Faustinus Bracchareusis, Maximus Emeritensis metropolitani, et Sisuldus vicarius Cypriani Tarraconensis, et alii vicarii Episcoporum, qui non venerant causa legitima impediti, et fuerunt præter vicarios LXI. Anno sexto Flavii Egicæ nonis Maii fuit celebratum sextum decimum Concilium Toletanum sub Felice urbis regiæ Primate, et subscripserunt Faustinus Hispalensis, Maximus Emeritensis, Vera Tarraconensis, Felix Braccharensis metropolitani, et alii Episcopi suffraganei, et vicarii absentium vices agentes. Anno septimo Flavii Egicæ Regis quinto idus Novembris fuit celebratum septimum decimum Concilium Toletanum in Ecclesia Sanctæ Leocadiæ, ubi sanctum eius corpus requiescit, in suburbio Toletano sub Felice urbis regiæ Primate, qui gravitatis et prudentiæ excellentia nimia præpollebat, et [b] subscripserunt Faustinus Hispalensis, Maximus Emeritensis, Vera Tarraconensis, Felix Braccharensis metropolitani præter absentes qui pro se vicarios destinarunt. In quo Concilio idem Rex præsentialiter adfuit, et coram omnibus humi prostratus, se eorum orationibus commendavit, et tomum quem manutenebat, Primati et Concilio offerens, super iis quæ ibi continebantur, sibi satisfieri postulavit, et hæc omnia in libro canonum plenissime declarantur.

(a) Al. *Sumifredus.*

(b) Al. *subscribunt.*

De morte Egicæ, et regno Vitizæ.

CAP. XV.

Hic Flavius Egica tribus annis ante mortem [c] Vitizam filium suum quem ex Cisilone susceperat, præfecit Gallæciæ quæ olim regnum fuerat Suevorum, et præcepit, ut in Tuda quæ est una de amœnioribus Gallæciæ civitatibus, resideret, et illuc etiam Flavius Egica Fafilam ducem, patrem Pelagii, licet invitum, exilio relegarat. Quem Fafilam Vitiza occasione uxoris fuste in capite vulneravit: ex quo vulnere mortuus fuit iuxta Urbicum, et ibi sepultus in villa quæ Duodecim manus, ab aliis Palatium appellatur. Post hæc Flavius Egica propria morte Toleti moritur, et ibidem honorifice sepelitur. Cui successit filius eius Vitiza Æra DCCXL, et regnavit annis novem, qui patri succedens in solio, quamquam petulcus, clementissimus tamen fuit, et non solum quos pater exilio condemnaverat, [d] verum etiam quasi clientulos, ut restitueret, laboravit. Nam quod pater imposuerat grave iugum, ipse modice relevabat, quos et pater patrio solo abdicaverat, ipse restituens, felici statui redonabat: et postremo convocatis omnibus, cautiones instrumentorum quas pater in dolo confecerat, ipse in conspectu omnium digno incendio concremavit, et non

Æra 740.

(c) Al. *Victizam.* Compl. semper habet *Witizam.*

(d) Al. *recepit ad gratiam, verum misericorditer.* Compl. legit *recepit ad gratiam, verum etiam quasi.*

Digitized by Google

non solum liberos reddidit ab insolubili vinculo cautionum, verum etiam omnia restituit quæ Egica infiscarat, et expulsos officio restituit palatino. Hic in Ecclesia Sancti Petri quæ est extra Toletum, cum Episcopis et magnatibus super ordinatione regni Concilium celebravit, quod tamen in corpore canonum non habetur. Cumque Vitiza circa initium optime inchoasset, cœpit postmodum flagitiosius se habere, et Pelagium filium Fafilæ ducis Cantabriæ, qui postea contra Sarracenos cum Asturibus rebellavit, ob causam patris quam prædiximus, ab urbe regia coegit expulsum, et cum antea petulanter ageret in occulto, iam nunc luxus [e] impudicitiam publicat in aperto, et laxatis habenis, nulli vitio se subtraxit. Et utinam solus in suis sordibus periisset, ne nobilitatem Gothorum cleri et populi suis immunditiis infecisset. Ad tantæ enim [f] perditionis et dissolutionis pervenit cumulum, ut plures uxores, et concubinas ad satietatem libidinis simul detineret. Et exemplo simili viros illustres et potiores Gothorum ad similia facinora inducebat, quorum exemplo in minoribus populi peccata similia inundabant. Per idem tempus Gundericus, Toletanæ sedis Primas, sanctimoniæ dono illustris habetur, et in multis mirabilibus clarior celebratur. Huic successit Sinderedus Episcopus urbis regiæ Primas, vir sanctimoniæ studio clarus, et duravit usque ad tempora Roderici, et sub isto fuit perdita civitas Toletana. Hic viros longævos et honorabiles, quos in Ecclesia Toletana repererat, post mortem Sancti Felicis et Gunderici decessorum suorum, zelo sanctitatis, licet non secundum scientiam, cœpit graviter infestare, et hoc ad instinctum Vitizæ, qui propter sui nequitiam eorum iustitiam timescebat.

(e) Al. *impudicitiæ publicatur.*

(f) Compl. non habet *perditionis.*

De facinoribus et fraudibus Vitizæ.

CAP. XVI.

Verum quia [g] ista sibi in facie resistebant, propter vexationem Pontificis ad Romanum Pontificem appellabant. Vitiza facinorosus, timens ne suis criminibus obviarent, et populum ab eius obedientia revocarent, dedit licentiam, immo præceptum, omnibus clericis, ut uxores et concubinas unam et plures haberent publice iuxta libitum voluptatis, et ne Romanis constitutionibus quæ talia prohibent, in aliquo obedirent, et sic per [h] eos populus retineretur. Tanta igitur temporibus facinorum alluvio inundavit, ut fere Gothorum strenuitas quæ consueverat regnis et gentibus imperare, in vitiorum altitudine iam submersa, omnibus abominationibus subiaceret. Itaque Gothorum Hispanorumque regnum diffusum magnitudine dominabatur à mari usque ad mare (à Tingi enim civitate Africæ usque ad Rhodanum suæ sceptra propaginis dilatavit) excelsum nobilitate, largum abundantia, devotum religione, pacificum unione, clarum Conciliorum eloquentia, Episcoporum frequentia, religiosorum reverentia, Sanctorum Pontificum Leandri, Isidori, Helladii, Eugenii, Il-

(g) Al. *isti.*

(h) Compl. *eos populos retineret.*

Ildefonsi, Iuliani, Fulgentii, Martini [i] Dumiensis, Idalii Barcinonensis, [j] Talonis Cæsaraugustani clara doctrina, [k] et Zazei Cordubensis profunda philosophia. Sed quoniam humani generis inimicus humano generi non desinit invidere, seminavit in potestate superbiam, in religione accidiam, in pace discordiam, in abundantia luxuriam, in sollertia ignaviam, adeo ut sicut populus, sic et Sacerdos, sicut impii, sic et Princeps. Qui cum pro suis iniquitatibus timeret expelli, muros præcepit dirui civitatum [l] cunctarum, præter paucas quarum muros destruere formidavit, et arma ferrea in vomeres commutari, ut quasi omnibus connivens illicita, videretur quietem, et pacem et [m] licita procurare. Ipse tamen dolose agebat, ne possent sibi resistere, qui volebant eius sceleribus obviare. Alluvione ergo voluptatum in tota Hispania inundante, Vitiza Principe Maiestatis oculos provocante, repleta est terra iniquitate. Omnis quippe caro corruperat viam suam, et qui optimus, quasi paliurus, et qui rectus, quasi spina de sepe.

(i) Tol. *Dumiensi.*
(j) Tol. et Compl. *Taionis.*
(k) Al. *et Cordubæ profunda philosophia.* Compl. eodem modo legit.
(l) Compl. non habet *cunctarum.*
(m) Tol. et Compl. *libita.*
Gen. 6. 12.

De causis dissensionis propter quas fuit destructio Hispaniæ subsecuta.

CAP. XVII.

Sed quia Dominus voluit Gothorum gloriam incurvare, Satan [n] immisit in pacem quam simulaverat Vitiza. Cum enim [o] Theodofredus filius Recensvindi, qui in ætate parvula à patre fuerat derelictus, et in iuvenili ætate placidus, elegantis formæ, et indolis gratiosæ, ab omnibus amaretur, timens Egica pater Vitizæ, ne iuvenis tanti generis et tantæ [p] spei ad regni fastigium adspiraret, à propriis finibus Cordubam exilio relegavit. Cumque sibi mansio Cordubæ placuisset, ibi palatium miræ fortitudinis fabricavit, quod et filius eius ætatis robore adolescens et dilatavit, et obfirmavit, qui aliquandiu ibi moratus, duxit uxorem de regali genere, nomine [q] Ricilonem, ex qua suscepit filium Rodericum. Cum autem Vitiza regni gubernacula post patrem suum Egicam suscepisset, æmulatione qua pater, cœpit persequi Theodofredum, donec captum utroque lumine [r] fecit orbum. Pelagium etiam cuius patrem apud Tudam fuste peremerat, volebat pœna simili condemnare, sed ad Cantabriam fugiens, evasit furiam persequentis, quia volebat Dominus liberationis [s] asylum in Hispaniis conservari. Vitiza autem, sacrorum canonum inimicus, Oppæ fratri suo Archiepiscopo Hispalensi contradidit Ecclesiam Toletanam, eiusdem Ecclesiæ vivente Pontifice Sinderedo, ut sicut ipse carnali, ita et frater spirituali adulterio fœdaretur; et ut iniquitatem iniquitati adiiceret, violatis privilegiis Ecclesiarum, revocavit Iudæos, et maioris immunitatis quam Ecclesias privilegiis honoravit. Sed quia iusto iudicio Dei agitur, ut actores scelerum pœnas subeant ultionis, de manu Domini duplicia susceperunt qui pro simplicibus satisfacere noluerunt. Igitur Rodericus filius Theodofredi, quem Vi-

(n) Compl. *immisit pacem.*
(o) Al. *Theudefredus.* Compl. ita hic et alibi.
(p) Al. *speciei.*
(q) Al. *Vicilionem.*
(r) Al. *orbavit.*
(s) Al. *auxilium.*

Digitized by Google

(t) Tol. et Al. *visus.*

Vitiza, ut patrem, privare oculis [t] nisus fuit, favore Romani senatus qui eum ob Recensvindi gratiam diligebat, contra Vitizam decrevit publice rebellare: qui viribus præeminens, cepit eum, et quod patri suo fecerat, fecit ei, et regno expulsum, sibi regnum electione Gothorum et senatus auxilio vindicavit. Vitiza itaque plenus abominationibus, vacuus regno, orbus oculis, propria morte Cordubæ, quo Theodofredum relegaverat, exul et ex-Rex vitam finivit Æra DCCLI; cumque duos filios reliquisset, Sisibertum et Ebam, neuter successit in regno, eo quod essent propter patris insolentias omnibus odiosi.

De regno Regis Roderici.

CAP. XVIII.

Hortante autem et adiuvante senatu, et adhuc Vitiza vivente, cœpit conregnare Rodericus ultimus Rex Gothorum, anno Ulit quarto, Arabum vero XCI, Æra
Æra 749. DCCXLIX, anno septimo Vitizæ: et tantum tribus annis regnavit, uno per se, duobus etiam cum Vitiza. Erat autem Rodericus durus in bellis, et ad negotia expeditus, sed in moribus non dissimilis Vitizæ, nam et circa initium regni sui Vitizæ filios Sisibertum et Ebam probris et iniuriis lacessitos à patria propulsavit, qui, relicta patria, ad [u] Recilam Comitem Tingitaniæ ob patris amicitiam transfretarunt. Erat autem tunc temporis Toleti palatium à multorum Regum temporibus semper clausum, et seris pluribus obseratum. Hoc fecit Rex Rodericus contra voluntatem omnium aperiri, ut sciret quid interius haberetur, putabat enim thesauros maximos invenire; sed cum aperuit, præter unam arcam repositam nil invenit. Qua aperta, reperiit quemdam pannum, in quo latinis litteris erat scriptum: "Quod cum contigeret seras frangi, arcam atque palatium aperiri, et videri quæ inibi habebantur, gentes eius effigiei quæ in eo panno erant depictæ, Hispanias invaderent, et suo dominio subiugarent." Quod Rex videns, doluit aperuisse, et, ut erat prius, fecit arcam et palatium inserari. Erant autem in panno depictæ facies, ut vultus, dispositio, et habitus Arabum adhuc monstrat, qui sua capita tegunt vittis, sedentes in equis, habentes vestes diversis coloribus [x] variegatas, tenentes gladios, et ballistas, et vexilla in altum tensa: qua pictura Rex et proceres timuerunt.

(u) Compl. et Al. *Ricilam.*

(x) Compl. *variatas.*

De violentia facta filiæ Comitis Iuliani, et coniuratione cum Arabibus.

CAP. XIX.

Mos erat tunc temporis apud Gothos, ut domicelli et domicellæ magnatum filii in regali curia nutrirentur. Inter ceteras domicellas filia Comitis Iuliani præstantior habebatur. Erat autem Iulianus vir nobilis de nobili Gothorum prosapia ortus, illustris in officio palatino, in armis exercitatus, Comes Spathariorum, familiaris et consanguineus Vitizæ, et in oppido quod

Digitized by Google

quod Consocra dicitur, et in maritimis diversarum possessionum titulis abundabat. Contigit autem ut idem Iulianus legationis causa à Rege Roderico in Africam mitteretur. Qua legatione pendente, Rex Rodericus filiam eius de qua diximus, violenter oppressit. Hæc erat Regi promissa, sponsaliter non traducta. Alii dicunt uxori Comitis vim fecisse. Sed utrumlibet fuerit, Galliæ Gothicæ et Hispaniæ exitialis excidii causa fuit. Verum peracta legatione rediens Iulianus, ut stuprum comperit, uxore vel filia revelante, dolorem continuit alacritate exterius procurata, et legatione exposita recessit indignans, et tempore hiemali navigio ivit Septam, ubi uxorem cum rebus domesticis collocavit, et habito verbo cum Arabibus, in Hispaniam est reversus, et ægrotantis matris desiderium simulans, à Rege filiam impetravit infirmæ matri solatio destinandam, quam receptam restituit matri suæ. Eo tempore Comes Iulianus insulam viridem, quæ nunc Arabice *Gelzirat* [y] *alhadra* dicitur, detinebat, ex qua barbaris Africanis damna plurima inferebat: unde et ab eis plurimum timebatur. Erat autem tunc temporis in Africa Princeps quidam qui Muza proprio nomine dicebatur, et erat ab Ulit à Miramomenino præses Africæ constitutus. Huic fuit Iulianus Comes factioso colloquio fœderatus, promittens ei, si sibi crederet, Hispaniam se daturum. Muza autem, cognomento Abenozair, audiens Comitem Iulianum, gaudio est gavisus, eo quod strenuitatis eius magnalia expertus fuerat in periculis gentis suæ, et continuo verbum huiusmodi [z] Ulit Amiramomenino Arabum nuntiavit, qui inhibuit ei, ne in Hiſpaniam cisfretaret, (timebat enim posse in periculum redundare) sed paucos mitteret, per quos posset promissum Comitis aperiri. Muza autem misit cum Comite Iuliano quemdam [a] Tarif nomine, et cognomine Abienzarcha, cum C. militibus et CCCC. peditibus Africanis; et hi in quatuor navibus transierunt anno Arabum XCI, Æra DCCL, in mense qui dicitur Ramadan. Æra 750. Et iste fuit primus adventus Arabum citra mare, et applicuerunt ad insulam citra mare, quæ ab eius nomine dicitur [b] Gelzirat Harif: et ibi substitit, donec ad se cognati et complices ex Hispania advenerunt, et primos insultus fecit in Gelzirat haladra, et inde abstulit magnam prædam, et alia loca maritima devastavit. Et Hispania misera quæ à tempore Leovigildi Principis fere per CXL. annos in pace substiterat, iam nunc incipit innovatis antiquæ miseriæ cladibus laniari. Cædibusque in Lusitania et Bætica pro parte peractis, Iulianus cum Arabibus quos adduxerat, ad Muzam rediit fastuosus. His diebus Sinderedus, de quo diximus, urbis regiæ præsul, et Primas, adventum Arabum expavescens, et Vitizæ insolentiis fatigatus, Romanæ patriæ sese dedit, oves deserens, ut mercenarius, non ut pastor. Viri autem longævi, de quibus diximus, Urbanum virum sanctimoniæ in Episcopum elegerunt, intrusione Oppæ qui iam

(y) Al. *balharda dicitur*, *obtinebat*.

(z) Tol. et Al. *Abulit*.

(a) Tol. et Compl. *Taref*.

(b) Compl. et Al. *Gelzira Taref*.

Digitized by Google

nil poterat, non obstante.

De secundo introitu Arabum in Hispaniam.

CAP. XX.

Post hæc Muza vocatus ab Ulit à Miramomenino, ivit in Africam, relicto in patriæ principatu [c] Taric Abentiet, qui erat Strabo, cui iniunxit, ut Iuliano Comiti auxilia largiretur, et amicitiam conservaret. [d] Tunc autem dedit Comiti Iuliano XII. millia bellatorum, quos separatim duxit in Hispaniam in navibus mercatorum, ne causa transitus perciperetur, et convenerunt ad montem, qui ab illo Mauro [e] Gebel Taric adhuc hodie nuncupatur, (Arabice autem Gebel mons interpretatur) mense Regeb, anno regni Arabum XCII, Æra DCCLI.

Æra 751.

Quæ cum ad Regis Roderici notitiam pervenissent, misit contra eos sobrinum suum nomine Eneconem, qui cum eis sæpius dimicans, sæpius fuit victus, et ad ultimum interfectus; unde et Arabes, sumptis animis, audaciam assumpserunt, Iuliano Comite eos per Bæticam et Lusitaniam deducente. Gothorum enim exercitus prima vastatione perculsus, et longa pace armorum usibus desuetus, antiqua magnalia ignorabat, et facti desides et imbelles, [f] ignari certaminis sunt inventi, et obicibus terga vertentes, ad mortem citius quam ad fugæ subsidia pervenerunt. Taric autem cum Iuliano Comite ad Muzam in Africam est reversus, et Iuliani fidelitas ex his factis apud Arabes fuit mirabiliter approbata. Unde et Muza Taric et Comiti ampliorem exercitum sociavit, et retinuit [g] Ratilam Comitem Tingitanum; terrebant enim eum doli Comitis laqueosi, si forte cum aliis mitteretur. Qui cum in Hispaniam applicassent, in Bætica et Lusitania cœperunt direptiones et excidia exercere. Rex autem Rodericus, audita strage suorum et provinciæ vastatione, Gothis omnibus congregatis, adventui Arabum se obiecit, et ad incursum eorum strenue properavit. [h] Cumque venissent ad fluvium qui Guadalete dicitur prope Assidonam, quæ nunc Xerez dicitur, ex alia parte sedit exercitus Africanus. Rex autem Rodericus cum corona aurea et vestibus deauratis à duobus mulis in lecto eburneo ferebatur, ut Gothorum Regum dignitas exigebat. Et per octo dies continuos à Dominica in Dominicam dimicarunt, ita quod de Taric exercitu fere decem et sex millia ceciderunt. Sed Iuliano Comite et Gothis qui secum aderant, dure instantibus, franguntur acies Christianorum, qui longa pace et abundantia desides, imbelles et ignavi certaminis sunt inventi, et obicibus terga dantes. Die Dominica, quinto idus mensis Xavel, anno Arabum [i] XCIII, Æra DCCLII, Rex Rodericus et christianus exercitus vincitur, et fuga inutili perierunt.

Æra 752.

Duo autem filii Vitizæ, qui cum Iuliano Comite conspiraverant, Regi Roderico in hoc prœlio adstiterunt, et alter à sinistris alter à dextris collaterales acies gubernabant, et dicuntur in præcedenti nocte cum Taric consi-

(c) Al. *Tarif.*

(d) Al. *Taric.*

(e) Al. *Gebal.*

(f) Compl. et Al. *ignavi.*

(g) Compl. et Al. *Ricilam.*

(h) Al. *Cumque pervenissent ad fluvium qui dicitur Vadalac prope Xerez*: ita etiam legit Compl. et in eo dumtaxat variat, quod habeat *Vedelac.*

(i) Compl. et Al. *XCII.*

silium habuisse, ut ipsis à bello cessantibus, Gothorum exercitus de facili vinceretur, et Rex Rodericus cum esset magnanimus, antequam fugeret, permitteret se occidi, et eo mortuo, posset eis regnum perditum provenire: non enim credebant, quod possent, vel vellent Arabes patriam retinere; unde et in conflictu armis depositis, quantocius effugerunt. Et hoc ipsum Taric promiserat, quod restitueret eis omnia quæ fuerant patris sui. [j] In exercitu christiano fuisse constat plus quam centum millia armatorum, sed erat populus duorum annorum peste et inedia imbecillis. Et quia divina gratia protectionis manum elongaverat ab Hispanis, gens illa victrix, gens illa nobilis, gens Gothorum cui se dederant Asia, et Europa, et eius fugacibus Vandalis orbis cesserat Africanus, triumphis Arabicis incurvatur. Conserto prœlio cum Arabibus, Rex Rodericus fortiter insistebat, sed iners manus strenuitatis Gothicæ recurvata, quæ multorum sanguine consueverat gloriari, hostes suo cogitur satiare. Iulianus autem animabat Gothos qui secum aderant, necnon et Arabes, ut bellum acrius restaurarent. Cumque bellum ex utraque parte instantius efferveret, alternis cædibus plurimi cecidere. Iam iamque Gothorum aciebus fere undique consternatis, Rex Rodericus interdum fuga, interdum [k] occursibus nitebatur; sed aliquandiu bello protracto, gens Gothorum in parte cæditur, in parte fugæ præsidio liberatur: et dum hoc agitur, quid de Rege Roderico acciderit, ignoratur; tamen corona, vestes, et insignia, et calciamenta auro et lapidibus adornata, et equus qui Orelia dicebatur, in loco tremulo iuxta fluvium sine corpore sunt inventa. Quid autem de corpore fuerit factum, penitus ignoratur, nisi quod modernis temporibus apud Viseum civitatem Portugalliæ inscriptus tumulus invenitur. *Hic iacet Rodericus ultimus Rex Gothorum. Maledictus furor impius Iuliani quia pertinax, et indignatio quia dura, vesanus furia, animosus indignatione, impetuosus furore, oblitus fidelitatis, immemor religionis, contemptor divinitatis, crudelis in se, homicida in dominum, hostis in domesticos, vastator in patriam, reus in omnes, memoria eius in omni ore amarescet, et nomen eius in æternum putrescet.*

(j) Al. *Et in exercitu christiano dicuntur fuisse*: Al. vero habet *dicitur fuisse.*

(k) Tol. non habet *interdum fuga.*

De destructione Gothorum, et commendatione Hispaniæ.

CAP. XXI.

Pro dolor! hic finitur gloria Gothicæ maiestatis Æra DCCLII, Æra 752.
et quæ pluribus bellis regna plurima incurvavit, uno bello vexilla suæ gloriæ inclinavit: qui Scythiam, Pontum, Asiam, Macedoniam, Græciam, et Illyricum variis cædibus vastaverunt, et eorum mulieres Orientalem plagam prœliis subiecerunt, et Cyrum magnum dominum Babyloniæ, Assyriæ et Mediæ, Syriæ et Hircaniæ, victum et captum in utre sanguinis extinxerunt, et cui victa Roma, provinciarum domina, flexit genu, cui Imperator Valens cessit in-

incendio, cui ille eximius Attila Rex Hunnorum Catalaunico bello recognovit imperium, cui Alani fugitivo prœlio Pannoniam dimiserunt, cui Vandali cesserunt Gallias fugitivi, quorum bella minacibus tonitruis toti mundo à sæculis intonarunt, Machòmeti nuper orta rebellio uno bello inaudito excidio consummavit, ut discant omnes, ne dives in divitiis, ne potens in potentiis, ne fortis in fortitudine, ne sublimis in gloria glorietur. Qui gloriatur autem, in Domino glorietur: quoniam ipse vulnerat, et medetur, ipse percutit, ipse sanat. Cum enim sit Domini omnis terra, omnis populus, omnis natio, omnis lingua, omnia cursu instabili variantur, creatore omnium semper et in omnibus stabili ac permanente, qui mundi partes et climatum singula donis dissimilibus adornavit, inter quas Hispaniam in Occidentis finibus constitutam omnium desiderabilium copia ubertavit. Hanc, ut diximus, peragratis ferme omnibus et [l] obtentis Asiæ et Europæ provinciis, et experti bella et certamina, et quibus insederant, varias mansiones attendentes, [m] in locorum commoda omnibus prætulerunt, eo quod inter omnes mundi provincias specialibus ubertatis titulis redundabat: quæ pyrenæis montibus à mari usque ad mare protensis Oceano circumducitur, et Tyrrheno. Gallia [n] etiam Gothica, id est Narbonensis provincia cum Rutheno, Alba, et Vivario civitatibus, quæ Gothorum tempore ad Narbonensem provinciam pertinebant, et in Africa, una provincia decem civitatum, quæ Tingitania dicebatur, ad Gothorum dominium pertinebant. Hispania quippe, quasi paradisus Domini, vere principalibus fluminibus irrigatur, scilicet Ibero, Doria, Tago, Ana, et Bæti, montanis inter quemlibet interiectis. Mediæque Valles [o] sui latitudine deserviunt ubertati, et humore fluminum fecundantur, et pro magna parte rivis et fontibus irrigantur: sed et puteorum suffragia raro desunt: fecunda frugibus, amœna fructibus, deliciosa piscibus, sapida lacticiniis, clamosa venationibus, gulosa armentis et gregibus, superba equis, commoda mulis, privilegiata castris, curiosa vino, deses pane, dives metallis, gloriosa sericis, dulcis mellibus, copiosa oleo, læta croco, præcellens ingenio, audax in prœlio, agilis exercitio, fidelis dominio, facilis studio, pollens eloquio, fertilis in omnibus, nulla in fertilitate similis, nulla munitionibus comparabilis, paucæ magnitudine æquales, in [p] libertate præcipua, fidelitate pretiosa, in audacia singularis. Sunt et alia flumina quæ retentis nominibus capitalia nuncupantur, ut Minius qui in parte Gallæciæ oritur, et per eandem discurrens provinciam, in Oceanum derivatur. Ab hoc et flumine provincia illa Minea appellatur. Abaris et Succaris, quæ oriuntur in territorio Segontinensi Toletanæ provinciæ, in Rhenum retentis nominibus dilabuntur. Hoc ergo regnum tam nobile, tam ornatum, patriæ gladio in se verso, quasi in eo manus hostium non cœpissent, succubuit uno impetu vix incepto: et captæ fuerunt o-

2. Cor. 10. 17.

Iob. 5. 18.

(l) Al. *obtentis omnibus.*

(m) Compl. *et locorum commoda, ipsam omnibus prætulerunt.*

(n) Tol. et Al. *et.*

(o) Compl. *secundum latitudinem.*

(p) Compl. *liberalitate.*

Digitized by Google

omnes Hispaniæ civitates, et manibus diripientium sunt subversæ.

Deploratio Hispaniæ, et de causa excidii Gothorum.

CAP. XXII.

Bello autem miserabiliter consummato, cum vix superesset qui ad bellum ex alterutra partium non venisset, omnibus in se cæsis, remansit terra populis vacua, sanguine plena, fletu madida, ululatu clamosa, advenis hospita, civibus peregrina, nudata incolis, orbata filiis, confusa Barbaris, infecta sanguine, stupida vulnere, destituta munimine, et suorum solatio desolata. Iam clades Herculis innovantur, iam Vandalorum, Alanorum, et Suevorum obducta vulnera reputrescunt: quæ olim Romanorum gladio sauciata, Gothorum medicamine post curata, nunc ipsa (q) ferro cæditur, iam extincta et oblita cantica in loquela labii iam lingua loquitur peregrina. Viri exercitus in coccineis, et equorum igneæ sunt habenæ, et eorum facies ut nigredo, vultus gloria quasi (r) oleæ, et eorum oculi velut ignis, velocior pardis miles eius, et lupo crudelior vespertino. Enimvero (s) genti Afrorum, quæ olim de viribus non præsumens, dolis et divitiis nitebatur, nunc (t) cedit Gothorum strenuitas in momento, quæ citius cecidit quam dici possit, et vix relinquitur, ut deploret, quod mortis instantia non reliquit, ut clamet transeuntibus: Iam non (u) vivo: attendite si est dolor similis sicut meus, vox eius percipitur ut Pythonis, et eloquium eius mussitat ut ex humo, ploratus et ululatus lugubris vix auditur. Hispania suos filios plorat, et consolari non potuit, quia non sunt. Facta est eius habitatio iam deserta, eius gloria iam confusa, iam eius filii gladio ceciderunt, et eius incliti iam captivi: Principes eius in opprobrium (x) habuerunt, et vix bellator in exterminium. Qui erant liberi, mancipati sunt servituti, qui consueverant in militia gloriari, coguntur cultro et vomere incurvari, qui vescebantur voluptuose, nec vilibus satiantur, et qui nutriti sunt in croceis, non tangibilia amplexantur, ut nec inundatio pluviarum, nec alluvio tempestatum eis (y) potuerunt adæquari. Quæ Hispaniam non prætereunt tempestates (z)? Parvuli allidundur, adolescentes cædibus involvuntur, iuvenes gladiis extinguuntur, viri in prœliis prosternuntur, senes excidio consumuntur, et quos senium et decrepita fecerat honorandos, hos Afrorum crudelitas abiicit extirpandos, mulieres servantur ad ignominiam, et earum speciositas ad contumeliam. Qui rubustus animo, occubuit gladio, qui velox pedibus, à sagittariis est confossus: pepercit gladius (a) inimicis, et in domesticos debacchatur: non erat qui resisteret Gothis dimicantibus in se ipsos. Quis dabit capiti meo aquas, et fontem oculis lacrimarum, ut plorem excidium Hispanorum, et miseriam gentis Gothorum? Conticuit religio Sacerdotum, cessavit frequentia ministrorum, abscessit diligentia prælatorum, periit doctrina fidei et Sanctorum unio, pater solvitur ortho-

(q) Compl. *fœtu cæditur iam extincto.*

(r) Al. *olla.*

(s) Compl. *gens.*

(t) Compl. *ei cedit.*

(u) Compl. *viva.*

Thr. 1. 12.

Ierem. 31. 15.

(x) Compl. et Al. *abierunt.*

Thr. 4. 5.

(y) Compl. *potuerit.*

(z) Deest interrogatio in Compl. MS.

(a) Al. *inimicitiæ.*

Ier. 9. 1.

thodoxorum, sanctuaria destruuntur, Ecclesiæ diruuntur, et quæ laudabant in cymbalis, provocant in blasphemiis, lignum salutis à Sanctis eiicitur, non est qui adspiciat ut salvetur. Sollemnia penitus cessaverunt, et Ecclesiæ organa in blasphemiam [b] transierunt, non est qui iubilet in Ecclesiis, et subsannat confessio Machometi, defœdat abusio ornamenta, et vasa sancta contaminant alieni, religionem devorant inimici, et omnis habitatio desolatur, cum occiditur habitator, civitates ignominiis consumuntur, et quæque viridia succiduntur. Adeo enim pestis invaluit, quod in tota Hispania non remansit civitas Cathedralis quæ non fuerit, aut incensa, aut diruta. [c] Arabes enim, [d] quæ vi non poterant subiugare, falso fœdere deceperunt, Oppa filio Egicæ Hispalensi Episcopo suadente, ut subiecti Arabibus viverent sub tributo, et si forte Dominus patriam visitaret, fierent subvenientibus in succursum. Et sic fraudibus circumventi reddiderunt oppida, et præsidia civitatum, et isti dicti sunt mixti Arabes, eo quod mixti Arabibus convivebant, quorum hodie apud nos nomen perseverat et genus; et tali fraude Arabes fere omnia occuparunt, et omnibus occupatis, rupto fœdere, thesauros Ecclesiarum et divitias incolarum pariter exhauserunt, nisi quod Episcopi postmodum cum reliquiis Asturiis se dederunt. Quidquid illa Babylon magna, inter regna sæculi prima, à Cyro et Dario subversa pertulit, nisi quod perpetuo exterminio solum à bestiis et serpentibus habitatur, quidquid domina provinciarum Roma ab Alarico et Athaulpho Gothorum Regibus et Giserico Vandalorum Principe est perpessa, quidquid Hierusalem iuxta Dominicam prophetiam lapide super lapidem non relicto sustinuit diruta et incensa, quidquid Carthago nobilis à Scipione Romano direptione et incendio passa fuit, hoc misera Hispania omnium cladium coniectis miseriis est experta, nec est qui adiiciat misereri. Sed quia

Num. 21. 9.

[b] Compl. *sunt mutata.*

[c] Compl. *aut obtenta.*

[d] Compl. *quas.*

Isai. 13. &c.

Ibid. v. 21.

Marc. 13. 2.

Regis ad exemplum totus componitur orbis,

[e] peccata Vitizæ et ultimi Roderici et aliorum Regum qui præcesserant, quorum aliqui factione, aliqui fratricidio, seu parricidio, regni usurpaverant potestatem, successione legitima non servata, incanduit ira Dei, et Gothorum gloriam, quam hactenus sustentarat, eiecit à facie maiestatis, et quos sustinuit in hæresi Ariana à tempore Valentis Imperatoris usque ad tempora Recaredi, sicut superius est descriptum, nunc Vitizæ abominationibus et aliorum Regum sceleribus provocatus, non addidit ulterius tolerare. Nomina autem Regum hic duximus exprimenda qui factioso gladio perierunt. Athaulphus apud Barchinonam inter familiares fabulas à quodam suorum fuit proditionaliter interfectus: Segericus fuit à suis similiter interfectus: et Thurismundus apud Tolosam consilio fratris sui à suo famulo interfectus: Theudoricus fuit à fratre suo [f] simi-

[e] ſ. *propter peccata.*

[f] Compl. *Eurico.*

militer interfectus: Amalaricus apud Narbonam in foro fuit à suo exercitu interfectus: et Theudius fuit interfectus á quodam qui se insanum, ut Regem interficeret, simulavit: Theodisclus apud Hispalim à quodam suorum fuit inter epulas iugulatus: Agila à suis est apud Emeritam interfectus: Leovigildus interfecit filium suum [g] Hermenigildum, eo quod nolebat hæresi consentire: et Luiba filius Recharedi à Viterico fuit proditionaliter interfectus: Vitericus coniuratione quorundam fuit inter epulas interfectus: et Vitiza à Roderico exoculatus: et Rodericus à Iuliano, ut creditur, interfectus: Froila fratrem suum Vimaranum propriis manibus interfecit, et sui in vindictam apud Canicas [h] Froilam occiderunt.

Qualiter Taric urbes occupavit.

CAP. XXIII.

Post bellum autem infauste patratum, Taric Christianos fuit usque in Eciiam secutus, et qui erant in civitate, [i] et etiam qui extra fugerant, adhuc de multitudine confidentes, ei improvide occurrerunt, et bello infeliciter inchoato, infelicius perierunt, et occisis pluribus, plures ad civitatis ambitum [j] redierunt. Taric autem cum suo exercitu resedit iuxta fluvium [k] Cilofontis, qui ex tunc dicitur fons Tarici. Christiani autem audientes quod gens advenerat quæ Gothorum gloriam sua multitudine superarat, et, licet falso, quod humanis carnibus vescebatur, tanta se ignavia abiecerunt, ut nec resistere cogitarent: et quia Toletum cunctas urbes fortitudine præcellebat, curabant omnes inibi receptari, et aliæ civitates et oppida remanserunt paucis defensoribus [l] habitata. Tunc Comes Iulianus Taric consuluit, ut de suo exercitu bellatoribus compartitis, per diversas partes Hispania vastaretur, et ipse daret de suis complicibus qui ducatu et auxilio Arabes adiuvarent. Tunc Taric divisit exercitum, et misit quemdam, qui de Christiano factus fuerat Sarracenus, qui dicebatur Arabice [m] Mogeit airomi, et erat servus Amiramomenini, et duxit secum DCC. milites, et Cordubam est profectus. Vix enim inter Arabes pedes quispiam reperiebatur. Nam ex equis Gothorum de pedestri ordine milites fuerant facti. Et misit alium exercitum contra Malacam et Granatam. Ipse autem cum maiori exercitu venit Mentesam prope Giennium, et civitatem funditus dissipavit. Mogeit autem cum Cordubam venisset, in villa quæ Secunda dicitur prope Cordubam, insidias occultavit: et quidam de exercitu à quodam pastore quem ceperant, rumores Cordubæ sciscitarunt, qui et retulit maiores Cordubæ ad Toleti præsidium confugisse, et præfectum urbis cum CCCC. militibus remansisse, et urbem circumdatam muro forti, nisi quod iuxta pontem erat muri ambitus intercisus. Mogeit autem cum suo exercitu transivit Bætim, et aere et rore noctu tenebroso venit ad locum per quem muri interruptio viam dabat: ubi etiam erat ficulnea, cui ut scalæ auxilio adhærentes, ad locum

(g) Al. *Hermenegildum.*

(h) Tol. *Fedulam.*

(i) Compl. et Al. *et qui è strage fugerant.*

(j) Tol. *redierant.*

(k) Compl. *in loco fontis.*

(l) Tol. et Compl. *derelicta.* Compl. in margine habet *habitata.*

(m) Tol. *Mogey Aromi.*

Digitized by Google

cum intercidii ascenderunt, et vittis Mogeit (n) usi pro funibus, ad muri ardua conscenderunt, et vigilibus interfectis, seras et ianuas infregerunt, et per pontis ianuam intraverunt: quod cum urbis dominus percepisset, in Ecclesiæ præsidium quod erat fortissimum, se recepit; sed ibi eum tribus mensibus obsederunt: post quos idem dominus civitatis ad montana quæ imminent civitati, dimissis aliquibus in Ecclesiæ munimento, abiit fugitivus: quod cum ad Mogeit notitiam pervenisset, post eum insecutores continuo destinavit: infelix autem fugitivi equi casu præcipiti conquassatus, desperatis rebus, (o) ut in proprio clypeo residebat, quem Mogeit superveniens, cepit vivum. Nec aliquis de senioribus Hispanorum captus dicitur præter istum. Omnes enim alii deditione, aut fœdere se dederunt. Mogeit autem Cordubam rediens, tandiu præsidium Ecclesiæ impugnavit, donec captos capitibus mutilavit: et ex tunc dicta fuit Ecclesia captivorum. Iudæos autem qui inibi morabantur, cum suis Arabibus ad populationem et custodiam Cordubæ dimiserunt: dominum autem urbis quem ceperant, Ulit Amiramomenino (p) Arabi præsentarunt.

(n) Al. *utut.*

(o) Deest *ut* in Compl. MS.

(p) Compl. et Al. *Arabum.*

De captione Malacæ, Murciæ, et Granatæ.

CAP. XXIV.

Exercitus autem qui Malacam iverat, cepit eam, et Christiani qui inibi habitabant, ad montium ardua confugerunt. Alius exercitus Granatam diutius impugnatam victoria simili occupavit, et Iudæis ibidem morantibus et Arabibus stabilivit. Deinde ad urbem quæ tunc Oreola, nunc Murcia dicitur, properavit. Et dominus Murciæ egrediens contra eos, infeliciter est (q) aggressus; et in urbis ambitu circumseptus, cum esset providus et discretus, fecit mulierum capita circumcidi, ut in muris afforis apparentes, viri eminus crederentur, et cannæ quas manibus præferebant, lanceæ putarentur: ipse autem se simulans nuncium civitatis, exivit ad obsessores, et blandiens domino eorumdem, securitatis gratiam impetravit, interposito fœdere (r) treguarum. Tunc paucos ex eis introduxit in civitatem, et cum vidissent hominum raritatem, de datis treguis doluerunt, nec tamen pro religione iuramenti treguas violarunt, sed paucis Arabibus ibi relictis, ceteri Toletum ivere, ubi Taric tunc temporis consistebat. Cum enim Toletum venisset, invenit eam fere habitatoribus destitutam; plures enim ad Amayeram, alii ad Asturias, alii confugerant ad montana. Taric autem ex Arabibus quos secum duxerat, et Iudæis quos Toleti invenerat, munivit Toletum: exinde ivit Guadalfaiaram, et ad montem qui dicitur (s) Gebelculeman, et imposuit ei nomen Gebeltaric: inde venit ad (t) civitatem monti vicinam, in qua invenit mensam viridem ex lapide pretioso, et mensa et pedes ex uno lapide erant, et erat immensæ latitudinis et longitudinis, et imposuit villæ nomen (u) Medina Talmeida, quod interpretatur civitas men-

(q) Compl. *congressus.*

(r) Al. *induciarum.*

(s) Compl. *Gebel Zuleman.*

(t) Compl. et Al. *villam monti vicinam.*

(u) Al. *Medinat Aleneinda.* Compl. legit *Medinat Almeynda.*

Digitized by Google

mensæ: exinde venit Amaiam, olim Patriciam civitatem, ad quam propter fortitudinis prærogativam deiecta confugerat multitudo: sed quia fame et penuria fere laborabat tota Hispania, fame protinus fuit capta, et cepit ibi multa millia captivorum, et thesauros, et donaria [x] magnatum: exinde campos Gothicos et [y] Asturicam devastavit, et in Asturiis civitatem Gegionem, et alia loca plurima occupavit, et in locis idoneis præpositos stabilivit, et Toletum postmodum est reversus anno Arabum XCIII. Muza autem filius Azair anno prædicto, mense Ramadan, audiens magnalia, quæ Taric Princeps [z] sui exercitus exercuerat in Hispanos, familiaris zeli ductus invidia, in Hispanias [a] cisfretavit, ducens secum plus quam XII. millia bellatorum: et cum venisset ad insulam viridem quæ Gelzirat alhadra iam Arabice dicebatur, incolæ suaserunt, ut ea via qua Taric intraverat, ipse iret, quod noluit acceptare. Tunc [b] ductores qui dicuntur [c] Adalides, et alii Christiani suaserunt, ut per alia loca et civitates quæ à Taric nondum fuerant acquisitæ, ipse procederet maiora præteritis patraturus, et ipse gaudens, eorum consilio approbato, venit ad locum munitum, qui latine civitas salva, ab Arabibus Medinatsidona exinde fuit dicta, (hæc est inter mare, et eam quæ nunc Xerez, latine autem dicitur Asidonia) et eam pugnæ violentia occupavit. Deinde venit Carmonam, et quia dictum fuerat ei quod vix impugnatione aliqua posset capi, misit Comitem Iulianum cum aliquibus Christianis, ut fugam quasi victi à prœlio simularent: et sic à civibus receptati, pro hospitalitatis officio hospitam civitatem in manus Arabum prodiderunt; noctu enim vigiles occiderunt, et per portam quæ Cortoba dicitur, Arabes induxerunt. Deinde venit Hispalim, in qua Gothorum substiterat multitudo, quæ ante Gothorum adventum à Silinguis Vandalis urbs regia habebatur, sed Gothi ab ea mutaverunt curiam in Toletum. Hanc Hispalim cum Muza aliquando obsedisset, Christiani qui [d] inerant, ad villam quæ Beia dicitur, aufugerunt. Ipse autem captam Hispalim de Iudæis et Arabibus populavit, et inde ivit Beiam, et eam dispendio simili occupavit. Deinde ivit Emeritam, quæ multis et antiquis ædificiis antiquæ dignitatis gloriam testabatur, et incolæ de multitudine præsumentes, contra eum ad prœlium exierunt, sed ea die Muza non potuit prævalere. Videns autem quod vi non poterat obtinere, in [e] lapicidina urbi proxima insidias occultavit, et sequenti die, ut heri fecerant, cives ad prœlium processerunt, sed inter celatam et acies intercepti, ex civibus plurimi occiderunt, et qui evadere potuerunt, ad urbis ambitum confugerunt. Erat enim muri firmitas miro opere fabricata. Christiani autem corde pusillanimi desperantes, sequenti die colloquium petierunt. Cumque permissi ad Muzæ præsentiam accessissent, [f] viri canitiem attendentes, ad suos post colloquium redierunt, et exposita canitie obsessoris, opinati sunt senem brevi tempore desiturum, et ideo

K

(x) Tol. et Compl. *magnatorum.*
(y) Compl. *Astoricam.*
(z) Tol. *militiæ suæ.* Compl. *militiæ sui exercitus.*
(a) Al. *transfretavit.*
(b) Tol. et Al. *auditores.*
(c) Compl. *Arabice Adalides.*
(d) Tol. et Al. *iverant.*
(e) Compl. *lapidicina.*
(f) Tol. et Al. habent *et.*

ideo illa die à compositionis colloquio destiterunt. Tunc Muza præcepit murum perfodi circumquaque, obsessi autem ab intus exeuntes, plures ex fossoribus occiderunt. Die tertio iterum colloquium postulantes, ad Muzæ præsentiam redierunt, et quos pridie canos notaverant, tincturæ opere coloris contrarii invenerunt, et fatuitate attoniti miraculum reputarunt, et ad suos illico redeuntes, nuntiarunt virum virtute præditum, qui nunc iuvenili, nunc senili præstantia iuxta beneplacitum mutabatur; et hoc miraculo conturbati urbem protinus reddiderunt, interposito tamen pacto, ut salvis rebus recederent et personis. Cepit itaque villam anno Arabum XCIIII. ultima die mensis Ramadan. Et dum hæc fierent, Christiani de Elepla et Beia et aliis partibus insurgentes, Hispalim adierunt, et urbis præsidium occupantes, plures ex Arabibus quos Muza reliquerat, occiderunt; ceteri qui evadere potuerunt, ad Emeritam quam Muza ceperat, confugerunt. Tunc Muza filium suum Abdulaziz misit Hispalim cum exercitu copioso, qui veniens, urbem illico occupavit, et Christianos qui cædem egerant, interfecit. Eleplam etiam occisis incolis occupavit. Dum hæc aguntur, Pelagius in Asturiis rebellavit. Muza autem victoriis et spoliis gloriosus ivit Toletum, ubi Taric non minori gloria residebat, qui in occursum Muzæ ad Talaveræ confinia est egressus, et iuxta rivum qui Teitar dicitur, simulato gaudio convenerunt. Muza autem qui (g) in Taric calumnias cogitabat, Taric redarguit indignanter, eo quod, licet feliciter, mandatum præterierat in peractis, et Toletum pariter venientes, de obtentis et acquisitis, de divitiis et thesauris, de mensa exquisivit exactissime rationem, et receptis mensa viridi et pecuniis quæ Taric voluntarie revelavit, venientes ambo Cæsaraugustam, ipsam et civitates alias, et plura oppida Carpetaniæ, et Celtiberiæ occuparunt.

(g) Tol. et Al. non habent *in*.

LIBER QUARTUS.

De rebellione Pelagii contra Arabes, et de sorore sua, et regno eius.

CAP. I.

Et dum tot dispendiis Hispaniam dissecarent, Deus omnipotens in ira sua misericordiæ non oblitus, Pelagium quasi scintillam modicam in suo conspectu voluit conservare. Hic Pelagius (ut est dictum) fugiens à facie Vitizæ qui eum voluerat excæcare, licet Spatharius eius fuisset, apud Cantabriam se recepit, sed audiens succubuisse exercitum christianum, et Arabes quæque desiderabilia invasisse, sumpta secum sorore propria, Asturiis se donavit, ut sal-

saltem in Asturiarum [h] angustiis posset christiani nominis aliquam [i] scintillam conservare. Sarraceni enim totam Hispaniam occupaverant, gentis Gothicæ fortitudine iam contrita, nec alicubi resistente, exceptis paucis reliquiis quæ in montanis Asturiarum, et Biscagiæ, Alavæ, Guipuscuæ, Ruchoniæ, et Aragoniæ remanserunt, quas ideo Dominus reservavit, ne lucerna Sanctorum in Hispaniis coram Domino extingueretur. Præfecerunt itaque Sarraceni in singulis regionibus præpositos, [j] qui à pauperibus, vinitoribus, et agricolis christianis, quos sub tributo permiserant permanere, census colligerent et tributa. Erat enim in regione Gegionis, iam Sarracenis subdita, qui et in montanis aliqua loca [k] occuparunt, præfectus quidam Munuza nomine, Christianus quidem, sed Arabibus fœderatus, qui captus pulchritudine sororis Pelagii, cum eo amicitias simulavit, et fingens causam legationis, Pelagium misit Cordubam, quæ olim Patricia, tunc erat Arabibus sedes regni. Eo misso, Munuza, procurante quodam liberto, sibi sororem Pelagii copulavit, sed postquam Pelagius rediit, facinus noluit tolerare, et resumpta sorore, licet dissimulans, in Asturiis se recepit non minus magnanimus, quam sollicitus, liberationem patriæ adhuc sperans. Munuza autem pro ablatione coniugis reputans se contemptum, Taric Principi nuntiavit, iam manifeste Pelagium rebellare. Qui missis militibus præcepit Munuzæ, ut Pelagium caperet, et Cordubam destinaret. Cumque milites ad Asturias pervenissent, voluerunt Pelagium dolo composito retinere, sed consilio per quemdam amicum in vico qui [l] Urete dicitur, Pelagio revelato, quia non poterat armis resistere, ad oppositam ripam Pioniæ fluminis, equo insidens, pernatavit, et quia fluvius inundabat, Sarraceni persequi cessaverunt, et ad vallem quæ Canice dicitur, solus venit. Inveniensque plurimos qui metu ad edicta Arabum properabant, spiritu fortitudinis et spe in Domino confortavit, quia etsi propter peccata flagellat filios pestilentes, in fine tamen non obliviscetur misereri. *Psalm. 76. 10.* Illi autem sacra monita attendentes, excusso metu facti magnanimi et fideles, ad montem magnum qui Auseva dicitur, conscenderunt, et per omnes Astures sacra monita persuadens, quasi de gravi somno pusillanimes excitavit, et de omnibus partibus Asturiarum ad eum tamquam ad Dei nuncium concurrentes, in tanta desolatione ipsum in Principem elegerunt. Cœpitque per loca devia et incerta cædes agere contra Mauros, et quasi gyrovagus eorum [m] totam victoriam perturbare, et suos ad persecutionem Arabum roborare. Exercitus autem, qui in capturam eius venerat, Cordubam est reversus. Quod cum audisset Taric qui Cordubæ residebat, Alchamam principem militiæ contra Pelagium destinavit, et [n] Oppam Episcopum Hispalensem filium Egicæ, ut Pelagium ad obediendum sibi monitis suaderet.

(h) Al. *montibus.*

(i) Compl. *scintillulam.*

(j) Al. *ut à pauperibus, ianitoribus, et agricolis, quos sub tributo vivere promiserant.*

(k) Compl. et Al. *occuparant.* Al. *occuparat præfectus.*

(l) Al. *Brete.* Tol. habet *Prete.*

(m) Compl. et Al. *tutam.*

(n) In Compl. MS. deest *Oppam.*

De introitu Pelagii in caveam, et strage Arabum, et captione Oppæ, et morte Alchamam.

CAP. II.

Quorum adventum cum Pelagius percepisset, in cavea quadam quæ est in latere montis Ausevæ, de quo diximus, se recepit; est autem hæc cavea quasi divino artificio rupe inexpugnabili circumclusa, et ab impugnatione secura. Et cum illa cavea vix sit mille hominum receptiva, assumptis secum quos strenuiores credidit, reliquos divinæ gratiæ commendavit, ut in tutis montium Dei misericordiam, et rei exitum expectarent. Ipse autem in cavea cum iis qui secum aderant, Dei misericordiam imploravit. Cumque Alchamam et Oppa Episcopus cum multitudine fundibulariorum et peditum ad Asturias pervenissent, et vastationes aliquas peregissent, demum in circuitu caveæ fixis
(o) Tol. et Al. *recederunt.* tentoriis [o] resederunt. Oppa autem qui multos Christianos suaserat, tunc (ut fertur) mulo insidens, dicitur Pelagium taliter allocutus: "Quanta fuerit Gothorum gloria »in Hispaniis, ipse nosti, et licet »semper contra Romanos et gen»tes barbaras invicta fuerit, nunc »Dei iudicio victa plorat. Quæ »est ergo fiducia tua, ut clausus »in antro cum viris pauculis nita»ris resistere contra Arabes, quos »totus exercitus gentis Gothicæ »sub uno Rege non potuit susti»nere? Recole Gothorum regnum, »quanta doctrina, quanta potentia »abundavit, et nunc ultimæ virtu»tis exinanitione consumptum ad »nihilum est redactum. Consule »igitur vitæ tuæ et eorum qui [p] te- (p) Tol. *tunc.*
»cum pari miseria consumentur, »et Taric invicti Principis te exhi»be voluntati, ut et honoribus re»doneris, et cum iis qui tecum »sunt, vita et operibus perfruaris." Cui respondit Pelagius: "Etsi ad »tempus Deus percutiat filios pe- (q) Al. *percutiet.*
»stilentes, non tamen [q] proiiciet Psalm. 76. 8.
»in æternum." Nosti autem, Episcope Oppa, qualiter tu et fratres »tui et [r] pater tuus Rex Vitiza (r) Compl. et Al. *frater tuus.*
»vestris sceleribus cum Iuliano Co»mite iram Altissimi provocastis, »propter quod excidium gentis Go»thicæ supervenit. Et flet Ecclesia »penitus destituta filios perditos et »extinctos, nec consolari sufficit, do»nec Dominus consoletur: sed per »id modicum [s] et momentaneum (s) Tol. non habet *et.*
»exterminii nostri pondus adiiciet *Psalm.* 40. 9.
»Ecclesia, ut resurgat, et ego spe»rans in misericordia Iesu Christi, »hanc multitudinem cum qua ve»nis, nullatenus pertimesco; ha»bemus enim advocatum apud Pa- 1. *Ioan.* 2. 1.
»trem Dominum Iesum Christum, »in quem credimus, et speramus." Tunc Oppa Episcopus de persuasione desperans, exercitui dixisse fertur: "Inveni hominem obstina»tum, nil restat de cetero nisi pu»gna." Tunc Alchamam præcepit fundibulariis, sagittariis, iaculariis, ostium speluncæ fortiter impugnare. Sed Dei manu pro suis conclusis misericorditer dimicante, lapides, sagittæ, et iacula in emissorum [t] interitum vertebantur. (t) Compl. et Al. *intentum.*
Sicque tali iudicio ferme XX. millibus Arabum interfectis, ceteri quasi vertigine turbabantur. Quod Pelagius cum vidisset, laudans Dei potentiam, et spiritu fortitudinis ro-

roboratus, cum suis egreditur à spelunca, et Alchamam cum maxima multitudine Arabum interfecit, præter eos qui eversis iaculis perierunt. Reliqui vero ad Ausevæ ardua fugientes, ab iis quos Pelagius reliquerat, cædibus perierunt. Qui autem ab iis evaserant, in Libana ad ripam Devæ fluminis pervenerunt, et super quodam montis supercilio incedentes, eodem supercilio in fluvium corruente, et aggere opprimente, in flumine sunt submersi: et Ægyptiorum [u] submersio novo miraculo præsentatur. Oppa autem à Pelagio captus mansit. Ab aliquibus dicitur Oppa fuisse filius Vitizæ, ab aliquibus frater Comitis Iuliani. Sed verius filius fuit Egicæ et frater Vitizæ. Sed utrumlibet istorum fuerit, certum est fuisse Archiepiscopum Hispalensem.

(u) Tol. *emersio.*

De translatione arcæ, et reliquiarum, et sacrorum librorum in Asturias.

CAP. III.

Urbanus autem Sinderedi successor, de quo superius diximus, arcam reliquiarum, et scripta beati Ildefonsi, et Iuliani Pomerii, et vestem [x] sacram quam beata Virgo dederat Ildefonso, cum iam videret in Hispaniis destructionem Ecclesiæ et populi christiani, ad Asturias dicitur detulisse, et de loco in locum, [y] ut persecutio exposcebat, à fidelibus ferebatur. Postquam vero urbs regia fuit non irruptione, sed fœdere ab Arabibus occupata, quod tamen fœdus Sarraceni postea irruperunt, clerus et Christiani eiecti cum aliis qui in Hispaniis servituti barbaricæ mancipati elegerunt degere sub tributo, permissi sunt [z] uti lege et ecclesiasticis institutis, et habere [a] Pontifices, et evangelicos Sacerdotes: apud quos viguit officium Isidori, et Leandri, et viget hodie in sex parochiis Toletanis. Eo et tempore quo Urbanus in urbe regia præsidebat, Ovantius Archidiaconus Toletanus doctrina, sapientia, et sanctitate, secundum Scripturas spe, fide, et caritate præcipuus habebatur, et Frodoarius Accitanæ urbis Episcopus religione et sapientia prædicabatur insignis, et usque ad tempora Almohadum qui Imperatoris Aldefonsi tempore inceperunt, in pace instituta evangelica servaverunt. [b] Et in isto medio fuit apud Hispalim gloriosus et sanctissimus Ioannes Episcopus, qui ab Arabibus [c] Caeit almatran vocabatur, et magna scientia in lingua Arabica claruit, multis miraculorum operationibus gloriosus effulsit, qui etiam sacras Scripturas catholicis expositionibus declaravit, [d] quas in formationem posterorum Arabice conscriptas reliquit. Fuit etiam ibi alius electus nomine Clemens, qui fugit à facie Almohadum Talaveram, ibique diu moratus vitam finivit, cuius contemporaneos memini me vidisse. Venerunt etiam tres Episcopi Asidonensis, et [e] Elepensis, et tertius de Marchena, et quidam Archidiaconus sanctissimus, pro quo etiam Dominus miracula operabatur, qui Archiquez Arabice dicebatur, et usque ad mortem in urbe regia permanserunt episcopalia exercentes, et unus eorum in Ecclesia maiori est sepultus. Quod

(x) Al. *sacratam, quam beata Virgo beato dederat.* Al. habet *quam Virgo beato dederat.*

(y) Al. *prout.*

(z) Tol. et Al. *in lege.*

(a) Al. *Pontificem.*

(b) Compl. et Al. *Et in isto medio accidit, quod in canone dicitur de Episcopo Malachitano. Etiam in isto medio.*

(c) Compl. *Zaeyt.*

(d) Compl. *quas ad informationem.*

(e) Al. *Plepensis.* Compl. legit *Elepleniis.*

Digitized by Google

Quod autem ab aliquibus dicitur, quod à Iuliano Pontifice Toletano et Pelagio Principe reliquiarum arca et Sanctorum scripta ab Ecclesia Toletana in Asturias sunt translata, stare non potest, cum Iulianus Pomerius tertius fuerit ab Ildefonso, et Sinderedus sub quo Hispaniæ destructio, quartus fuerit à Iuliano. Hoc modo Ildefonso successit Quiricus, cui Iulianus Pomerius, cui Sisibertus, cui Felix, cui Gundericus, cui [f] Sinderedus, sub quo fuit ab Arabibus civitas occupata. Item ab aliquibus dicitur, quod primatus Hispaniæ prius fuit in Ecclesia Hispalensi, et post translatus ad Ecclesiam Toletanam, quod etiam stare non potest. In decimo sexto enim Concilio Toletano, ubi Sisibertus Archiepiscopus Toletanus fuit depositus merito culpæ suæ à generali Concilio omnium Archiepiscoporum, Episcoporum, et cleri Hispaniarum, et Galliæ Gothicæ, decreverunt nihil tractandum in Concilio, donec provideretur primæ sedi urbis regiæ de Pastore. Et electus et translatus fuit Felix Archiepiscopus Hispalensis ad Ecclesiam Toletanam factus Pontifex Toletanus. Et in eodem Concilio Faustinus Braccharensis Archiepiscopus factus est Hispalensis, Felix Portugalensis Episcopus factus est [g] Braccharensis Archiepiscopus, et postea de ordinatione [h] Ecclesiarum concorditer tractaverunt. Unde patet, quod si Hispalensis [i] Ecclesia maior esset, non transferretur eius [j] Episcopus ad minorem. Quia igitur propter diversas relationes scriptorum interdum de veritate historiæ dubitatur, diligentia lectoris inquirat, ut ex scripturis authenticis videat, quid debeat approbare.

(f) Al. *Sideredus.*

(g) Tol. et Al. *Megarensis.*

(h) Tol. et Al. *earum.*

(i) Tol. et Al. *Ecclesiæ.*

(j) Al. *Archiepiscopus.*

De morte Munuzæ, et filiorum Vitizæ, et Comitis Iuliani, et Regis Pelagii.

CAP. IIII.

Nunc ergo ad ordinem historiæ revertamur. Cum itaque Dominus divino prœlio inimicos suos ad ostium caveæ Pelagii Principis, et in rupe [k] Devæ fluvio imminente, præcipitio et iaculis prostravisset, Munuza qui civitati Gegioni maritimæ et Asturiis præsidebat, fugæ periculo se commisit: sed ab Asturibus in vico qui Olalies dicitur, fuit captus et interfectus. Licet autem Gegio civitas sit deserta, Giion terra vulgariter appellatur, in qua est monasterium Sancti Salvatoris. Muza autem condolens stragi, suspicatus est factione filiorum Vitizæ et Iuliani Comitis provenisse, et eos pariter pactis et capitibus et vita privavit. Gothi autem quibus fugæ facultas affuerat, audientes quod à Gothis manus Domini non discesserat, clanculo se furantes, ad Pelagium Principem advenerunt, et zelantes legem, et Machabæorum iustitiam æmulantes, pro fide commori elegerunt. Civitatem etiam Legionem quæ in descensu Asturiarum ab Arabibus tenebatur, primo exercitu invaserunt, in ea vexilla fidei exaltantes. Eo tempore Aldefonsus Catholicus, filius Petri Ducis Cantabriæ, in Asturias transmigravit, bella Domini cum Pelagio Principe pugnaturus, cui Princeps

(k) Compl. *ovæ.*

Digitized by Google

ceps Pelagius in uxorem dedit filiam suam Ormisindam. Pelagius vero post multa bella [l] decenter exercita migravit cum Domino apud Canicas anno decimo octavo regni sui.

(l) Compl. non habet *bella*.

De regno Fafilæ, et Aldefonsi Catholici, et eorum morte.

CAP. V.

Mortuo Pelagio, cœpit regnare
Æra 770. Fafila filius eius Æra DCCLXX. et regnavit annis duobus: qui levitate ductus, plus debito venationibus insistebat, et quadam die dum ursum insequi niteretur (decreverat enim cum urso singulariter decertare) ab eodem urso fuit miserabiliter interfectus. Iste dignum memoria nihil egit, nisi quod quamdam Ecclesiam sanctæ Crucis pulchro opere decoravit. Post hunc cœpit regnare gener Pelagii Al-
Æra 772. defonsus Æra DCCLXXII; et regnavit annis XIX. Hic agnominatus fuit Catholicus, quia documenta fidei in se legaliter observavit, et ad id alios ut zelator fidei provocavit, et ideo ab omnibus [m] amabatur, et communi voto ab omnibus in Regem est receptus. Hic fuit filius Petri Ducis Cantabriæ, et habuit fratrem qui Froila dicebatur: (fuit autem Petrus Dux ex progenie gloriosissimi Principis Recaredi) qui cum fratre suo Froila sæpius Arabes bellis intentans, plurima bella gessit, et civitates multas occupatas ab eis christianæ potentiæ redonavit, quasdam muniens, quasdam prosternens quas bellatorum defectu non poterat retinere. Retinuit autem in Gallæcia Lucum, et Tudam, et Asturicam; in descensu autem Asturiarum, expugnato exercitu Arabum, Legionem quæ postea ex frequenti Regum habitatione urbs regia fuit dicta. Occupavit etiam campos Gothicos, qui ab Estola, Carrione, Pisorica, et Doria fluminibus includuntur, et in partibus Castellæ Septemmancas, Dominas, Saldaniam, Amaiam, Mirandam, Cinisariam, Alesancum, Transmeram, Supportam, [n] Catrantium. [o] Et à Malava, et Ordunia, [p] Viscagia, et Navarra, et [q] Ruchonia, et Sarasacio usque ad Pyrenæum plurima castra munivit populis christianis, et [r] multos ex his qui tenebantur captivi, reduxit ad patriam, et ad loca quæ potuit communire. Ad ipsum enim, tanquam ad singulare christianæ professionis asylum, ex vicinis regionibus quas Arabes occupaverant, christiana mancipia concurrebant, et quamvis divina gratia tantis eum honoribus exaltaret, humilitatem non deserens, omnibus se amabilem exibebat, et Deo devotus, in civitatibus quas obtinuit, secundum quod potuit, opportune dedit operam, ut Episcopi crearentur, quorum doctrina reliquiæ christianæ in fide catholica [s] firmarentur. Ecclesias etiam, prout tanta desolatio tolerabat, structuris et ornamentis liberaliter decorabat, libros etiam sacræ Scripturæ undecumque poterat, colligebat, et omnia opera pietatis Deo et Ecclesiis et hominibus pro viribus exhibebat. Reliquit autem ex Ormisinda Regis Pelagii filia duos filios Froilam, et Vimaranum, et fi-

(m) Al. non habet *amabatur, et communi voto ab omnibus*.

(n) Compl. et Al. *Carrantium*.

(o) Compl. *et in Alava*.

(p) Tol. *Biscagia*.

(q) Tol. et Al. *Ruboma*.

(r) Al. *multis*.

(s) Al. *foverentur*.

Digitized by Google

filiam Odisindam, et Mauregatum tertium filium ex ancilla, et propria morte vitam finivit. In cuius transitu voces psallentium in aere feruntur auditæ: "Ecce quomodo
Isai. 57. 1. "tollitur iustus, et nemo considerat: ablatus est à facie iniquitatis, et erit in pace memoria eius." Sepultus est autem cum uxore sua Ormisinda in Ecclesia Sanctæ Mariæ in tentorio Canicarum.

De Froila, et operibus eius, et morte.

CAP. VI.

Post mortem eius Froila filius eius
Æra 791. successit in regno Æra DCCXCI, et regnavit annis XIII. Iste populavit Ovetum, et fecit ibi Ecclesiam Cathedralem. Cumque à tempore Vitizæ insolens abominatio [t] esset, ut clerus carnalibus coniugiis potiretur, iste intelligens iram Dei pro tanta immunditia æstuasse, iuxta sacrorum canonum instituta præcepit, ut ministri Ecclesiæ, castitate servata, nullatenus matrimoniis vel connubiis [u] fœderentur, et licet alias austerus fuerit et crudelis, propter hæc quæ circa clerum instituit, direxit Dominus manum eius. Cumque Omar Dux Cordubæ fines Gallæciæ infestasset, occurrens ei Froila, bello prostratum cepit, et interfecit, et in eo prœlio quinquaginta quatuor millia Arabum ceciderunt. Rebellantem etiam suo [x] domino Gallæciæ populum subiugavit, eorum provinciam deprædatus. Navarros et rebellantes invasit, et sibi concilians uxorem ex eorum regali progenie, [y] Momernam nomine, sibi duxit, et cum eis Vascones sibi infestos suæ subdidit ditioni. Rediens ad Asturias suscepit filium ex Momerna nomine Aldefonsum. Cumque frater eius Vimaranus esset pulcher, strenuus, et affabilis, ab omnibus amabatur, quem Froila ob zelum regni propriis manibus interfecit, et filium eius Veremundum quasi pro satisfactione in filium adoptavit. Nec tamen cessavit indignatio sui generis contra eum. Unde et à suis apud Canicas fuit factione simili interfectus, et apud Ovetum cum uxore sua Momerna fuit traditus sepulturæ.

(t) Compl. et Al. *inolesset.*

(u) Compl. *fœderentur.*

(x) Compl. *dominio.*

(y) Compl. hic et infra habet *Moninam.*

De Aurelio, et Silone, et Mauregato, et [z] Veremundo Diacono.

(z) Al. *Veremundo.* Compl. ubique legit *Veremundus.*

CAP. VII.

Post huius interitum Aurelius frater eius successit in regno Æra DCCCIIII, et sex annis regnavit. Æra 804. Cuius tempore servilis origo contra proprios dominos insurrexit, sed eius industria in servitutem pristinam sunt redacti. Et in diebus eius Silo frater eius Odisindæ Froilæ Regis sorori coniugio copulatur, propter quam postea obtinuit regni sceptrum, et in principio anni septimi regni sui vitam finivit morte propria, post cuius mortem Silo causa Odisindæ Æra 810.
regnum accepit Æra DCCCX, et regnavit annis octo, et in [a] Pravia ad regni solium sublevatur. Cum Arabibus pacem firmavit, et Gallæciam rebellantem in monte [b] Ciperio superavit, et suo imperio subiugavit. Aldefonsus autem filius Froi-

(a) Al. *Prava.*

(b) Al. *Cipro.*

Digitized by Google

Froilæ et Momernæ propter Odisindam (c) amitam suam regale palatium gubernabat, et (d) Silonis negotia procurabat, quia Silo de prole ex Odisinda desperans, iners fiebat, et anno regni sui octavo humanis actibus est ademptus, et in Ecclesia Sancti Ioannis Apostoli, quam ipse construxerat, fuit sepultus. Silone autem defuncto

Æra 818. Æra DCCCXVIII. omnes magnates palatii cum regina Odisinda ad regni solium elevant Aldefonsum. Mauregatus autem eius patruus ex ancilla, (ut superius diximus) elatus in superbiam, ad Arabes (e) se contulit, eisque confœderatus, auxilium postulavit, spondens se eis fideliter serviturum, si eorum auxilio nepotis imperium obtineret. (f) Cum enim esset affabilis, persuasit, et dato sibi exercitu Arabum, regnum nepotis invasit, faventibus sibi aliquibus Christianis. Aldefonsus autem à facie eius verens, fugit in Alavam et Navarram. Ipse autem Mauregatus, ut favorem Arabum retineret, contra Dei legem multa commisit. Puellas enim nobiles, ingenuas, et plebeias stupris Arabum concedebat. Unde Deo et hominibus odiosus, expletis in regno quinque annis, (g) vitam finivit, et pravus in Pravia habuit sepulturam. Regnavit annis quinque, sed eius anni in computatione temporum annis Aldefonsi Regis annumerantur. Eo mortuo, Veremundus filius Froilæ in Regem eligitur, et quamvis magnanimus, regnum tamen sponte dimisit, recolens se (h) olim diaconi ordinem suscepisse, et duobus annis vixit in regno, et sobrinum suum Aldefonsum qui ad Navarros confugerat, revocavit, et in regno substituit successorem, et cum eo aliis quatuor annis et sex mensibus dulcissimam duxit vitam, et propria morte vitam finivit, sepultus Oveti cum uxore sua (i) Imilone, quam vivens à se propter conscientiam ordinis separavit, relictis ex ea duobus filiis parvulis Ranimiro et Garsia.

(c) Tol. et Al. *amicam.*
(d) Tol. *Siloniius.*
(e) Tol. et Compl. *convolavit.*
(f) Tol. et Al. *Cumque enim esset.*
(g) Tol. et Al. non habent *vitam finivit.*
(h) In Al. deest *olim.* Compl. habet *olim ordinem Diaconii suscepisse.*
(i) Tol. *Inulone.*

De Aldefonso Casto, et piis operibus eius.

CAP. VIII.

Aldefonsus itaque dictus Castus, filius Regis Froilæ, vir virtutum, castitate et pietate præcipuus, absque contactu feminæ cælibem duxit vitam. Unde et Aldefonsus Castus meruit nominari. XLI annis regnavit. Anno sui regni tertio exercitus Arabum cum duce suo nomine Mugay Asturias est ingressus, sed Aldefonsi milites in loco qui (j) Lucos dicitur, Arabes prævenerunt, et cum eodem duce, bello inito, septuaginta millia Arabum ceciderunt, multisque prœliis repellens Arabes, pacem patriæ confirmavit. Anno autem regni sui undecimo à suis per tyrannidem regno expulsus in Abeliensi Monasterio se recepit. Indeque à Theudo et aliis suis fidelibus revocatus, regni culmini redonatur. Nunc misericordiæ suæ opera prosequamur. Hic cum multis virtutibus emicaret, palatia regia pulchro et forti opere construxit Oveti. Fundavit etiam Ecclesiam Cathedralem, et maius altare in honorem Sancti Salvatoris, et altaria duo-

(j) Compl. *Lutos.*

 de-

decim Apostolorum cum suis titulis elevavit, Ecclesiamque Sanctæ Mariæ iuxta Basilicam Sancti Tyrsi ex lapidibus et columnis marmoreis, argento et auro cum regali palatio adornavit, et Gothorum gloriam tam in Ecclesiis, quam in palatiis, ut olim Toleti fulserat, prout potuit, reparavit. Et sicut reparato templo per Esdram et Nehemiam, lætabantur iuvenes qui prioris templi gloriam ignorabant, et senes flebant qui prioris templi magnificentiam recolebant; sic et ibi qui gloriam viderant Toletanam, perfundebantur lacrimis et mœrore, iuvenes autem, præteritæ gloriæ inscii, Regis magnalia cum laudibus extollebant. In altari etiam Sancti Michaelis posuit arcam reliquiarum, quam Rex Pelagius et Urbanus Episcopus urbis regiæ tempore perditionis Hispaniæ ad Asturias transtulerunt, ad quam hodie ex universis partibus devote concurrunt populi christiani, laudantes Dei beneficia quæ Dominus Iesus Christus ibidem suis fidelibus impartitur. Et in eadem Ecclesia dicitur esse vestis illa gloriosissima quam beata Virgo contulit glorioso Pontifici Ildefonso. Hæc autem arca reliquiarum dicitur Hierosolymis constructa fuisse, et tempore persecutionis Pseudomachometi per mare Hispalim fuisse translata, indeque Toletum adducta, demum (ut dictum est) tempore [k] quassationis cum multis aliis Sanctorum reliquiis in Asturiis collocata.

(k) Compl. *cassationis.*

De Angelicis aurificibus, et Bernardo.

CAP. IX.

Ad hæc cum Rex pretiosos lapides coram aspiceret, cogitavit crucem de auro, [l] et eisdem lapidibus fabricare, ipsique ab Ecclesia ad palatium venienti occurrerunt duo Angeli in effigie peregrina, se esse aurifices asserentes: Rex autem, datis auro et lapidibus, etiam dedit domum in qua possent secretius operari. Cumque in prandio consedissent, misit nuncios ad aurifices, sollicitans quinam essent. Cumque nuncii [m] accessissent, invenerunt crucem miro opere consummatam, et corusco splendore totius domus penetralia illustrantem, adeo ut non possent tantum splendorem intuentium oculi tolerare. Quod Rex audiens, festinavit, et tanto splendore comperto, agens gratias Salvatori, convocato clero et populo et Pontifice, gloriosam crucem altari obtulit Salvatoris, et ista referens Leoni tertio qui Sedi Apostolicæ præsidebat, obtinuit, ut in Ovetensi Ecclesia Archiepiscopus crearetur. Cumque circa talia et circa prœlia [n] existeret animosus, Semena soror eius Comiti Sancio viro nobili furtivo connubio clam consensit, ex quo suscepit filium nomine Bernardum. Quod cum ad Regis notitiam pervenisset, Comitem Sancium in castro quod Luna dicitur, carcere et vinculis coarctavit, [o] mortis et vinculorum statuens unum finem. Sororem autem Semenam religioni in monasterio mancipavit. [p] Bernardum, quia non

(l) Tol. et Al. non habent *et.*

(m) Al. *advenissent.*

(n) Compl. *insisteret.*

(o) Tol. *et mortis vinculorum.*

(p) Al. *Bernaldum*: ita etiam semper Compl. MS.

Digitized by Google

non habebat filium, delicate nutrivit, qui postquam adolevit, statura, vultu, eloquio, ingenio et consilio, et etiam armis fere omnibus præeminebat.

De legatione ad Carolum, et victoria Regis Alfonsi.

CAP. X.

Rex autem longo regimine et laboribus fatigatus, ad Imperatorem Carolum qui Italis et Teutonicis et Gallicis imperabat, secrete nuncios destinavit, qualiter carebat filiis, et regnum, si veniret in adiutorium, sibi daret. Imperator autem Carolus impugnatione Arabum insistebat. Qui cum Hispanias occupasent, transiecto Pyrenæo, Galliam Gothicam, Burdegalam, (q) Pataviam, et Turoniam, et fere totam Aquitaniam occuparunt. Sed eos Carolus ab occupatis sedibus virtute prœlii abigebat, etiam (r) trans Pyrenæum partem Celtiberiæ quæ Catalonia dicitur, ut victor invasit, ut præpotens conservavit; et tamen his prœliis occupatus spopondit nunciis ad Regis Aldefonsi auxilium se venturum. Post nunciorum autem reditum innotuit legatio magnatibus Aldefonsi, qui æquanimiter non ferentes, suaserunt Regi cum instantia, ut quod mandaverat, revocaret, alioquin ipsum à regno expellerent, et pacta eius nullatenus observarent, et sibi de (s) alieno domino providerent, (malebant enim mori liberi, quam in Francorum degere servitute) in his instante fortius ceteris Bernardo bonæ indolis, bonæ spei. Rex autem licet turbatus (t) minis, et consilio satisfecit, et iteratis nunciis ad Carolum, quæ spoponderat, revocavit. Iratus autem Carolus, fidem mentitam intentans, cœpit Regi Aldefonso terribiliter comminari, et postpositis bellis Arabum, direxit acies in reliquias (u) Hispaniarum. Qui cum ad montana Hispaniæ pervenisset, in quibus pauci qui gladium effugerant, habitabant, cum clamore valido, tacti dolore cordis intrinsecus, lacrimas cum sacrificiis Domino miscuerunt, quasi non superesset eis ulterius vivere, cum cœli sententiam gladio Arabum iam experti, redivivæ morti iterum parabantur, quæ tanto amplius cruciabat, quanto ab illis timebant, de quorum debebant præsumere caritate, et quibus erant coniuncti fibula christiana. Cumque hoc verbum fuisset in Asturiis, Alava, et Biscagia, Navarra, Ruconia, et Aragonia divulgatum, omnes eodem animo et pari studio elegerunt mori potius, quam servire, collectique insimul cum Rege Aldefonso contra Carolum processerunt. Carolus autem ad radicem Pyrenæi ex opposito in valle quadam exercitum collocavit, quæ adhuc hodie Hospita vallis vocatur. Indeque procedens per vallem quæ vallis Caroli dicitur, (x) et planior invenitur, ne ascendentes impediret asperitas Pyrenæi, usque ad summitatem montis porrecto agmine processerunt. In prima acie venerunt præfectus Britanniæ Rolandus, Anselmus Comes, et (y) Eginardus qui erat præpositus mensæ Caroli. Quibus occurrens Rex Aldefonsus cum prædictis populis, virtute

(q) Compl. et Al. *Pictaviam.*

(r) Compl. *citra Pyrenæum.*

(s) Tol. et Compl. *alio.*

(t) Al. *nimis, consilio.*

(u) Compl. *Hispanorum.*

(x) Tol. et Al. non habent *et.*

(y) Compl. *Egiardus.*

 gla-

Digitized by Google

gladii, immo Domini superavit, et eis stratis, plures ex eis qui porrecto agmine procedebant, cæde et impetu ceciderunt, adhuc Carolo per vallem Caroli veniente. Cumque stragem præcedentium comperisset, turbatus insonuit buccina quam ferebat, damno, metu, fuga, et periculo comitatus, et aliqui qui à strage præcedentium aberrabant, eisdem comitibus sociati, ad eum [x] semianimes audita buccina confugerant, et ad eos qui extrema exercitus observabant, propter Bernardum, de quo fama erat [a] quod cum exercitu Arabum per partes Aspe et Secolæ veniebat, postrema exercitus invasurus, et ipse tamen in strage primorum semper astitit Aldefonso. Carolus autem indignatione et confusione [b] demolitus, tantam multitudinem suorum extinctam deplorans, et clades quas Arabibus intulerat, parvipendens, ad Germaniam repedavit, ut [c] reperto exercitu Hispaniam retentaret. Sed thermarum deliciis interceptus, exercitum crastinando, obiit Aquisgrani, et in glorioso tumulo sepelitur, qui erat priscarum victoriarum epitaphiis circumscriptus, ea parte vacua remanente, qua valle Caroli vindictam [d] minitans, inglorius rediit et inultus. Non nulli [e] histrionum fabulis inhærentes, ferunt Carolum civitates plurimas, castra, et oppida in Hispaniis acquisisse, multaque prœlia cum Arabibus strenue perpetrase, et stratam publicam à Gallis et Germania ad Sanctum Iacobum recto itinere direxisse. Quod quidem quantum ad partem Cataloniæ, scilicet [f] Varemonensis, Gerundensis, Ausonensis, Urgellensis territoria, satis constat, quæ cum Gothica Gallia Rex Francorum dicit ad se ex ea acquisitione quam superius diximus, pertinere. Sed Comes Barcinonæ dicit se transactione ab eius feudo liberum et exemptum.

(x) Al. *se inanimes audita buccino confugerunt*. Compl habet *semianimes audita buccina confugerunt*.

(a) Al. *qui*.

(b) Tol. et Compl. *deiectus*.

(c) Compl. et Al. *reparato*.

(d) Al. *minitatur*.

(e) Tol. et Al. *istorum*.

(f) Compl. et Al. *Barchinonensis*.

De civitatibus Hispaniæ, à quibus acquisitæ.

CAP. XI.

Verum cum Carolus tempore Regis Casti, qui cœpit regnare Æra DCCCXXV, fuisse noscatur, non invenio, quas civitates, castra, vel oppida in Hispaniis acquisisset. Nam [g] Tarracona diu destructa fuit tempore Bernardi Toletani Primatis, sicut patet in regesto Urbani Papæ secundi, qui Urbanus eundem Bernardum de restauratione civitatis, [h] et Ecclesiæ suis litteris animavit. Post recuperationem etiam Toleti regiæ civitatis Comes Barcinonæ Ilerdam, [i] Dertosam, et Fragam noscitur acquisisse. Montionem Titio quidam nobilis ex Aragonia acquisivit, et ei castrum illud proditione sublatum Comiti Barcinonæ deditione provenit. Osca à Rege Petro Aragoniæ noscitur acquisita. Cæsaraugustam, Tirasonam, Calataiub, et Darocam cum ceteris adiacentibus Aldefonsus Rex Aragoniæ [j] dicitur acquisisse, assistentibus sibi [k] retro Comite Perticarum, cui convenit Tutelei cum aliis castris, quæ postea dedit Garsiæ [l] Ranimiro Regi Navarræ cum sua filia Margelina, et Gastone Vice Comite [m] Benearnensi, cui etiam castra et possessiones in Arago-

Æra 825.

(g) Tol. et Compl. *Tarrachona Metropolis diu*, sed Compl. ubique legit *Terrachona*.

(h) Tol. et Al. non habent *et*.

(i) Compl. *Dertusam*.

(j) Compl. *acquisivit*.

(k) Al. *Irreto Comite Perticarum, cui Tutela provenit*. Compl. legit *cui provenit Tutelei*.

(l) Compl. *Ranimiri*.

(m) Compl. *Bearnensi*.

gonia provenerunt. Idem etiam Rex habens uxorem Urracam filiam Regis Aldefonsi qui cepit Toletum, populavit Soriam, [n] Almazan, Valeranicam, quæ nunc Verlanga dicitur, et Belliforamen. Sed in finibus regni Castellæ Aldefonsus qui cepit Toletum, cepit etiam Talaveram, Maquedam, Sanctam Eulaliam, et [o] Alfanum, populavit Scalonam, cepit Margeritum, Canales, et [p] Ulnos, Talamancam, Uzetam, Guadalfaiaram, Fitam, et Almochariam: populavit Buitragum. Tempore [q] eius Bernardus qui tunc temporis erat Primas, Alcala acquisivit. Idem etiam Rex Aldefonsus Secoviam, Abulam, Salmanticam cum omnibus oppidis et [r] villis suarum diœcesium populavit, quæ à tempore vastationis Arabum semper manserant desolatæ. Medina, quæ nunc [s] Cœlum, olim Segontia dicebatur, et Atentia, Ripa, [t] Fandalus per ipsum et suos suis victoriis accesserunt. Oxoma, Sanctus Stephanus, et [u] Gormatum tempore Comitum Castellæ christiano nomini provenerunt. Optam, [x] et Anteliam, et Cauliam obtinuit Imperator. Velesium Sancius filius eius suæ subdidit ditioni. Concam, Alarconem, Moiam, Placentiam, Beiaram, [y] Alarcuis, Calatravam, Caracuel olim perdita Aldefonsus nobilis cum omnibus antedictis addidit fidei christianæ. Rex Fernandus pater Regis Aldefonsi qui cepit Toletum, Conimbriam acquisivit. Ulysbonam, Sanctam Ireneam, Elboram, Sintriam cepit Aldefonsus, qui [z] primus in Portugallia habuit Regis nomen. Cetera oppida earum diœcesium quædam ipse, quædam filius eius Rex Sancius popularunt. Ea autem quæ sunt nostris temporibus acquisita, suo loco, prout Deus dederit, prosequemur. Cum igitur hæc omnia infra ducentorum annorum spatium potestati [a] accreverint christianæ, non video quid in Hispaniis Carolus acquisiverit, cum ab eius morte anni pene effluxerunt quadringentesimi. Facti igitur evidentiæ est potius annuendum, quam fabulosis narrationibus attendendum. Sive enim à Christianis, sive à Sarracenis, ipse vel eius exercitus [b] fuerit victus, itinere retrogrado, comitatus damnis et periculis, retrocessit, nec stratam Sancti Iacobi suo itinere potuit publicare, cui non obvenit transitum vallis Roscidæ penetrare: sed longe post cum gloria Apostoli Iacobi miraculis publicata pœnitentium animos incitasset, propulsis à strata Sarracenorum incursibus, occultæ semitæ in viam publicam concreverunt, per quam ferme ab universis Christianorum finibus beati Apostoli limina visitantur: nisi forte aliquod insigne fecerit eo tempore, quo cum Rege Galafrio Toleti degebat. Fertur enim in iuventute sua à Rege Pipino Galliis propulsatus, eo quod contra paternam iustitiam insolescebat. Et ut patri dolorem inferret, Toletum adiit indignatus, et cum inter Regem Galafrium Toleti et Marsilium Cæsaraugustæ dissensio provenisset, ipse sub Rege Toleti functus militia, bella aliqua exercebat, post quæ, audita morte patris Pipini, in Gallias est reversus, ducens secum Galienam filiam Regis [c] Galafrii, quam ad fi-

(n) Al. *Almazaum.*
(o) Al. *Alfamin.*
(p) Compl. *Ulmos.*
(q) Al. *cuius.*
(r) Tol. et Al. non habent *villis.*
(s) Al. *Celi.* Compl. *Celim.*
(t) Compl. *Fandalux.*
(u) Compl. et Al. *Gormatium.*
(x) Al. *Ancetiam, et Cauriam.* Compl. habet etiam *Cauriam.*
(y) Compl. *Alarcuris.*
(z) Al. *prius.*
(a) Al. *accreverunt.*
(b) Compl. et Tol. *fuit.*
(c) Al. *Galafri.*

Digitized by Google

fidem Christi [d] conversam duxisse dicitur in uxorem. Fama est et apud Burdegalam ei palatia construxisse.

(d) Tol. et Compl. *commissam.*

De victoriis [e] *Alfonsi, et morte eius.*

(e) Compl. ubique legit *Aldefonsus.*

CAP. XII.

Nunc ad prosequenda facta Regis Alfonsi, à quibus divertimus, revertamus. Anno regni eius tricesimo, duo exercitus Arabum Gallæciam sunt ingressi,(dux unius vocabatur Abolabez, dux alterius Melhi) et audacter ingressi, audacius sunt repulsi. Alter in loco qui vocatur Naron, alter in Anceio fluvio perierunt. Subsequente tempore, anno regni eius tricesimo septimo, cum fama sui nominis Christianos et Arabes dulcoraret, vir quidam [f] civis Emeritensis Mahamut nomine, de familia Abderramæ Regis Cordubæ cui rebellionem procuraverat, indignationem veritus, confugit ad clementiam Aldefonsi cum multis Arabibus qui ei favebant, et clementer susceptus, per septem annos in Gallæcia fecit moram, qui octavo anno sui adventus, Arabum manu adscita, habitatoribus Gallæciæ molestias inferebat, et proditionis præteritæ non oblitus, addidit congeriem factioni. In castro enim quod Sancta Christina dicitur, in præiudicium clementis domini et exterminium telluris hospitæ nisus est rebellare. Sed Rex audiens, movit exercitum, obsedit castrum cum multis millibus bellatorum. Cumque bellum contra Regem prædictus proditor præsumpsisset, victus, capite mutilatur, quod Regi illico præsentatur, castrumque capitur Regis dominio restitutum; et de Arabibus qui secum primum venerant, et de aliis qui postmodum adventaverant, cæsa usque ad quinquaginta millia remanserunt. Rex autem Aldefonsus Ovetum cum victoria est reversus. [g] Licet autem dicatur LII. annis regnasse, Siloni annis quatuor conregnavit, et expulsus, annis quinque tempore Mauregati, et duobus in regno particeps Veremundi, solus autem XLI: in quibus licet uxorem habuit, ab eius contactu semper extitit alienus, caste, sobrie, immaculate, ac pie regni gubernacula dirigendo, amabilis Deo et hominibus. Apud Ovetum morte propria consummatus, immaculatum spiritum ad cœlos [h] dimisit. Cuius corpus omni veneratione delatum in Ecclesiam Sanctæ Mariæ quam ipse fundaverat, in tumulo lapideo sepelitur.

(f) Al. *cuius Emercensis Mahamat nomen.*

(g) Tol. et Al. *Dicitur*, nec habent quæ sequuntur: *Siloni annis quatuor conregnavit, et expulsus annis.*

(h) Compl. et Al. *emisit.*

De strage Normanorum, et victoriis Ranimiri.

CAP. XIII.

Post obitum eius [i] Ranimirus filius Veremundi Regis et Diaconi, ipso Rege Aldefonso adhuc in extremis laborante, et hoc ipsum præcipiente, ad regni fastigium sublimatur Æra DCCCLIX, et sex annis regnavit. Sed quia in Bardulia pro accipienda uxore aliquandiu fecit moram, Nepotianus quidam Comes palatii attentavit regnum tyrannide obtinere. Ranimirus autem hoc audiens, festinato

(i) Al. *Ranirus primus.*

Æra 859.

Digitized by Google

to revertitur, et apud civitatem Gallæciæ quæ Lucus dicitur, exercitum congregavit, et Asturias irruptione invasit, eo quod Astures Nepotiano favebant. Nepotianus autem, sumpta manu Asturum et Vasconum, Regi Ranimiro occurrit ad pontem fluvii qui Narceia nuncupatur. Nec mora destitutus à suis in ipso certamine fugam parat, fugitivus à duobus Comitibus Somna et Scipione in Pramaria capitur, et sic regnum Ranimiro pacifice subiugatur. Rex autem Nepotianum in monasterium relegari præcepit, ut ibi finem vitæ orbus et monachus expectaret. Tempore Ranimiri gens Normanorum crudelissima et pagana ad Pharum Gallæciæ applicuit cum multis navibus et [j] triremibus: quod ut comperit Rex Ranimirus, congregavit exercitum Comitum et magnatum, et in Pharo Gallæciæ supradicto intulit eis bellum, et Domino adiuvante, gens Normanica, licet aspera, fuit victa, et septuaginta naves eorum incendio concrematæ, magna eorum multitudine interfecta. Qui supererant, navigio aufugerunt, spoliis multis victoribus derelictis. Fugientes autem Hispalim [k] confugerunt, et prædas agentes, plurimos occiderunt, usque adeo quod ipsam Hispalim irruperunt, et post anni circulum ad propria redierunt. Dum hæc aguntur, Ranimirus bellis [l] impetitur intestinis. Nam Comes palatii Alderedus, et Piniolus procer palatii cum septem filiis contra Regem in superbiam sunt elati. Sed eorum factionibus Ranimirus occurrens, Alderedum privavit oculis, Piniolum cum septem filiis interfecit. Post hæc autem Rex Ranimirus nolens otiosus à Dei servitio inveniri, aggressus est loca Arabum, et tam in villis, quam in agris, cuncta quæ reperit, etiam Anagarum incendio concremavit. Tunc Sarraceni cum maxima multitudine occurrerunt. Exercitus autem Regis Ranimiri, visa multitudine, [m] in locum qui Clavigium dicitur, se recepit. Cumque in nocte de certamine dubitaret, apparuit ei beatus Iacobus confortans eum, ut certus de victoria sequenti die bellum Arabibus instauraret. Cumque diluculo surrexisset, visionem Episcopis et magnatibus revelavit. Qui pro visione gratias exolventes, ad pugnam omnes se communiter paraverunt Apostoli oraculo roborati. Sed [n] ex alia parte Sarraceni de multitudine confidentes, ad prœlium processerunt. Hinc inde itaque conserto prœlio, Sarraceni confusione turbati, Christianorum [o] gladiis terga dederunt, ita quod ex eis fere septuaginta millia ceciderunt. In quo bello beatus Iacobus in equo albo vexillum [p] manu baiulans, fertur apparuisse. Tunc Rex Ranimirus cepit Albaidam, Clavigium, Calagurram, et multa alia quæ regno adiecit. Ex tunc, [q] fertur, hæc invocatio inolevit, *Deus adiuva, et Sancte Iacobe.* Tunc etiam vota et donaria beato Iacobo persolverunt, et in aliquibus locis non ex tristitia, aut necessitate, sed devotione voluntaria adhuc solvunt. Aderant autem cum Rege Garsias frater eius, qui à patre eorum Veremundo Diacono post mortem patris infantulus est relictus, quem Rex Ranimirus tanta be-

(j) Compl. *trieribus.*

(k) Compl. *advenerunt.*

(l) Tol. et Al. *impellitur.*

(m) Compl. *in loco munito qui Clavigium.*

(n) Compl. *et ex alia parte.*

(o) Tol. et Al. *Galliis.*

(p) Compl. *album manu baiulans.*

(q) Compl. et Al. *ut fertur.*

benignitate fovebat, quod et tamquam seipsum diligeret, et participem faceret regni sui. Urraca autem [r] uxor Ranimiri quam ex Castella duxerat, cum esset christianissima, Ecclesias Sancti Iacobi et Sancti Salvatoris multis donariis adornavit. Construxit etiam Rex Ranimirus Ecclesiam Sanctæ Mariæ opere forniceo in latere montis Naurantii, duobus milliaribus ab Oveto. Anno sexto regni sui propria morte decessit, Oveti honorifice tumulatus.

(r) Compl. *Regina uxor.*

De Rege Ordonio, et eius magnalibus.

CAP. XIV.

Ranimiro defuncto, Ordonius filius eius successit in regno Æra [s] DCCCLXVI, et regnavit annis decem, vir patiens et modestus: uxorem duxit nomine [t] Madonam, ex qua genuit quinque filios: Aldefonsum, [u] Veremundum, Nunium, Odoarium, Froilam, qui dictus est Aragontus. Civitates desertas quas, eiectis Arabibus, Aldefonsus Maior invasione destruxerat, adductis populatoribus, reparavit, scilicet Tudam, Asturicam, Legionem, Amaiam, Patritiam. Contra Arabes sæpissime dimicans triumphavit. In primo anno regni sui adversus Vascones rebellantes exercitum congregavit, et coactos cædibus suo iuri eos et patriam subiugavit. Cumque victor ad propria remearet, audivit Arabes contra se cum exercitu advenire, et cum toto sui exercitus apparatu occurrit intrepidus ad bellandum; et victor in Arabes, plurimis eorum gladio detruncatis, ceteri aufugerunt, et sumptis spoliis et captivis, Rex Ordonius rediit gloriosus. Interim autem quidam Princeps Sarracenorum, natione Gothus, sed ritu Machometico inquinatus, cum tota sua gente deceptus, quos Arabes [x] Bencaharim dicunt, contra Regem Cordubæ rebellavit, eique plurimas civitates, quasdam fraude supplantavit, quasdam gladio, Cæsaraugustam, Oscam, Tudellam, et Toletum, ubi filium suum nomine Lupum præposuerat civitati: postea autem in Francos Cataloniæ et Galliæ Gothicæ arma vertit, prædas, et cædes plurimas inferendo, duosque eorum Francorum duces, Sancium et Pulionem, fraude et prœlio vicit, et cepit catenis, et carceri mancipavit. Duos etiam tyrannos Sarracenorum Ibembeanza et Alporz cum filio suo Azeth, partim Muza, partim filius eius Lupus prœliando ceperunt. Carolus autem Rex Franciæ, non ille Magnus qui iam decesserat, videns quod sine magnis sumptibus et discrimine ei non poterat obviare, decrevit Muzam muneribus compescendum: et acceptis muneribus, inquietare cessavit. Tunc de tot victoriarum successibus elevatus, præcepit suis, ut eum Regem tertium in Hispania appellarent. Post hæc præsumptione præterita non contentus, collecta manu valida, contra Regem Ordonium se paravit. Sed Rex Ordonius ad eius insaniam comprimendam venit Albaidam, quam dictus Muza nuper Christianis ablatam construxerat, et muris et turribus in ea præsidium obfirmarat, ad

Æra 866.

(s) Compl. et Al. *DCCCLXV.*

(t) Al. *Mamadona.*

(u) Tol. et Compl. ubique legunt *Veremudus.*

(x) Tol. *Belcas.* Compl. *Bentarim.*

Digitized by Google

ad quam veniens Rex Ordonius, conclusit obsessam. Quod audiens Muza, manu valida in succursum Albaidæ festinavit, et veniens ad montem qui Laturcius dicitur, fixis tentoriis spectavit. Ordonius autem audiens adventum Muzæ, medietatem exercitus in obsidione dimisit, cum reliqua contra Muzam animose processit, initoque certamine, Muzam cum suo exercitu superavit, interemptis plus quam decem millibus de numero militari, exceptis plebibus interfectis, quæ hunc numerum excedebant. Muza vero trino vulnere sauciatus, vix semivivus evasit, et totius exercitus apparatum et munera quæ à Carolo susceperat gloriosus, devictus amisit, quæ Rex Ordonius et suus exercitus habuerunt. Et sic victor inclitus ad eos quos in obsidione dimiserat, est reversus, et septima die postquam rediit, irruptione munitionem accepit, omnibus qui inerant interfectis, et civitate usque ad fundamenta subversa, ad propria rediit cum triumpho. Lupus autem filius Muzæ, qui principatui præerat Toletano, auditis quæ circa patrem suum acciderant, cum omnibus quæ habebat, Regi Ordonio se subiecit, et dum vixit, subditus ei fuit, et contra Arabes pro Rege Ordonio cui se dederat, plurima bella gessit. Rex autem Ordonius Cauriam cum Rege suo Zeyt, et Salmanticam cum Rege suo Muzarez potenter invasit, et pluribus interfectis, reliquum vulgus cum uxoribus et filiis fecit vendi. Eisdem temporibus Normani piratæ ad Hispaniæ litora pervenerunt, et loca maritima deprædantes, homines gladio, terras incendio consumpserunt. Exinde in transmarinam Mauritaniam transfretantes, (y) Nacorum civitatem eius provinciæ invaserunt, magna Sarracenorum multitudine interfecta. Deinde Maioricam, Minoricam, (z) Evizam, Frumentariam, Baleares insulas vastaverunt. Deinde advecti Græciam, patratis incursionibus, eodem navigio ad propria redierunt. Rex autem Ordonius supradictus, expleto anno decimo, quidam dicunt decimo sexto regni sui, morbo podagrico (a) interceptus, Oveti defunctus, in Ecclesia Sanctæ Mariæ cum prioribus Regibus tumulatur.

(y) Al. *Nacos.*

(z) Al. *Eburam.*

(a) Al. *interemptus.*

De Aldefonso Magno, et eius præliis gloriosis.

CAP. XV.

Post mortem Ordonii regnavit Aldefonsus filius eius, qui quatuordecim annorum erat cum regnare cœpisset, Æra DCCCLXXV, et regnavit annis XLVI. Hic in morte patris à palatio absens erat, sed audita morte patris, festinus venit Ovetum, ibique ab omnibus gratanter susceptus, regni fastigium est adeptus. Cumque regni negotia laudabiliter inchoaret, Froila Veremundi ex partibus Gallæciæ cum magno exercitu veniens, regnum præsumere attentavit. (b) Sed tamen ex improviso Rex Aldefonsus Alavæ se recepit, ut collecto maiori exercitu, Froilæ (c) Veremundi obviaret. Inter hæc autem, dum prædictus Froila plus tyrannice, quam regaliter se haberet, Oveti interficitur à senatu. Cuius mors

Æra 875.

(b) Compl. et Al. *et quia.*

(c) Compl. et Al. *tyrannidi.*

Digitized by Google

quanto iustior, tanto gratior approbatur. Quod audiens Aldefonsus, ab Alava ad Asturias properavit, et statim utilitati inhians, Sublantiam et Ceiam populavit, muris et turribus communivit. Eilo autem Alavensium Comes corda suorum contra Regem indebite incitavit, existimans rebellare; sed dum Rex, collecta manu, factioni resistere properaret Alavensium, adventu Regis territi, manus dederunt, pollicentes se de cetero subditos et fideles. Sicque Alava suo imperio subiugata, Eilonem Comitem ferro vinctum misit Ovetum. Eisdem diebus Legionem exercitus Arabum attentavit cum duobus ducibus Imundar et Alchana, quorum adventum audiens Aldefonsus, cæde et gladio effugavit. Post hæc volens, omissis aliis, stragi Arabum insudare, et fidei terminos dilatare, Gallos et Navarros amicitia sibi iunxit, et ex Francorum regali genere uxorem duxit nomine Amelinam, quæ postea (d) Ximena, mutato nomine, fuit dicta, ex qua suscepit quatuor filios: Garsiam, Ordonium, Froilam, et Gundisalvum qui fuit Archidiaconus Ecclesiæ Ovetensis. Hic Aldefonsus vir bellorum, pietatis, religionis, et iustitiæ fuit amator. Hic volens bellis Domini tempora dedicare, assumptis Gallis Gothiæ et populis Vasconum et Navarrorum, terras quas Arabes detinebant, fame, flamma, cædibus, et incursionibus coarctavit: Lentiam, turribus igne consumptis, obtinuit, habitatoribus interfectis. Inter cetera autem pietatis et religionis opera thesauros quos pater suus sibi reliquerat, Ecclesiis et pauperibus erogavit, Ecclesiam Sancti Iacobi quæ erat terrea, quadris lapidibus et columnis marmoreis reparavit, et Ecclesias multas et palatia intra diœcesim Ovetensem, et per omnia loca regni sui, oppida, munitiones et castra. Factum est autem, ut Arabum maxima multitudo ex regno Toleti ad regni sui exterminium adveniret, sed Aldefonsi Regis occursu confusi, et caruere optatis, (e) et quæ attulerant, perdiderunt, et maxima multitudine bello perempta, etiam (f) qui fugæ se dederant, perierunt. Peracta victoria in ripa Doril, Rex rediit cum gloria et honore, et in his bellis Bernardo fortissimo milite sibi strenue assistente. Verum quia pater eius, licet orbus et decrepitus, adhuc in vinculis tenebatur, Bernardus extruxit castrum quod Carpium appellavit, in territorio Salmanticensi, indeque fœderatus Arabibus, cœpit regni confinia infestare. Unde et Arabes, assumpta maxima multitudine, Legionem et Asturicam et adiacentia loca vastare cœperunt. Sed Rex Aldefonsus absolutione patris Bernardum concilians, contra Arabes exercitum instauravit. Arabes vero præ multitudine nil verentes, in duas partes exercitum diviserunt: unam partem Pulverariam (g) miserunt, cum alia Regis exercitui occurrerunt. Sed Bernardus cum parte exercitus eam medietatem quæ contra Regis exercitum mittebatur, in Vallemori prævenit, et eos cæde mirabili devastavit. Rex vero eis, qui (h) Pulverariam iverant, occurrendo, iuxta Urbicum ut potens prostravit, (i) ut victor occidit, ut prævalens exterminavit, et præter

(d) Compl. *Xemena.*

(e) Al. *et confusi facti sunt, et.*

(f) Tol. et Al. *quæ.*

(g) Compl. *destinantes.*

(h) Tol. *Pulveranam.*

(i) Tol. non habet *ut.*

Digitized by Google

ter eos qui fugæ periculo perierunt, in campo cæsi usque ad duodecim millia remanserunt, ita quod de utroque exercitu nulli alii evaserunt, præter decem qui obtecti sanguine remanserunt.

Item de prœliis, et piis operibus Aldefonsi.

CAP. XVI.

Post hæc iterum exercitus Arabum congregatus, obsedit Zamoram, quod Rex audiens improvisus, cum iis quos ad manum habuit, ingressus est civitatem, mandans omnibus suæ gentis, ut in succursum eius quantocius properarent: et Bernardo sollicite instigante exercitus adunatus, Arabes exterminio conquassavit, Alchaman eorum propheta gladio interfecto. Quibus cædibus coacti Arabes, ad tempus cum Rege pacis fœdera firmaverunt. In diebus huius Aldefonsi dicunt quidam fuisse bellum Roscidæ vallis, et non cum Carolo Magno, sed cum Carolo agnominato Martello cum quo asserunt accidisse. Sed cum tres Caroli fuerunt successive, scilicet Carolus Magnus, Carolus Calvus, Carolus Martellus, ex causa superius assignata, et quia in libris authenticis invenitur, et quia publica fama Francorum et Hispanorum communiter hoc proclamat, tempore Magni Caroli dicimus accidisse. Si quis autem melius dixerit, correctionem in hoc corpusculo non recuso. Per idem tempus Froila frater Regis cum aliis quatuor fratribus (ut fertur) mortem Regis procurans, factione detecta, in Bardulia se recepit; sed Rex frater eum insequens, comprehendit, et omnes fratres suos Veremundum, Nunium, Odoarium, et Froilam privavit oculis ex hac causa. Veremundus autem clanculo fugit Asturicam, et per septem annos gessit tyrannidem, cum quibus etiam acto exercitu, Graliare obsedit, sed ab Aldefonso Rege prostrato exercitu, Veremundus orbus ad Arabes fuga celeri convolavit. Tunc Rex in Ventosam et Asturicam, eo quod Veremundum receperunt, vindicavit. Coimbriam etiam à Sarracenis obsessam, soluta obsidione, suo imperio conservavit. Tunc etiam urbes (f) Portugallia, Viseum, Flavium cœperunt habitari ab incolis Christianis. Etiam usque ad fluvium Tagum in partibus Portugalliæ aliqua populavit. Quidam dux et Proconsul Arabum, nomine Abohali, bello comprehensus, Regi est præsentatus, qui, datis pro se centum millibus aureorum, permissus liber abiit et securus. Idem etiam Rex Septemmancas, Dominas, et alias villas in campis Gothicis populavit. Post hæc Rex partes Toleti devastans, et aliquas munitiones evertens, habitatoribus trucidatis, accepta à Sarracenis pecunia, eis per triennium pacem dedit. Sicque reversus ad propria, Addanium quemdam de familia palatina in mortem Regis comperit machinatum, quem fecit illico laniari. Ecclesias quoque beati Iacobi, et Sanctorum Facundi et Primitivi magnifice fabricavit, quas postea Arabes destruxerunt: castrum Gozon in maritima Asturiarum ob tuitionem patriæ obfirmavit,

(f) Al. *Portugalia.* Compl. legit *Portugalensem, Visensem, Flaviensem cœperunt.*

vit, civitatem Zamoram nobiliter
populavit, quæ ex eo nomen di-
citur accepisse. Cum Rex ipse lo-
cum ascenderet ad videndum, sa-
telles quidam qui inter ceteros Re-
gem cum spiculo præcedebat, vac-
cam nigram dicitur invenisse, quam
(k) Tol. et Al. *rusticam.* volens (k) rusticani applausus voca-
(l) Al. *mora.* Compl. ubique legit *Zemora.* bulo delinire, fertur dixisse (l) Ze-
mora; vaccas enim eius coloris
Hispani armentarii moras vocant.
Unde et Rex Zemoram nomen
indidit civitati. Et cum Rex tan-
tis prosperis lætaretur, duos pres-
byteros Severum et Desiderium
ad Ioannem Papam cum suis litte-
ris destinavit, qui reversi cum
(m) Compl. *Rainaldo.* (m) Reinaldo eiusdem Papæ gerulo
epistolam huiusmodi detulerunt.

Epistola Ioannis Papæ ad Aldefonsum Regem.

CAP. XVII.

«Ioannes Episcopus servus servo-
»rum Dei, Aldefonso Regi christia-
»nissimo, seu cunctis venerabilibus
»Episcopis, Abbatibus, vel or-
»thodoxis Christianis. Quia igitur
»in cura nos totius christianitatis
»beati Petri Apostolorum Princi-
»pis sempiterna providentia suc-
»cessores, ea Domini nostri Iesu
»Christi constringimur adhortatio-
»ne, qua beatum Petrum Apo-
»stolum monuit, dicens quadam
Matth. 16. 18. »voce: *Tu es Petrus, et super*
»*hanc petram ædificabo Eccle-*
»*siam meam, et tibi dabo claves*
(n) Tol. et Al. *Hinc.* »*regni cœlorum*, et reliqua. (n) Huic
»rursus, imminente Domini nostri
»articulo gloriosæ passionis, inquit:
Luc. 22. 32. »*Ego pro te rogavi, ut non defi-*
»*ciat fides tua, et tu aliquando*
»*conversus confirma fratres tuos.*
»Ideoque quia vestræ notitiæ fa-
»ma per hos fratres limina Apo-
»stolorum lustrantes per Severum
»et Desiderium presbyteros nobis
»miro odore bonitatis est revela-
»ta, paterna vos adhortatione com-
»moneo, in cœptis bonis operibus
»gratia duce perseverare, quate-
»nus copiosa vos beati Petri pro-
»tectoris vestri et nostra prote-
»gat benedictio, et quotiescumque,
»filii carissimi, ad nos venire qui-
»libet vestrum, aut transmittere
»voluerit, tota cordis exultatione
»et animi gaudio de ultimis Gal-
»læciæ finibus cui vos præter me
»Dominus rectores constituit, tam-
»quam iure filios nostros vos (o) col- (o) Al. *colligimus.*
»ligemus, et Ecclesiæ Ovetensis
»quam vestro consensu et assidua
»petitione metropolitanam consti-
»tuimus, omnes vos subditos esse
»mandamus, et concedimus etiam
»prædictæ sedi, ut ea quæ Reges,
»seu (p) quilibet fideles iuste obtu- (p) Tol. et Al. *quibus.*
»lerunt, vel in futurum Domino
»opitulante contulerint, ratum,
»firmum, et inconcussum manere
»in perpetuum præcipimus. Hos
»quoque latores litterarum nostra-
»rum omnes hortor ut habeatis
»commendatos. (q) Bene valete.» (q) Tol. *Bene valentes.*
Item alia epistola ab eodem Papa
Romano directa per Arnaldum ge-
rulum mense Iulio.

Alia epistola.

«Ioannes Episcopus servus ser-
»vorum Dei, dilecto filio Aldefon-
»so glorioso Regi Gallæciarum.
»Litteras devotionis vestræ susci-
»pientes, quia devotum vos esse (r) Al. *nostram Ecclesiam.* Tol. *vestram sanctam Ecclesiam.*
»cognovimus erga (r) nostram san-
»ctam

„ctam Eccleſiam, gratias vobis „multiplices referimus, Dominum „exorantes, ut (s) vigor regni veſtri „abundet de inimicis veſtris, vi„ctoriam vobis concedat. Nam „(t) nos, fili cariſſime, ſicut peti„ſtis, ſedulas preces Domino fun„dimus, ut regnum veſtrum gu„bernet, vos (u) ſalvos faciat, cu„ſtodiat, et protegat, et ſuper ini„micos veſtros (x) erigat. Eccleſiam „autem beati Iacobi (y) Apoſtoli ab „Hiſpanis Epiſcopis conſecrari fa„cite, et cum eis Concilium cele„brate. Et nos quidem, glorioſe „Rex, ſicuti vos, à Paganis iam „conſtringimur, et die ac nocte „cum illis bella committimus, ſed „omnipotens Deus (z) dat nobis de „illis triumphum. Huius rei gratia „rogamus dilectionem veſtram, et „animum deprecamur, ut quia (ut „diximus) valde à Paganis oppri„mimur, aliquantos utiles et opti„mos Mauriſcos cum armis (quos „Hiſpani cavallos Alpharaces vo„cant) ad nos dirigere non omit„tatis. Qualiter nos recipientes, Do„minum collaudemus, vobis gra„tias referamus, et per eorum „(a) portitorem de benedictionibus „Sancti Petri vos remuneremus. „Bene (b) vale dilectiſſime fili, et „clariſſime Rex.

(s) Al. *rigor.* Tol. *victor.*

(t) Tol. et Al. *vos filii cariſſimi.*

(u) Al. *ſalvum.*

(x) Tol. et Al. non habent *erigat.*

(y) Deeſt *Apoſtoli* in MS. Tol.

(z) Al. *donat.*

(a) Tol. et Al. *portionem.*

(b) Al. *valete.*

De ſublimatione Ovetenſis urbis in metropolim, et dedicatione Eccleſiæ Sancti Iacobi, et de Concilio Ovetenſi.

CAP. XVIII.

Rex itaque, viſis epiſtolis, gaudio eſt gaviſus, et conſtituit diem in qua convenirent nobiles, et magnates, et Pontifices qui Eccleſiam beati Iacobi dedicarent. Et celebrata dedicatione, omnes cum gaudio ad propria redierunt, et fuerunt ibi in dedicatione multi Epiſcopi: Vincentius Legionenſis, Gomellus Aſtoricenſis, Hermegildus Ovetenſis, Didacus Tudenſis, Egila Aurienſis, (c) Siſnandus Irienſis, Recaredus Lucenſis, (d) Theodoſinus Britonienſis. Horum civitates iam per Dei gratiam à Chriſtianis poſſidebantur. Fuerunt ibi alii Epiſcopi, quorum civitates aliquæ deſertæ, aliquæ ab Arabibus tenebantur: Ioannes Aucenſis, Dulcidius (e) Salmanticenſis, Iacobus Caurienſis, Fauſtus (f) Coimbrienſis, Ardimirus Lamecenſis, Theodemirus Viſenſis, (g) Guimagus Portugallenſis, Argimirus Bracarenſis, Heleca Cæſarauguſtanus. Horum urbes etſi aliquando Aſturiarum Reges obtinuerunt, propter impotentiam retinendi ab Arabibus occupatæ, aut retentæ, aut (h) diruptæ remanſerunt uſque ad tempora Aldefonſi qui cepit Toletum. Et earum Epiſcopi ad Aſturias fugientes, tam in civitate, quam in diœceſi Ovetenſi, partitis ſibi territoriis, ut poterant, victitabant. Unde in aliquibus libris antiquis Ovetum dicitur civitas Epiſcoporum. Tranſactis autem undecim menſibus, prædictus Rex una cum uxore et filiis, Epiſcopis, Comitibus, et magnatibus, auctoritate domini Papæ Ioannis, Ovetum ad celebrandum Concilium convenerunt, in quo cum univerſali (i) convenientia civitas Ovetenſis dignitate metropolitica inſignitur, et Hermegildus in Archiepiſcopum ſublimatur, quia Hiſpa-

(c) Compl. *Siſnaldus.*

(d) Al. *Theodoſindus.* Compl. *Theodeſindus.*

(e) Compl. *Solamanticenſis* hic et alibi.

(f) Compl. *Conimbrienſis* hic et alibi.

(g) Compl. et Al. *Gumagus.*

(h) Compl. *diruta.*

(i) Compl. *conniventia.*

Digitized by Google

spania, captivatis quinque sedibus metropoliticis, silebat officio metropolitico destituta. Incursantium enim hostilitate fugati, intra Asturiarum angustias Prælati qui gladium effugerant, confugerunt, et ut tanta angustia tolerabat, antiqua Toletani Concilii instituta sollicite contuentes, Ovetensem Ecclesiam et ceteras quibus iam ut metropolis præeminebat, ordinabant iuxta canonum sanctiones. Multisque secundum Deum utiliter ordinatis, soluto Concilio, ad propria redierunt.

De incarceratione Garsiæ filii Regis, et morte Aldefonsi.

CAP. XIX.

Post hæc veniens Zemoram, Garsiam filium suum comprehendit, et apud [j] Gazonem ferreis vinculis mancipavit, quia suspectum habebat, eo quod socer eius Munio [k] Fernandi tyrannidem actitans, contra Regem rebellare parabat. Ex quo facto alii filii indignati, coniuratione facta, patrem suum regni regimine privare parabant. Huius autem dissensionis causa fuit Regina Semena, quæ dicta fuerat Amelina, quæ satis inhumana studebat nova gravamina et servitutis onera invenire, nihilominus discidia et schismata procurare. Hæc Regem Aldefonsum non habens carum, ut affectus expetit maritalis, excogitavit virum regno privare, et filium suum Garsiam quem pater vinculaverat, subrogare: [l] Albam, Gordonem, Arbolium, atque Lunam [m] commovit, ut filius eius in his rebellans, auxiliante socero Munione, captionis iniurias vindicaret, coniuratione fratrum eum ad talia incitante. Rex autem tam filii, quam suorum persecutionibus coarctatus, in villa quæ Boides dicitur in Asturiis, regni regimine se privavit, et filium suum Garsiam, licet invitus, regni constituit successorem, præsentibus filiis et potioribus regni sui. Post hæc orationis causa beati Iacobi limina visitavit, et rediens, à filio suo Rege Garsia quem [n] exaltavit, qui [o] iam tunc fratribus præeminebat, [p] petiit, ut semel impeteret Sarracenos, et obtento à filio quod petebat, movit exercitum contra Mauros, et eorum terris stragibus et incendiis devastatis, et factus inclitus spoliis et captivis, victor civitati restituitur Zemorensi, et sicut principium sic finem regni victoriis adornavit. Ibique proprio morbo coactus, felicem spiritum creatori restituens, vitæ cursum feliciter consummavit, et sepultus Astoricæ, post translatus Ovetum, in Ecclesia Sanctæ Mariæ cum uxore sua Semena Regina finalem obtinuit sepulturam, cum regnasset annis XLVI.

(j) Compl. et Al. *Gozonem.*

(k) Compl. *Fredenandi* hic et deinceps sæpe.

(l) Compl. et Al. *Unde et munivit castra in confinio Legionis, videlicet Albam.*

(m) In Compl. deest *commovit.*

(n) Al. *exaltaverat.*

(o) Tol. et Compl. *impetravit, quia iam.*

(p) In Compl. deest *petiit.*

De præliis Garsiæ et morte eius.

CAP. XX.

Aldefonso defuncto, Garsias filius eius successit in regno Æra DCCCCXXI: regnavit annis III. Æra 921.
Garsias igitur in initio regni sui terras Arabum est aggressus, et duris incursionibus peragratas, eversis plerisque munitionibus, campestria flamma vorace consumpsit, et

et habito prœlio cum Aiola Rege Arabum, plurima ſtrage contritum vicit, et captivavit. Prædaque rerum, gregum, et captivorum maxima ſubſequente, venit ad locum qui Tremulus nuncupatur, ibique cuſtodum incuria Aiolas curioſus abſceſſit, et ad ſuos rediit fugitivus. Garſias autem, trium annorum expletis circulis, Zemoræ propria morte deceſſit, Ovetumque delatus, in monumentis regalibus eſt ſepultus.

De Rege Ordonio, et bellis eius, et de translatione Eccleſiæ Legionenſis.

CAP. XXI.

Poſt Garſiam Ordonius frater eius regni gubernacula legitur ſuſcepiſſe Æra DCCCC(q)XXIIII, et regnavit annis octo, menſibus (r) ſex. Hunc Ordonium Rex Aldefonſus Gallæciæ præfecerat, adhuc regnans. Hic autem Ordonius paterna facta felici æmulatione capeſſens, (s) prudens et ſollers, iuſtus et pius, et in neceſſitatibus pauperum conſolator, regnum provide gubernabat. Cum enim vivente patre principatum teneret, collecto exercitu, aliquantas Bæticæ provinciæ civitates irrumpens, loca campeſtria devaſtavit, plurimis habitatoribus interfectis. In initio autem regni Rex Ordonius, collecto exercitu, Talaveram oppidum animoſus obſedit, venienteſque Arabes ut obſeſſis fierent in ſuccurſum, et ipſi pugna proſtrati, et obſeſſi fruſtrati, utrique gladio perierunt, et direpto oppido, quæ ibi erant, Regis Ordonii prædæ ceſſerunt, et Principem exercitus Cordubenſis captum adduxit, qui, multis prædis et captivorum catervis eius gloriam ſubſequentibus, in regnum ſuum revertitur glorioſe. Poſt hæc autem, tantis vaſtationibus aretati Arabes, ad Regem Cordubæ Abderramen et Almotaraph Regem Tingitaniæ miſerunt auxilia poſtulantes; qui legationi lugubri annuentes, interminatione pœnali exercitus coegerunt, et (t) Avolalpaz Alcaidus Cordubenſis cum magno exercitu Arabum et cum alio Rege Tingitaniæ, Almotaraph nomine, ad caſtrum quod Sanctus Stephanus dicitur, in ripa Dorii pervenerunt. Quod Rex Ordonius cum audiſſet, convocato magno Chriſtianorum agmine, feſtinus occurrit, et triumphali prœlio proſtratos delevit, et Rege Ulit, et Almohabat duce magno, et aliis ducibus interfectis, ceteros aut cæde, aut captivitate poſſedit, et cum triumphali gloria ad propria eſt reverſus. Sed à bellorum magnalibus impatiens abſtinere, contra Emeritam exercitum congregavit, et totam Luſitaniam fere devaſtans, caſtrum Colubri quod (u) Turne Alariz dicitur, occupavit, et acta præda auri, et argenti, et ſerici, et hominum, triumphaliter (x) remeavit. Sed illius provinciæ incolæ occurrentes, oblatis muneribus, pacem humiliter poſtulabant; qua ad tempus indulta ad propria eſt reverſus: et veniens Legionem, pro tantis victoriis omnipotenti Deo gratias referens, covocatis Epiſcopis et magnatibus, maiorem Eccleſiam Sanctorum Apoſtolorum Petri et Pauli, quæ minus tute ſi-

Æra 924.

(q) Tol. XXXIIII.

(r) Al. *ſeptem.*

(s) Tol. non habet *prudens.*

(t) Al. *Avolapaz Alca adus.*

(u) Compl. *nunc Alariz.*

(x) Compl. *remeabat.*

sistebat, intra urbem decrevit provide transferendam, et in palatio regio quod olim balneum fuerat Paganorum, Episcopalem cathedram collocavit, conveniente Fruminio Legionensi Episcopo cum aliis Episcopis qui tunc temporis ibi erant. Et cum tres essent in palatio mansiones, in prima domo altare maius in honorem Sanctæ Mariæ semper Virginis erexerunt: in secunda domo, Sancti Salvatoris et Apostolorum omnium construxerunt: in tertia domo, Sancti Ioannis Baptistæ et omnium Martyrum et Confessorum. Quibus omnibus dedicatis, prædicta altaria ornamentis aureis et argenteis liberaliter decoravit, et ad dotem Ecclesiæ possessiones varias cumulavit, et in eadem Ecclesia communi favore principum et magnatum à duodecim Pontificibus fuit diademate insignitus.

Item de prœliis Ordonii, et uxoribus eius, et captione magnatum, et morte Regis.

CAP. XXII.

His peractis, Rex Cordubensis dolens tantum interitum suæ gentis, invasit terminos regni sui, et ad (y) Roindoniam usque pervenit. Cui (z) occurrit Rex Ordonius, consertoque prœlio, multi ex parte Regis Ordonii, et ex Arabibus corruerunt, et cum per totam diem fortiter dimicassent, neuter victor, neuter victus fuit, sed utrique redierunt ad propria cum iactura. Post hæc venit Abderramen cum magna multitudine suorum et Africæ quos conduxerat, terramque ingressus est Navarrorum usque ad locum qui Muez adhuc hodie nuncupatur. Quos Rex Garsias, filius Regis Sancii, nequiens tolerare, Regi Ordonio nunciavit, qui confestim occurrens, cum ingenti auxilio properavit. Cumque in valle Iuncaria sibi ad invicem exercitus obviassent, sicut Dominus voluit sustinere, multi de christiano exercitu corruerunt. Etiam duo Episcopi Dulcidius Salmanticensis, et (a) Hermigius Tudensis fuerunt ibi ab Arabibus comprehensi, et pro isto Hermigio fuit sobrinus eius Sanctus Pelagius datus obses, qui postea fuit Martyr. Similiter et Dulcidius fuit, dato obside, liberatus. Iis autem Rex Ordonius provocatus, ex suis agmina (b) congregavit, et ingressus terram Arabum quæ Sintilia dicitur, strages et plurimas cædes egit: castra et oppida plurima in ore gladii occupavit: Sarmalion, Heliph, Palmatium, et Castellionem, et Magnantiam, et multa alia castra diripuit, et destruxit. (c) Exinde Zemoram rediens cum triumpho, uxorem suam (d) Muninam (e) Domnam, quæ et Geloira alio nomine vocabatur, invenit defunctam, ex qua susceperat duos filios, Aldefonsum videlicet, et Ranimirum, plus de morte coniugis contristatus, quam de victoria iucundatus. Aliam quoque duxit uxorem ex partibus Gallæciæ, nomine Aragontum, quam postea suspectam reliquit, pro quo condigne postea satisfecit. His transactis, misit pro Comitibus qui Castellam regere videbantur, ad locum qui Tegulare dicitur, in ripa fluminis Carrionis, quasi cum eis colloquium ha-

(y) Al. *Mindoniam.* Al. *Rondoniam.*

(z) Compl. *occurrens Rex Ordonius, conserto prœlio.*

(a) Compl. *Hermoigius* hic et infra.

(b) Compl. *plurima congregavit.*

(c) Al. *et inde.*

(d) Al. *Moninam.* Al. *Nunninam.*

(e) Al. *Dopnam.*

Digitized by Google

habiturus : et venerunt ad eum Nunius [f] Fernandi, et Almondar Albus, et filius eius Didacus, et Fernandus Ansuri filius, et nullo conscio, exceptis consiliariis, cepit eos, et vinctos catenis Legionem adduxit, et carceri mancipatos, post aliquantum [g] tempus iussit occidi, et posuit maculam in gloria sua, et cruore innocuo balteum gloriæ offuscavit. Et fœderatus Garsiæ [h] Enechonis Aristæ, Principi Navarrorum, filiam eius nomine Sanciam duxit uxorem. Post quod etiam cepit Anagarum quod olim [i] Ticium vocabatur, et Vicariam quæ ex eo nomen dicitur habuisse, quod Gothorum tempore sedes iudicii habebatur. Reversus autem ad propria, cum egrederetur Zemoram, in infirmitate percussus vitam finivit, sepultus Legione in Ecclesia Cathedrali.

(f) Al. *Fernandus, et Almodor Albus, et Didacus filius eius, et Ferdinandus Assurii filius, et nullo.*

(g) Compl. *temporis.*

(h) Al. *Enochonis.*

(i) Al. *Tricium.*

LIBER QUINTUS.

De Froila et iudicibus.

CAP. I.

Post mortem Ordonii, Froila frater eius successit in regno Æra
Æra 932. DCCCCXXXII, et regnavit anno uno, mensibus duobus, et duxit uxorem nomine [j] Munina Domna, ex qua suscepit tres filios, Aldefonsum, Ordonium, et Ranimirum, et quartum de concubina nomine Acenare. Hic nihil egit memoria dignum, nisi quod filios Olmundi nobilis sine culpa aliqua fecit occidi, et [k] Fronimium, fratrem eorum, Legionensem Episcopum exilio condemnavit; et quia viri impii non dimidiant dies suos, percussus lepra, unius anni et duorum mensium expleto circulo, vitam finivit, et iuxta fratrem suum Ordonium Legione inglorius sepelitur. Episcopus Fronimius statim fuit sedi propriæ restitutus. Eisdem diebus nobiles Barduliæ quæ nunc Castella dicitur, attendentes nobiles suos Nunium Fernandi, Almondar Album, et filium eius Didacum vocatos ad colloquium ex factione à Rege Ordonio interfectos, [l] tyrannum etiam Froilam, et multa alia quæ, eis euntibus ad iudicium, à Regibus et magnatibus Legione iniuriose fiebant; videntes etiam quod termini gentis suæ ex omnibus partibus arctabantur, et pro iudicio contemptus et contumelias reportabant, sibi et posteris providerunt, et duos milites non de potentioribus, sed de prudentioribus elegerunt, quos et iudices statuerunt, ut dissensiones patriæ et querelantium causæ eorum iudicio sopirentur. Unus fuit Nunius Nunii, dictus [m] Rasura, filius Nunii Bellidez: alter dicebatur Flavinus Calvus; iste tamen aut nil, aut parum de iudiciis cogitabat, sed armis et militiæ insistebat: erat enim facile iracundus,

(j) Tol. *Monina Dompna*: Compl. hic et infra.

(k) Compl. et Al. *Frominium.*

(l) Al. *tyrannidem etiam Froilæ.* Compl. *tyrannidem et Froilam.*

(m) Al. hic et infra *Rosoria.* Compl. *Rasoria.*

Digitized by Google

dus, nec causarum varia pacifice sustinebat, quod non competit iudicanti. Ex huius genere processerunt multi et [n] alii magni nobiles de Castella. Flavinus Calvus habuit duos filios, Fernandum Flavinum, et Veremundum Flavini. Fernandus genuit Flavinum Fernandi. Flavinus genuit Nunium Flavini. Nunius duxit uxorem nomine Egilonem, ex qua suscepit filium Flavinum Nunii. Flavinus Nunii genuit Didacum Flavini. Didacus Flavini duxit uxorem filiam Roderici Alvari de Asturiis, viri nobilis et magnatis, et ex ea genuit Rodericum Didaci, qui dictus fuit Campiator. Alter filius Flavini Calvi dictus fuit Veremundus Flavini. Veremundus genuit Rodericum Veremundi. Rodericus genuit Fernandum Roderici. Fernandus genuit Petrum Fernandi, non illum qui dictus fuit Castellanus.

(n) Compl. non habet *alii.*

De Nunio Rasura et filiis eius.

CAP. II.

Nunius autem [o] cognomento Rasura, fuit vir patiens et modestus, sollers et prudens, industrius, circumspectus, et sic ab omnibus amabatur, ut vix esset cui eius iudicia displicerent, aut eius sententias causaretur, quas tamen rarissime proferebat, quia in compositione amicabili fere omnia terminabat; et sic carus ab omnibus habebatur, ut locus aliquis detractioni, vel invidiæ non pateret. Hic habuit [p] filium nomine Gundisalvum Nunii, qui cum esset adolescens, bona indole coætaneis præeminebat, et futurorum indiciis omnibus complacebat. Nunius vero pater eius fere ab omnibus Castellæ militibus domicellos filios petiit nutriendos, quos curialitate, affabilitate, et bonis moribus sic instruxit, ut patres adolescentium de profectu filiorum profiterentur se tali nutricio obligatos; et ipsi adolescentes sic erant Gundisalvo Nunii dilectione coniuncti, ut eum quasi dominum sociarent, nec possent ab eius consortio vel ad modicum separari. Cumque crevisset factus miles, militiam strenuus exercebat, et pacis dulcedinem in patria [q] retinebat, ita quod patre suo mortuo, patri fuit favore omnium substitutus, et etiam principatum militiæ, conniventibus iis qui secum nutriti fuerant, addiderunt; et duxit uxorem nobilissimam, Semenam nomine, filiam Nunii [r] Fernandi, ex qua suscepit filium nomine Ferdinandum. Hic fuit omnibus patre carior, in sermone verax, in iudicio iustus, in militia gloriosus; multa enim strenue contra Arabes peragendo, fines patriæ ampliavit. Hic habuit filium qui dictus est Ferdinandi Gundisalvi. Hunc Deus supra patrem et avum tot gratiis exaltavit, ut ipso non attendente, tam à magnatibus et militibus, quam ab universis populis Castellanis in Comitem crearetur, et omnes se suæ subiicerent ditioni. Qui factus Comes, totam Castellam sic pacifico dominio confovebat, ut omnes Deo gratias agerent, qui per talem Comitem à populo suo relevaverat sarcinam servitutis. Hic contra Arabes plurima bella gessit, quoniam et Sanctum Stephanum

(o) Compl. *Nunii cognomento Rasoria.*

(p) Al. *filium Gundisalvum.*

(q) Compl. et Al. *nutriebat.*

(r) Al. *Fredenandi.*

Digitized by Google

num et alia plurima loca christianæ restituit ditioni. Ex quo iste suscepit suæ patriæ Comitatum, cessaverunt Reges Asturiarum insolescere in Castellam, et à flumine Pisorica nihil amplius vindicarunt: strenuitate enim sua eorum insultibus resistebat, nec propter eos à bellis Arabum desistebat. Monasterium Sancti Petri in ripa [s] Aslantiæ fluminis ædificavit, et multis possessionibus illud dotavit. Morte propria defunctus, in eodem monasterio est sepultus: cui successit filius eius Garsias Ferdinandi, homo catholicus, qui bella plurima contra Reges Asturiarum conantes Castellæ finibus præeminere, gloriose peregit, et castra plurima in ripa Dorii munifice reparavit, et usque ad fluvium Carrionem iurisdictionis suæ terminos dilatavit. Hic construxit monasterium in honorem [t] Sancti Cosmæ et Damiani iuxta ripam [u] Dorii fluminis Aslantiæ, in villa quæ Caveæ rubeæ nuncupatur, et amplissimis possessionibus dilatavit, et loca quæ dedit, statuit Infantaticum appellari eo intuitu, quod si aliqua de genere suo non posset, aut nollet mariti comparis solatia adipisci, de bonis monasterii provideretur eidem largiter et decenter, demptis dumtaxat necessariis clericorum qui inibi Deo et Sanctis Martyribus deservirent. Obiit autem morte propria, et in monasterio Sancti Petri de [x] Cardonia tumulatur.

(s) Al. *Asianciæ.*

(t) Compl. *Sanctorum Cosmæ et Damiani.*

(u) Al. *Dori fluminis Asianciæ.*

(x) Compl. *Cardenia.*

De Comite Sancio, et morte eius.

CAP. III.

Huic successit filius eius Comes Sancius Fernandi, vir virtutum, amator patriæ, et in subditos totus pius. Hic obtinuit Pennam fidelem, et Septempublicam, et [y] Madolium, et Montelionem, et Varinatium, [z] Oaromam, et Sanctum Stephanum, quæ in captione patris perdiderant Christiani, et multa intulit Agarenis [a] bella. Antiquos foros Septempublicæ iste dedit. Castellanis militibus qui et tributa solvere, et militare cum Principe tenebantur, contulit libertates, videlicet ut nec ad tributum aliquod teneantur, nec sine stipendiis militare cogantur. Hic habuit filium qui dictus fuit Infans Garsias, et Legione fuit proditionaliter interfectus: et habuit filiam nomine Geloiram, quam duxit in uxorem Sancius Maior, Rex Aragoniæ et Navarræ, de quo, si Deus dederit, postea prosequemur. Huius mater optans commercium cuiusdam Principis Sarraceni, proposuit filium interficere, ut sic cum munitionibus et oppidis optatis nuptiis potiretur. Cumque quodam sero letali poculo virus mortiferum miscuisset, filius revelatione [b] pedissequæ hoc præsensit, et matri, ut prius biberet, supplicavit. Quod ipsa renuens, demum coacta, quod male miscuerat, degustavit, et parricida mater hausit, et meruit mortem in poculo quod paravit. Et tandem Comes Sancius, contriti cordis pœnitentia stimulatus, construxit monasterium [c] nobile quod Oniam nominavit, eo quod matrem viventem Mioniam more Hispanico appellabat. Demum post multas victorias strenue consummatas felicem spiritum suo restituit

(y) Al. *Matrolium.*

(z) Al. *Oxomam.*

(a) Tol. et Compl. non habent *bella.*

(b) Al. *pedissequa.*

(c) Compl. *valde nobile.*

tuit creatori, et in monasterio Oniensi quod ipse construxerat, est sepultus. Nunc autem ad genus et acta Regum Asturum revertamur.

(d) Compl. *Aldefonsus* hic et infra.

De (d) *Alphonso et Ranimiro, et discordia fratrum.*

CAP. IV.

(e) Tol. non habet *est.*

(f) Al. *Duxit uxorem Xemenam.*

(g) Tol. *Cegæ.*

Mortuo Froila, Aldefonsus filius Regis Ordonii adeptus (e) est sceptra patris Æra DCCCCXXXIII, Æra 933. et regnavit annis quinque, mensibus septem, anno uno mensium numerato. (f) Nomen uxoris eius Semena, ex qua genuit Infantem Ordonium, qui dictus est Malus, et fuit iuxta Cordubam interfectus. Hic Aldefonsus levitate potius, quam virtute, deliberavit apud se, ut ad viam confessionis et pœnitentiæ se transferret, et ideo religionis operibus devovit se, et aliquandiu huic proposito inhærendo, decrevit sibi substituere fratrem suum nomine Ranimirum. Cumque propositum fratri per nuncios intimasset, Ranimirus, audito nuncio, cum magno exercitu venit Zemoram, et Aldefonso regni regimen resignante, Ranimirus substituitur fratri suo. Aldefonsus autem iam ex-Rex, ad locum qui Dominos sanctos vulgariter dicitur, super ripam (g) Ceiæ fluminis properavit, habitumque monachalem assumens, viam perfectionis elegit.

De regno Ranimiri, et rebellione monachi Aldefonsi.

CAP. V.

(h) Al. *annis decem, et novem mensibus, diebus duobus. Et cum esset.*

(i) Tol. et Al. non habent *Asturum.*

Ranimirus autem successit in regno Æra DCCCCXXXIX, uno Æra 939. anno mensium numerato, et regnavit annis (h) decem et novem, mensibus duobus. Et cum esset vir bellis deditus, movit exercitum contra Mauros, et dum exercitum congregabat, frater suus ea levitate, qua de Rege se monachum fecerat, à monasterio apostata resilivit, et Legionem veniens, cœpit inibi rebellare, et ad regnum iterum inhiare. Ranimirus cum hoc audivit, direxit congregatum exercitum contra eum, et duobus annis obsessum in deditionem recepit ad suæ beneplacitum voluntatis, et statim in carcerem mitti iussit. Et dum hæc fierent, Aldefonsus, et Ordonius, et Ranimirus filii Regis Froilæ supradicti, cum (i) Asturum conniventia in Asturiis rebellarunt, et tyrannidem exercentes, Aldefonsum qui maior erat, honore regio præferebant. Astures enim indignati, eo quod in cessione Aldefonsi et substitutione Ranimiri non fuerant evocati, rebellionem huiusmodi factitabant. Unde et Astures in dolo evocant Ranimirum, ut si fieri possit, in manus filiorum Froilæ deveniret. Quod præsentiens Ranimirus, armata manu Asturias est ingressus, et coactos prœliis mancipavit, secumque ducens cum fratre suo Aldefonso, quondam Rege, in eodem carcere coarctavit, et post aliquantulum temporis intervallum fratrem et sobrinos crudeliter excæcavit. Tandem Ranimirus pœnitentia ductus, prope Legionem in ripa Turii monasterium Sancti Iuliani construxit, et in eo fratrem et consobrinos pie, prout potuit, collocavit, ubi usque ad finem vitæ necessaria habuerunt. Mortuus autem Aldefonsus, ibi-

Digitized by Google

ibidem sepultus est cum uxore sua Regina Semena et consobrinis. Regnavit autem Aldefonsus annis quinque et mensibus septem, et in quinto anno regni sui fuit orbatus oculis, et postea duobus annis et septem mensibus supervixit.

De victoria Ranimiri, et Comitis Fernandi Gundisalvi.

CAP. VI.

Ranimirus autem regnum ingrediens Toletanum, obsedit oppidum [j] Maioritum, et muros disrumpens, sublatis rebus, incolas captivavit, et reduce exercitu remeavit. Post hæc Arabes fines Castellæ invadere decreverunt, et Comes Fernandus Gundisalvi, qui Castellæ tunc temporis præsidebat, nunciavit adventum Arabum Ranimiro, qui convocato exercitu, properavit in auxilium Comitis Castellani. Cumque Legionensis et Castellanus exercitus convenissent, Arabibus apud [k] oppidum Oxomam occurrerunt, et collatis signis, adinvicem dimicarunt, sed Dei gratia adiuvante, Christianis victoria, Arabibus cessit fuga, multaque millia captivorum christiano exercitui provenerunt. Sicque Rex Ranimirus ad sua feliciter est reversus.

(j) Compl. *Magitum.*

(k) In Compl. et Al. deest *oppidum.* Al. legit *oppidum Gyonam.*

De proditione Abenaiæ, et victoria Ranimiri.

CAP. VII.

Post hæc iterum Ranimirus contra Cæsaraugustam exercitum congregavit. Abenaia autem qui inibi Princeps erat, audito quod Ranimirus et Ferdinandus Gundisalvi Comes Castellæ adinvicem concordarant, timuit in immensum. Unde et seipsum cum terra Ranimiri subdidit ditioni, mentitus Abderramen Regi Cordubæ cui erat subiectione simili obligatus. Rex autem Ranimirus omnes munitiones regni Cæsaraugustæ quæ Abenaiæ resistebant, cædibus et irruptionibus coegit Abenaiæ obedire. Post quæ Ranimiro ad sua reverso, Abenaia proditionis non immemor, fregit pacta, et reconciliatus Principi Cordubensi, ratus est [l] posse invadere terminos Ranimiri, et agens exercitum, pervenit celeriter Septemmancas. Quod audiens Ranimirus, assumpto exercitu, processit obvius contra eum, et ibidem adinvicem utroque exercitu dimicante, cæsi Arabes, nec fuga, nec strage, sed victoria caruerunt, et secunda feria, in festo scilicet Sanctorum Iusti et Pastoris, ex Arabibus usque ad octoginta millia perierunt, et Abenaia proditor fuit captus: ceteri qui evaserant, ad oppidum quod Alfondega dicitur, confugerunt. Ranimirus autem plus sanguine Arabum, quam [m] prædis, vel spoliis cupiens satiari, eos viriliter insecutus, in castro Alfondega quo confugerant, comprehendit. Abderramen autem cum paucis fugæ comitibus vix abscessit. Tunc fuit solis eclipsis per unam totam horam diei. Tunc Rex et sui cum multis spoliis et multa turba pedissequa captivorum revertitur gloriose, secum ducens Abenaiam captivatum.

(l) Compl. *se posse.*

(m) Tol. et Al. *prædiis.*

Item

Digitized by Google

Item de prœliis Ranimiri.

CAP. VIII.

His peractis, exercitus Sarracenorum per ripam Turmii fluminis est ingressus sub Principe qui Aceipha dicebatur, et faventibus sibi Fernando [n] Gundisalvi, et Didaco [o] Munionis magnatibus regni sui, cœpit populare Salmanticam, [p] Letesmiam, Ripas, Balnea, Alfondegam, Pennam, et alia multa castra. Tunc etiam Comes Rodericus populavit Amaiam, et prædas exercuit in Asturiis in partibus Sanctæ Iulianæ. Post Rex Ranimirus, talibus coniurationibus provocatus, exiit obviam Sarracenis, et bellis et cædibus sæpe repulsi, à cœptis operibus destiterunt, et Fernandum Gundisalvi, non illum Comitem Castellæ, et Didacum Munionis fautores Arabum comprehendit, et alterum Legione, alterum Gordone in carcere vinculavit. Sed procedente tempore, quia [q] captione eorum magnates alii murmurabant, recepto ab eis iuramento fidei observandæ, à carcere liberavit, et filio suo Ordonio [r] dedit uxorem Urracam filiam [s] Fernandi Gundisalvi Comitis Castellani. Post hæc Rex Ranimirus qui ex Regina Tarasia, sorore Garsiæ Tremulosi Regis Navarræ, cognomine Florentina, genuerat Sancium et Geloiram, [t] in honorem Sancti Salvatoris iuxta regale palatium monasterium fabricavit, et ibidem Geloiram filiam Deo dicavit. Decimo nono regni sui anno obsedit oppidum quod olim Aquis, nunc Talavera vocatur, in diœcesi Toletanensi. Arabes autem ei succurrere festinantes, victi à prædicto Rege in prœlio ceciderunt, et cæsis fere duodecim millibus, usque ad septem millia captivavit, et reversus ad sua se misericordiæ operibus dedicavit, et uxore sua Regina Tarasia operante, Sancti Andreæ, et Sancti Christophori super [u] Ceiam, et Sanctæ Mariæ in ripa Dorii, et Sancti Michaelis Archangeli in valle Ornæ quæ nunc dicitur Destriana, monasteria ædificavit, et possessionibus multis ditavit. Et cum Ovetum causa orationis adisset, ibidem graviter ægrotavit, et Legionem allatus, in vigilia Epiphaniæ, facta confessione Episcopis et Abbatibus qui secum aderant, devote suscepit Sacramentum corporis et sanguinis Domini Iesu Christi: quo facto, à se regnum quod [x] à fratre susceperat, abdicavit, proclamans cum lacrimis: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc. Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo.* His ita peractis, vitam finivit, et in monasterio Sancti Salvatoris quod filiæ suæ construxerat, tumulatur. In his decem et novem annis computantur quatuor anni Aldefonsi prædicti, quia post primum annum statim substituit sibi fratrem: per se autem regnavit Aldefonsus anno uno, Ranimirus annis quindecim.

(n) Compl. *Gunsalvi.*
(o) Al. *Nunionis.*
(p) Al. *Ledesmiam.*
(q) Compl. *de captione.*
(r) Compl. *accepit uxorem.*
(s) Al. *Ferdinandi.*
(t) Compl. *Legione in honorem.*
(u) Al. *Ceyam.*
(x) Tol. et Al. *patre.*
Iob. 1. 21.
Psalm. 117. 6.

De Rege Ordonio, et dissensione cum Castellanis, et morte eius.

CAP. IX.

Huic successit in regno Ordonius filius eius Æra DCCCCLVIII, et re- Æra 958.

regnavit annis quinque, mensibus sex. Iste Ordonius satis prudens, et in regimine exercitus circumspectus. Unde frater eius Sancius quem Rex Ranimirus ex [y] Tarasia sorore Garsiæ Regis Navarræ susceperat, favore et auxilio eiusdem Garsiæ avunculi, et Fernandi Gundisalvi Comitis Castellani, ipsis personaliter cum ipso venientibus, Legionem accessit, ut fratrem suum à regno expelleret, et ipse dignitate regia donaretur. Sed Rex Ordonius, ut erat in armis strenuus, civitates munivit, et munitiones viriliter defensavit, et regnum sibi intrepidus conservavit, et uxorem suam Urracam, quia Comitem Fernandum socerum suum hostem senserat, dereliquit, et duxit uxorem aliam nomine Geloiram, ex qua genuit filium qui fuit podagricus, nomine Veremundum. Gallæci autem audientes dissensionem inter Legionenses et Castellanos, cœperunt contra Regem Ordonium rebellare. Ipse vero, congregato exercitu, Gallæcos perdomuit usque Ulisbonam, et vastatione et incendio omnia deprædatus est, et rediit inclitus multis spoliis et captivis. Post hæc autem inter Regem Ordonium et Fernandum Gundisalvi Comitem Castellanorum discordia [z] sedata, exercitus Arabum venit ad Sanctum Stephanum in ripa Dorii, et usque Burgis omnia devastabat. Sed Comes Fernandus Gundisalvi cum exercitu Regis Ordonii et suorum, eos usque [a] Dorium insecutus, pugna subegit, et magnam multitudinem victor occidit, plurimamque captivavit. Quo audito, Rex Ordonius disposuit in Arabes exercitum congregare, sed infirmitate præventus, Zemoræ moritur, et Legionem delatus, in monasterio Sancti Salvatoris quod pater suus condiderat, sepelitur.

(y) Al. *Therasia* hic et infra. Compl. varie legit.

(z) Compl. *iam sedata*.

(a) Tol. et Compl. *Dorium*.

De Rege Sancio, et Ordonio Malo.

CAP. X.

Defuncto Ordonio, frater eius Sancius, Regis Ranimiri filius, successit in regno Æra DCCCCLXIII, et regnavit annis duodecim. Cumque magnates regni contra ipsum unanimiter conspirassent, ad Garsiam Regem Navarræ qui dictus est Tremulosus, suum avunculum festinavit. Erat autem Sancius intolerabili pinguedine aggravatus, unde dictus fuit Sancius Crassus, et consuluit ei avunculus Abderramen Principem Cordubæ postulare, ut posset à [b] tantæ pinguedinis pondere relevari. Cumque cum eo pacem firmasset, Cordubam veniens, ab Abderramen magnifice est susceptus, qui, convocatis medicis, antidoto cuiusdam herbæ à gravitate pinguedinis liberatur, et agilitati et dispositioni restituitur ceterorum. Inter hæc autem Comes Fernandus et magnates regni Asturiarum Ordonium Malum, quem Rex Aldefonsus cæcus ex uxore sua Semena susceperat, in Regem et Principem elegerunt. Et Comes Fernandus Gundisalvi dedit ei uxorem filiam suam Urracam Regis Ordonii derelictam. Erat autem tunc temporis quidam nobilis adolescens, nomine Vegila, qui cum esset de nobilioribus [c] illius patriæ, nolebat Comiti Fernando ut subditus obedire.

Æra 963.

(b) Tol. *tanto pinguedinis pondere*.

(c) In Compl. deest *illius*.

Digitized by Google

re. Comes autem eum graviter insecutus, compulit exulare, et ad Arabes compulit [d] transmigrare. Rex autem Sancius, assumpta ab Abderramen multitudine Arabum, est [e] reversus, ut absens regnum quod perdiderat, veniens obtineret. Quod audiens Ordonius Malus, in Asturiis se recepit, ut difficultate montium inibi rebellaret. Rex autem Sancius, olim [f] Crassus, quam cito advenit, rebellibus domitis, regnum recuperavit. Ordonius autem Malus, cum esset vilis, pusillanimis, et effeminatus, [g] Deo et hominibus odiosus, operibus pravus, nec in Asturiis se tutum reputans, ivit ad socerum fugiens et abiectus. Comes autem [h] filiam ei abstulit, et alteri viro dedit, et ad Arabes ire coegit, cum quibus dum vixit, vilitatis suæ pœnas exsolvit. Rex vero Sancius, regno pacato, duxit uxorem quæ Tarasia dicebatur, ex qua genuit Ranimirum. Tunc Rex Sancius, cum esset homo devotionis, suadentibus uxore sua Tarasia et sorore sanctimoniali Geloira, misit Velascum Legionensem Episcopum et alios nuncios pro pace firmanda, et pro petendo corpore Sancti Pelagii Martyris qui sub Abderramen fuerat Cordubæ martyrio coronatus. Rex autem construxit monasterium Legione, in quo corpus Sancti Pelagii statuerat [i] collocandum. Et hac legatione pendente, Gallæci discordes inter se prædas et injurias exercebant. Sed Rex adveniens, insolentes domuit, et iniuriosos coegit usque ad Dorium, qui dividit Gallæciam et Lusitaniam. Quod audiens Gundisalvus, qui trans flumen Dorii Princeps erat usque ad ripam eiusdem fluminis, congregato potentiæ suæ exercitu, præceps venit; sed videns se Regi Sancio non posse resistere, suæ gratiæ se commisit, et præstito iuramento de tributis solvendis, etiam terræ suæ dominium Regi Sancio recognovit. Verum proditionis virus in corde [k] reservans, virus mortiferum pomo immissum Regi obtulit ad edendum, in cuius esu cor Regis cœpit illico titubare, sicut natura exigit venenorum: et Rex intelligens, dum Legionem, mortis conscius, properaret, tertia die in via moritur, et Legione iuxta patrem in Sancti Salvatoris monasterio sepelitur.

(d) In Compl. deest *compulit.*

(e) Compl. *reversus est, ut regnum quod absens perdiderat, veniens obtineret.*

(f) Compl. *Grassus* hic et supra.

(g) Compl. *Deo et hominibus pravis operibus odiosus.*

(h) Compl. *Fernandus filiam.*

(i) Al. *collocare.*

(k) Tol. et Al. *reservat.*

De Rege Ranimiro, et strage Normanorum.

CAP. XI.

Sancio defuncto, filius eius Ranimirus, habens à nativitate annos quinque, patri successit in regno Æra DCCCCLXXV, et regnavit Æra 975.
annis viginti quinque. Hic de consilio matris suæ Reginæ Tarasiæ, et amitæ suæ Geloiræ monialis, secundum legationem patris cum Arabibus pacem fecit, et corpus Sancti Pelagii, pro quo pater miserat, impetravit, et in monasterio quod pater ad hoc construxerat, collocavit. Anno secundo regni eius multitudo Normanorum cum Rege suo, nomine Gundiredo, in finibus Gallæciæ applicarunt, et stragibus et incursibus urbes et loca Gallæciæ vastaverunt, et Sisnandum Episcopum Sancti Iacobi peremerunt, discurren-

rentes patriam usque ad locum qui mons dicitur Onagrorum. Tertio anno cum, patratis vastationibus, vellent ad propria navigare, invocato nomine Domini et beati Iacobi, Comes Gundisalvus Sancii occurrit eis, si posset exterminium vendicare. Et cum prœlium inivissent, Dei gratia et virtute Apostoli, qui sine lege vastaverant, Dei iudicio sunt prostratri, et tam ipsi, quam Rex eorum in ore gladii ceciderunt, et Comes Gundisalvus Sancii eorum navigia igne consumpsit.

De vastatione Castellæ, et Zemoræ, et Gallæciæ, et morte Ranimiri.

CAP. XII.

Et dum hæc fierent, Arabes per Ranimiri Regis pacem securi, contra Castellanos exercitum direxerunt. Cumque Ferdinandus Gundisalvi Comes resistere non valeret, occuparunt Arabes Septemmancas, Donias, et Septempublicam, et Varinatium, et multa alia, terram cædibus et incendio devastantes, ad hæc omnia inhumaniter adiuvante Vegila quodam nobili, qui à Fernando Gundisalvi Comite ob rebellionem à partibus Alavæ erat eiectus. Ex tanto ergo successu Arabes insolentes, etiam fœdus quod cum Ranimiro habuerant, infregerunt, et venientes Zemoram, invasam funditus subverterunt. Ea tempestate vir strenuus Fernandus Gundisalvi Comes Castellæ moritur, qui in acquisitione et tuitione et dilatatione patriæ utiliter, strenueque, et fideliter laborarat, et in monasterio Sancti Petri de Aslantia quod ipse construxerat, sepelitur. Rex vero Ranimirus duxit uxorem nomine Urracam. Cumque esset puer, nec ad discretionem ætatis venisset, stultis actibus cœpit Comites Gallæciæ provocare, iam à consilio matris et amitæ alienus. Cumque Gallæci non possent eius insolentiam tolerare, quemdam Veremundum filium Regis Ordonii super se Regem (l) in sede beati Iacobi creaverunt. Quod audiens Ranimirus, contra ipsum collecto exercitu, in Gallæciam festinavit, et ex alia parte veniens Veremundus, in Portella de Arenis prœlium commiserunt. Et licet invicti adinvicem discessissent, ex utraque quamplurimi cæde mutua ceciderunt, et duobus annis, non sine grandi utriusque gentis exterminio, bellum invaluit intestinum. Ranimirus autem morbo correptus obiit Legione, et in Destriana traditur sepulturæ. Interea Alcorrexi Rex Agarenorum eam partem Gallæciæ quæ nunc Portugallia dicitur, et usque ad Sanctum Iacobum, non veritus Apostolum, devastavit, sed merita Apostoli occurrerunt, et immissa in eos infirmitate, aut pauci, aut nulli superstites evaserunt qui in patria nunciarent.

(l) Tol. et Al. non habent *in sede.*

De Rege Veremundo, et miraculo tauri.

CAP. XIII.

Mortuo itaque Ranimiro, Veremundus filius Regis Ordonii veniens Legionem, ab omnibus susci-

pitur, et ad regni gloriam promovetur, eo quod, mortuo Sancio patruo suo et Ranimiro consobrino, ad ipsum erat de iure regni successio devoluta, Æra M, et regnavit annis decem et septem. Hic leges Gothorum liberaliter confirmavit, et Sanctorum Patrum canonicas sanctiones servari præcepit, et licet alias esset satis prudens, susurronibus et detractoribus aures bibulas inclinabat. Accidit autem quod tres servi de familia Ecclesiæ Sancti Iacobi, quorum unus vocabatur (m) Zadon, alter Cadon, alter Ansilon, apud Regem dominum suum, Athaulphum (n) de crimine pessimo accusarent, et quod etiam promiserat Sarracenis se legem Mahometicam suscepturum, et Gallæciam traditurum. Rex autem credidit, eo quod Episcopus esset filius illius Principis qui Regi Sancio in pomo mortis poculum propinarat. Cumque prædictus Episcopus vocatus ad curiam, quinta feria ante Pascha venisset Ovetum, consulentibus sibi aliquibus, ut antequam ad Ecclesiam descenderet, se Regis conspectui præsentaret, Episcopus constanti animo sic respondit; quod prius se præsentiæ Salvatoris omnium exhiberet, et post in præsentia tyranni Principis compareret: intransque Ecclesiam Salvatoris, illico indutus sacris vestibus divina officia celebravit. Rex autem taurum ferocem præceperat adduci, ut in venientem Episcopum desæviret. Sed Episcopus innocens cum talia præsensisset, consummatis officiis, ad locum ubi taurus æstuans mugiebat, accessit intrepidus, et mox taurus ad Episcopum veniens, cornua in manibus eius (o) dimisit, quibus dimissis, ad montem unde venerat, remeavit. Episcopus autem cornua quæ sibi taurus dimiserat, coram altari deponens, Domino Salvatori cum ceteris fidelibus solvit laudes, actores vero falsæ suggestionis et eorum semine maledicto coarctans, ad exemplum David qui pro morte Abner innocui Ioab cum semine condemnavit, sententialiter sic profatur: "De semine (p) Zadon, Cadon, et Ansilon non deficiat leprosus, et claudus, cæcus, et mancus, vilis, et tenens fusum." Rex autem viso miraculo perturbatus, obtulit Episcopo satisfactionem; sed Episcopus regem videret noluit; immo secunda feria post festum Paschæ iter arripiens, ad Pamariensem Ecclesiam Sanctæ Eulaliæ usque pervenit. (q) Ibi infirmitate correptus, quarta feria vitam finivit. Cumque sui vellent corpus eius ad Ecclesiam beati Iacobi deportare, immobile est inventum; et attendentes quod à Domino fieret, tradiderunt corpus in eadem Ecclesia Sanctæ Eulaliæ sepulturæ.

Ær. 1000.

(m) Al. *Cadeo.*

(n) Tol. et Compl. *Athaulphum Episcopum de crimine.* Al. legit *Athaulipbum.*

(o) Compl. *misit, quibus.*

(p) Al. *Cadeo.*

(q) Compl. *ubi.*

De insolentiis Veremundi, et uxoribus eius, et de victoria Almanzoris.

CAP. XIIII.

Rex vero Veremundus habuit duas nobiles concubinas, et erant sorores, legem Domini obliviscens, et ex una genuit Infantem Ordonium, et ex alia Geloiram. Infans autem Ordonius, procedente tempore, ex Infante (r) Fronilda genuit Aldefonsum,

(r) Compl. *Fronilde.*

Digitized by Google

sum, Pelagium, Sancium, et Semenam. [s] Prædictus autem Veremundus habuit duas uxores legitimas, Velasquitam videlicet quam viventem dimisit, et non contentus incestu, sibi aliam nomine Geloiram adulterino [t] contubernio copulavit, ex qua genuit Aldefonsum, et [u] Taresiam. Ex Velasquita autem genuit Christinam Infantem. Ipsa vero Christina ex Ordonio Cæco filio Ranimiri Regis genuit Aldefonsum, Ordonium, Pelagium, Comitissam, et Eldontiam. Eldontia autem ex Pelagio Froilæ Diacono genuit Comitem Petrum, Ordonium, Pelagium, Munionem, et matrem Suerii Comitis et [x] fratris eius, et Taresiam Comitissam. Quæ cum esset domina Carrionis, ibi Ecclesiam Sancti Zoili ædificavit. Hi omnes dicuntur vulgariter Infantes de Carrion. Igitur propter peccata Principis Veremundi et populi christiani Rex Arabum qui Alhagib dicebatur, se Almanzor [y] constituit nominari. Alhagib autem interpretatur supercilium, quia sicut supercilium defensio est sive umbraculum oculorum, sic et ipse dicebatur defensio populorum. Unde et clariori vocabulo se Almanzor instituit nominari. Almanzor autem interpretatur defensus, sive defensio, eo quod multis victoriis gloriosus, se et suos strenue defensavit. Cumque Vegila de quo prædiximus, et quidam Comites, et alii plurimi Christiani ad eius præsidium confugissent, promittebant ei terram reliquiarum Hispaniæ se daturos, et hac ambitione commotus, adunato exercitu Arabum et Christianorum qui secum aderant, assumpto etiam filio suo Abdelmelic, [z] quod interpretatur famulus regius, cœpit Legionis, Castellæ, et Navarræ provincias devastare, cui exterminio pro maiori parte causam præbuit dissensio Principum Christianorum qui sibi adinvicem auxilia denegabant. Almanzor autem cum esset prudens, strenuus, hilaris, atque largus, ita sibi Christianos allicere satagebat, ut Christianos Arabibus ostenderet cariores. Hac benignitate carissimus erat suis, adeo quod omnes ex animo ei servire pari studio laborabant, ita quod à Dorio, qui erat limes inter Christianos et Arabes, usque ad fluvium Estolam omnia vastavit, in cuius ripa tentoria collocavit. Quod audiens Veremundus, cum exercitu properavit, et insultum faciens in tentoria Almanzoris, multos de suo exercitu interfecit. Cum autem esset Almanzor magnanimus atque constans, à proprio solio, deposito aureo pileo quem pro corona gestabat, humi resedit iuxta morem Principum gentis suæ. Exercitus autem qui eum ex animo diligebat, confusionem autem ferre non sustinens, prœlium restauravit, et fugatis Veremundi militibus, usque ad Legionis ianuas pervenerunt. Sed urgentibus pluviis hiemalibus, quæ solent in illis partibus inundare, Almanzor ad propria est reversus. Cives autem Legionenses et Astoricenses timentes in futuro anno super se tantam multitudinem adventuram, corpora Regum quæ erant sepulta Legione et [a] Astorica, cum corpore Sancti Pelagii Martyris ad Asturias transtulerunt, et apud Ove-

O 2

(s) Compl. *Prædictus etiam Veremundus nihilominus habuit.*

(t) Al. *concubino.*

(u) Tol. semper legit *Taratiam.*

(x) Compl. *fratrem eius.*

(y) Al. *instituit.*

(z) Al. *quod in tempore famulus erat regis*: in Compl. deest *erat.*

(a) Ita legit Al. hic: Compl. vero ubique: sed Tol. habet *Asturicam.*

Digitized by Google

Ovetum in Ecclesia Sanctæ Mariæ sepelierunt, et super altare beati Ioannis Baptistæ corpus Sancti Pelagii posuerunt. Quidam autem ex civibus Legionensibus corpus Sancti Froilani Episcopi deferentes infra Pyrenæum ad vallem quæ Cæsaris dicitur, in Sancti Ioannis Apostoli Ecclesia collocarunt.

De irruptione [b] *Legionis et Astoricæ.*

(b) Al. *Legionensi.*

CAP. XV.

Adveniente autem verno tempore, Almanzor iterum exercitum congregavit, et veniens Legionem, obsessam firmiter impugnavit. Veremundus autem se apud Ovetum recepit morbo podagrico præpeditus. Almanzor vero captioni Legionis ferventer insistens, dum fere per anni circulum impugnasset, in porta occidentali prima irruptio facta fuit: quarta die post hoc, secunda irruptio iuxta portam [c] meridionalem. Tunc Guillelmus Consalvi Comes Gallæciæ qui ad defensionem venerat, graviter ægrotabat, sed audiens murum effractum, ad locum periculi se armatum deferri præcepit, ut mortem videret antequam excidium civitatis. Irruentibus itaque Arabibus, idem Comes occiditur, et civitas occupatur, et Almanzor portas urbis opere marmoreo [d] constructas, et arcem præcipuam, portæ orientalis murum, et ceteras turres fecit destrui à fundamentis, una dumtaxat relicta quæ esset posteris in memoriam, quod talium murorum et tantarum turrium destruxerat civitatem. Cepit Astoricam, et summitatem turrium decurtavit: Coiancam (quæ nunc Valentia) et Sanctum Facundum, et alia plurima loca subvertit: Albam, Lunam, Gordonem, et Arbolium licet [e] impugnaverit, non potuit obtinere. Deinde rediens per terras Castellæ, [f] Oxomam, et Alcovelam, Valeranicam (quæ nunc Berlanga) et Atentiam obtinuit, et destruxit. Exinde ad sua rediit fastu et superbia elevatus. Sic enim super Christianos ira cœlestis Regis exarserat. Ubi cum fere per duodecim annos Christianorum terminos invasisset, et ut voluerat, vastavisset, et plurima loca sibi tributaria effecisset, semper invictus rediit cum triumpho. [g] Unde etiam ab Hispania Gothorum gloria recessit, thesauros Ecclesiæ Arabes abduxerunt, et cultus Ecclesiæ datus est in contemptum, et plaga quæ acciderat tempore Roderici, et iam videbatur obduci, passa est recidivum.

(c) Compl. *meridianam.*

(d) Compl *pulchre constructas.*

(e) Compl. *impugnavit.*

(f) Al. *Oxoniam.*

(g) Al. *Undecum.*

De morte Almanzor.

CAP. XVI.

Igitur anno decimo tertio Almanzor, resumpto exercitu, ingressus est per eam partem Gallæciæ, quæ dicitur [h] Portugale, munitiones et civitates hostiliter devastando. Cumque ad maritima pervenisset, etiam civitatem et Ecclesiam beati Iacobi devastavit, sed fulgure territus, ab eo loco, ubi esse corpus Apostoli credebatur, abstinuit, quod tamen proposuerat violare. Nihilominus tamen campanas minores in signum victoriæ secum tulit, et in Mezquita Cordubensi pro lampadibus collocavit, quæ longo tempo-

(h) Compl. *Portucale.*

Digitized by Google

pore ibi fuerunt. Almanzor autem cum suo exercitu percussus à Domino, pro scelere sacrilegii dignam sustinuit ultionem; nam qui sanctum locum Apostoli profanarat, immunda sui plaga, scilicet dysenteria fere totus exercitus est consumptus; reliqui morte subitanea perierunt. Quod audiens Rex Veremundus, misit multitudinem peditum expeditam, qui imbelles et infirmitate consumptos in montanis facile trucidarunt. Et sic Almanzor coactus peste, ad propria est reversus. Rex autem Veremundus coactus hostibus, legationem misit Garsiæ Fernandi Comiti Castellano, et Garsiæ Tremuloso Regi Navarrorum, ut obliti iniuriarum, ad agenda prœlia fidei fœderati insimul convenirent. Quod audientes, Rex Garsias misit exercitum, Comes Garsias Fernandi personaliter cum sua multitudine, et Rex Veremundus, licet podagricus, gestatus humeris baiulorum, collecta potentia regni sui, omnes insimul convenerunt, et in loco quodam qui Arabice [i] Calacanazor, Latine autem dicitur Vulturum altitudo, Almanzor venienti cum suis Arabibus, ut Castellam invaderet, occurrerunt. Cumque sese mutuis cædibus invasissent, maxima pars cecidit de exercitu Agareno; tamen noctis tenebris intercepti, neuter neutri cessit campum, et tanta strage comperta suorum, bellum in crastino timuit restaurare. Unde et de nocte fugiens, cum venisset ad vallem Borgecorexi, dolore vexatus, animam exhalavit, et ad Medinam quæ Cœlum dicitur, est delatus. Cumque dies crastina illuxisset, exercitus christianus putavit Arabes ad prœlium reversuros, sed cum tentoria vacua hominibus conspexissent, ipsa tentoria et supellectilem et spolia varia occuparunt. Comes autem Garsias Fernandi viriliter insecutus eos qui cædem evaserant, fere usque ad internecionem delevit. Almanzor autem qui semper invictus fuerat, tanto dolore prosternitur, ut à die prœlii neque cibum, neque potum sumpserit, donec diem conclusit extremum.

(i) Compl. *Calatanazor.*

De ſuga Abdelmelich, et morte Regis Veremundi.

CAP. XVII.

Ibidem anno sequenti Abdelmelich filius eius, postquam paternum suscepit honorem, exercitum congregavit, [l] ut vastationibus in Christianorum finibus instaret; veniensque Legionem, quod residuum invenit in muris et turribus, dissipavit, ne posset iterum reparari. Sed Comes Garsias Fernandi adveniens ex Castella cum magna multitudine militum et populorum, sibi [k] Legionenses adiunxit, et Abdelmelich in ore gladii effugavit. Sicque christianis finibus à tot cladibus liberatis, aliquo tempore terra quievit. Tunc revocatis militibus christianis, Rex Legionis, et Rex Navarræ, et Comes Castellæ possessiones et iura militibus restituerunt, ne particularia schismata fierent Arabibus occasio prævalendi. Eo tempore Rex Veremundus à susurrone deceptus, præcepit capi Gudesteum Episcopum Ovetensem, sed ut tantum ne-

(l) Compl. *ut vastationes in Christianorum finibus restauraret.*

(k) Tol. et Al. *Legionem adiunxit.*

Digitized by Google

nefas non procederet impunitum, facta est siccitas magna in terra, ita quod totus populus ciborum penuria arctabatur. Cumque quibusdam religiosis fuisset à Domino revelatum, [l] famem propter iniuriam Episcopi accidisse, et Regi esset revelatio intimata, confestim absolvit Episcopum, et per Semenum Astoricensem Episcopum cui Rex Episcopum commendaverat, fecit restitui Gudesteum, et statim Dominus pluviam voluntariam segregavit, et terra attulit fructus suos. Tunc Rex Veremundus corde compunctus, Ecclesiam beati Iacobi, et cetera loca quæ Almanzor profanarat diripiens, prout potuit, restauravit, et bonis operibus et eleemosynis iam intentus, de commissis cum consilio Prælatorum pœnitentiam agere satagebat, et in villa quæ est in Berizo, moritur, et sepelitur, et ab Alphonso filio et successore transfertur post aliquantum temporis Legionem, et in Ecclesia beati Ioannis Baptistæ cum coniuge Geloira denuo sepelitur.

(l) Compl. pestem propter.

De Aldefonso, et miraculo sororis suæ, et morte Comitis Garsiæ Fernandi.

CAP. XVIII.

Post obitum Veremundi Aldefonsus filius eius successit in regno, [m] qui quinque annorum erat cum
Ær.1017. regnare cœpisset, Æra MXVII, et regnavit annis XXVII, nomen matris eius Geloira. Cum esset parvulus, datus est nutriendus Menendo Gundisalvi Comiti Gallæciæ, et uxori eius Comitissæ Maiori. Cum autem adolevisset, accepit uxorem eorum filiam Geloiram, ex qua duos filios dicitur habuisse Veremundum et Sanciam: et hæc Sancia, procedente tempore, nupsit Regi Fernando filio Regis Sancii Navarrorum. Hic autem Aldefonsus in reprobum sensum datus, cum esset puer, dedit Tarasiam sororem suam in uxorem Abdaliæ Regi Toleti sub pacto auxilii contra Principem Cordubensem, ipsa penitus reclamante. Cumque Rex ille vellet eam suis amplexibus commiscere, inquit illa: "Christiana sum, et abhorreo connubia aliena, noli me tangere, ne interficiat te, quem colo, Dominus Iesus Christus." Ille autem deridens talia, invitam corrupit, statimque percussus ab Angelo, sensit mortis periculum imminere, vocatisque familiaribus, et oneratis camelis auro et argento et vestibus pretiosis et supellectili valde decora, remisit eam protinus Legionem, quæ ibidem in monachali habitu diu vixit; sed ad monasterium Sancti Pelagii se postea transferens, ibidem et vitam finivit, et sepulturam accepit. Eisdem diebus Sancius filius Comitis Garsiæ Fernandi contra patrem [n] nisus est rebellare. Cumque inter patrem et filium esset discordia concitata, Sarraceni fomentum impetus habuerunt, et Castellæ terminos invadentes, Abulam quæ populari cœperat, destruxerunt, Cluniam et Sanctum Stephanum occuparunt, cædes et incendia in patria exercentes. Cumque Comes Garsias Fernandi talia percepisset, magnanimitate pulsatus, licet gens sua in eum et filium

(m) Compl. non habet qui.

(n) Tol. et Al. visus est.

lium esset divisa, eligens mori pro patria, cum Arabibus decertavit, sed multitudine circumclusus, vivus capitur inter cæsos undique comprehensus; sed paucis diebus moritur, eo quod in bello fuerat letaliter vulneratus, et corpus eius à Sarracenis redemptum in monasterio Sancti Petri de (o) Cardonia requiescit.

(o) Compl. et Al. *Cardenia.*

De Sancio Comite, et piis operibus Aldefonsi.

CAP. XIX.

Huic successit in Comitatu Sancius filius eius, vir prudens, iustus, liberalis, strenuus, et benignus, qui nobiles nobilitate potiore donavit, et in minoribus servitutis duritiam temperavit. Hic patris iniuriam impatiens sustinere, iuxta fœdus cum patre initum, Navarrorum et Legionensium exercitus convocavit, et ingressus cum eis ad partes Toleti, cæde et clade cuncta vastavit, et prædis abductis, quæ remanserant, flamma consumpsit. Nec ab his stragibus fuit regnum Cordubæ alienum. Sed utroque regno vastatione consumpto, et munera obtulerunt, et indignationis faciem donariorum copia placaverunt, et sic patris iniuria vindicata, gloriosus, et inclitus remeavit. Rex autem Aldefonsus Concilium celebravit, et reædificavit Legionem, quam Almanzor et Abdelmelich filius eius destruxerant, (prout superius est expressum) et leges Gothicas reparavit, et alias addidit, quæ in regno Legionis etiam hodie observantur, et colligens ossa Regum variis direptionibus dispartita, in Sancti Ioannis Basilica sepelivit. His temporibus duo filii Vegilæ ad Sarracenos transfugæ propter insolentias quas agebant, à Sancio Comite recesserunt, et à Rege Aldefonso benigne recepti, in (p) submontaneis dominium acceperunt. Post hæc Rex Aldefonsus cum suo exercitu veniens ad oppidum quod Viseum dicitur, mox obsedit. Cumque inermis infirmiora oppidi prospectaret, inter scapulas sagitta percussus, letalis vulneris sensit ictum; et rebus in præsentia Pontificum ordinatis, facta confessione, et sumpto viatici sacramento, vitam finivit, et soluta obsidione, à suis Legionem deducitur, et in paterno (q) mausoleo sepelitur.

(p) Compl. *submontanis.*

(q) Al. *Mauseolo.* Compl. *Mauseulo.*

De Rege Veremundo, et filiabus Sancii Comitis Castellani.

CAP. XX.

Post mortem Aldefonsi Veremundus filius eius successit in regno Æra MXLIIII, et regnavit decem annis; et quamvis puer, postremis patris actibus adhærens, tam Ecclesias, quam monasteria, quam loca sacra ab Arabibus dissipata studuit reparare, et malorum insolentias refrenare. Hic duxit uxorem nomine (r) Taresiam filiam Sancii Comitis Castellani, qui Sancius habuit aliam filiam nomine Geloiram (alii dicunt vocatam Maiorem) quam dedit uxorem Regi Navarrorum Sancio qui dictus est Maior, ex qua suscepit idem Sancius duos filios, Garsiam videlicet, et Fernandum.

Ær. 1044.

(r) Al. *Tharasiam.*

De

Digitized by Google

De ortu et genealogia Regum Navarrensium.

CAP. XXI.

Verum quia genealogiæ Regum Castellæ linea et Legionis in viris post tempora Veremundi et Comitis Sancii defecerunt, et successiones Castellæ et Legionis fuerunt ad feminas devolutæ, oportet genealogiam texere à Regibus Navarrorum, qui heredes feminas in matrimonium assumpserunt. Cum enim Castella, Legio, et Navarra variis Arabum incursionibus vastarentur, vir advenit ex Bigorciæ Comitatu, bellis et incursibus ab infantia assuetus, qui [s] Enecho vocabatur, et quia asper in prœliis, Arista agnomine dicebatur, et in Pyrenæi partibus morabatur, et post ad plana Navarræ [t] descendens, ibi plurima bella gessit: unde et inter incolas regni meruit principatum. Hic genuit filium Garsiam nomine, cui uxorem Urracam de regio semine procuravit.

(s) Compl. *Ennecho.*

(t) Al. *discedens.*

De Rege Garsia Enechonis et filio eius Sancio.

CAP. XXII.

Mortuo autem Enechone Arista, regnavit Garsias Enechonis filius eius, vir largus, et strenuus, et in bellis [u] continue se exercens. Cumque quadam die minus caute in quodam viculo qui [x] Larumbe dicitur, resideret, supervenientes Arabes improvidum occiderunt, et Reginam Urracam uxorem suam prægnantem in utero lancea percusserunt. Sed continuo adventu suorum latrunculis Arabum effugatis, Regina morti proxima, tamen viva, per vulnus lanceæ, sicut Domino placuit, infantulum est enixa, et fotus ministerio muliebri, vitæ miraculo omnium est servatus, et Sancius Garsiæ fuit vocatus. Mortua autem matre, quidam nobilis qui à tempore Enechonis Aristæ adhæserat Regi Garsiæ, suscepit infantulum, et fecit eum diligentissime enutriri, et transactis infantiæ et pueritiæ annis, cum ad adolescentiam pervenisset, ætatem indole, et indolem strenuis operibus superabat, et successit in regno Regi Garsiæ Æra DCCCCXVIII. Æra 918.
Nutricius autem eius cum esset nobilis et abundans, semper eum consiliis et auxiliis ad magnalia provocabat, et procuratus est ei uxorem de regio semine quæ Theoda vocabatur, ex qua suscepit filium Garsiam nomine, qui agnominatus est Tremulosus. Habuit etiam quatuor filias, Semenam, Mariam, et Tarasiam, et [y] Valasquitam, quæ fuit data Comiti Biscagiæ Munioni. Verum Rex Sancius ex Cantabria Arabes graviter infestabat, adeo quod usque [z] ad montem Aucæ, et Tudeliam, et prope Oscam fere omnia suæ subdidit ditioni. Acquisivit etiam Aragoniam et montana. Verum populi Cantabrorum agilitati et frigori assueti, tempore irruptionis Arabum expeditiones viriliter sustinebant, et quadam vice cum Arabes hiemali tempore invaderent Pampiloniam, et Rex Sancius ultra Pyrenæum ageret, audito periculo, periculo se ingessit, et propter importunitatem nivium de cru-

(u) Compl. *quotidie.*

(x) Al. *Lapuerbe.* Al. *Larumba.*

(y) Al. *Velasquitam.*

(z) Tol. et Al. *ad mortem Aucæ.*

Digitized by Google

crudis coriis fecit abarcas, quibus (a) pro sotularibus per medias nives transivit illæsus, et ab hoc facto fuit exinde dictus Abarca: (et aliqui qui ex eius genere processerunt, adhuc hodie cognomen retinent ab Abarca) et circa Auroram obsessis adveniens, impetu (b) dirupit obsessores, et tanta succubuit multitudo, ut vix superesset qui Arabum infortunium nunciaret. Et quia habebat populos agiles, et in spiculorum actibus expeditos, ut eos ad bella et infestationes Arabum amplius provocaret, interdum cum militibus studio militari, interdum cum peditibus officio peditali, semper tamen prœliis fidei insistebat, et in rupibus arduis munitiones sæpius (c) construebat, et aliquando pugna, aliquando furtim castra plurima occupabat, et more peditum calciatis abarcis, peditibus comitatus, pari, immo præcellenti agilitate, in Carpetania et Celtiberia loca plurima acquisivit, quæ adhuc hodie Regis Sancii Abarcæ dicuntur, et ipse Rex Sancius Abarca adhuc hodie memoratur; et inde sic compescuit incursantes, ut terra diebus eius securitate continua lætaretur, et regnavit Rex Sancius, dictus Abarca, annis (d) XXV, et decessit Æra
Æra 943. DCCCCXLIII.

(a) Compl. *usus pro sotularibus.*
(b) Compl. *diripuit.*
(c) Compl. *constituebat.*
(d) Tol. et Al. *XV.*

De Rege Garsia, qui dictus est Tremulosus.

CAP. XXIII.

Eo mortuo, Garsias filius eius regnavit pro eo, qui dictus est Tremulosus, eo quod quando rumores periculi audiebat, vel (e) debebat in prœlio experiri, à principio totus (f) tremulabat, sed postea constantissimus persistebat. Hic bonus, pius, et largus, strenuus, et benignus, et quidquid habere poterat, militibus erogabat, et quia imitator patris, interdum se peditum phalangibus immiscebat, peditans aggregatim, et etiam calceamentis similibus utebatur: unde dictus fuit Garsias Abarca. Regnavit autem annis XXV, et
mortuus fuit Æra DCCCCLXVIII. Æra 968.

(e) Al. *dolebat.*
(f) Compl. et Al. *tremebat.*

De Rege Sancio, et generationibus Regum Navarræ.

CAP. XXIIII.

Post mortem eius filius eius Sancius, dictus Maior, successit in regimine Navarrorum, et duxit uxorem filiam Comitis Sancii de Castella, quæ Maior, vel Geloira secundum alios dicebatur, et suscepit ex ea duos filios Garsiam et Fernandum. Et Rex Garsias habuit duos filios, Regem Sancium quem sibi ordinaverat successorem, sed fuit occisus in Pœnaleni, et alium qui Sancius similiter est vocatus, qui apud Rhodam fuit proditionaliter interfectus. Hic habuit filium Ranimirum Infantem, qui Ranimirus duxit uxorem filiam Roderici Didaci, cum Valentiæ morabatur, et suscepit ex ea filium Garsiam Ranimiri, qui primus regnavit in Navarra, ex quo Fernandus filius Sancii Maioris sedem regni à Navarra transtulit in Castellam, et tunc temporis Navarri inter regnum Castellæ, et Aragoniæ, quasi

Digitized by Google

acephali fluctuabant. Unde cum post mortem Petri et Aldefonsi Regum Aragoniæ qui sine filiis decesserunt, regnum Navarræ diversis studiis traheretur, Navarri Garsiam Ranimiri de quo diximus, missis duobus Baronibus, (g) Guillelmo Acenarii de Oteica, et Fortunio Enechonis de Leet, clanculo à Montionis curia evocarunt, et eum sibi in Regem et Principem elegerunt, et per eum fuit regnum Navarræ satis tenue reparatum. Hic duxit uxorem Margelinam filiam Rotronis Comitis Perticarum, ex qua suscepit filium nomine Sancium, qui fuit prudens, magnanimus, et strenuus in agendis. Habuit etiam duas filias Rex Garsias, Blancam quæ nupsit Sancio Regi Castellæ, et habuit filium (h) nomine Aldefonsum, de quo inferius prosequemur, habuit et aliam filiam nomine Margaritam, quæ nupsit Guillelmo Regi Siciliæ, ex qua suscepit Regem Guillelmum, qui semper divitiis et deliciis (i) abundabat. Hic duxit uxorem Ioannam filiam Enrici Regis Anglorum, nec tamen habuit ex ea prolem. Sed eo mortuo, uxor sua Regina Ioanna nupsit Raimundo Comiti de Tolosa, ex quo suscepit filium nomine Raimundum, qui Tolosæ adhuc hodie principatur. Mortua Margelina, Rex Garsias duxit uxorem Urracam filiam Imperatoris, quam habuit ex Gontroida sorore Didaci (j) Abiregonis, ex qua suscepit tertiam filiam. Et mortuo Rege Garsia, Urraca Regina nupsit Alvaro Roderici, et me sua tempora invenerunt. Et ex ista habuit Rex Garsias tertiam filiam nomine Sanciam, quæ data fuit (k) Gasconi Vicecomiti Bearnensi, et eo mortuo sine prole, nupsit Petro Comiti Molinensi, et suscepit ex ea filium nomine (l) Aimericum, qui fuit Vicecomes Narbonensis, eo quod Comes Petrus fuit filius Ormisindæ, ad quam Narbona successione provenit. Sancius autem Rex Navarræ duxit uxorem nomine (m) Beatiam filiam Imperatoris, ex qua genuit duos filios, Sancium qui successit in regno, qui dicebatur agnomine Inseratus, eo quod in castro Tudeliæ residens, se ab omnibus præterquam à paucis domesticis occultabat: habuit et alium filium Ferdinandum, qui erat merito probitatis in oculis omnium gratiosus, sed casu miserabili equi præcipitio (n) quassatus apud Tudeliam vitam finivit. Habuit et tres filias, Berengariam, quæ Ricardi Regis Angliæ fuit uxor. Quo mortuo sine prole, in viduitate laudabili diu vixit, et in civitate (o) Cenomannis ex donatione propter nuptias quam habebat, frequentius morabatur, eleemosynis et orationibus et piis operibus intendendo, castitatis et religionis exemplo provocans studia feminarum, et in eadem civitate vitæ cursum felici exitu consummavit. Secunda filia Regis Navarræ fuit Constantia, quæ fuit mortua nondum nupta. Tertia filia fuit Blanca, quæ nupsit Comiti Campaniæ Theobaldo, et suscepit ex eo filium (p) posthumum Theobaldum. Hic duxit uxorem de (q) Lothoringia filiam Metensis Comitis, sed ab ea postmodum fuit iudicio Ecclesiæ separatus. Postea duxit filiam nobilis Baronis Guiscardi de bel-

(g) Al. *Guillemo.*

(h) Compl. *nobilem Aldefonsum.*

(i) Compl. *abundavit.*

(j) Compl. *Abiregonis.*

(k) Compl. *Gastoni.*

(l) Al. *Enricum.*

(m) Al. *Beatricem.*

(n) Al. *conquassatus.* Compl. *concassatus.*

(o) Al. *Cenomani.*

(p) Al. *posthumi.*

(q) Tol. *Lothringia.*

Digitized by Google

bello ioco, et [r] Sibyllæ filiæ Philippi Comitis Flandriæ et [s] Hanoniæ. Ex iſta ſuſcepit filiam nomine Blancam, quæ eſt uxor nobilis Ioannis Ducis Britanniæ. Poſtea duxit uxorem tertiam nomine Margaritam, filiam nobilis Principis Archembaudi, ex qua ſuſcepit duos filios, Theobaldum et Petrum, et filiam [t] Alienor, quorum infantiam Dominus alat, provehat, et exaltet. Hic Theobaldus fidei zelo ſuccenſus, aſſumpta ſecum maxima multitudine militum, Principum, et Baronum, ivit in ſubſidium Terræ Sanctæ, et loca plurima acquiſivit, quæ chriſtianæ reſtituit poteſtati, ibique omnibus militibus indigentibus, etiam iis qui in expenſis eius non iverant, uſque ad reditum in ſumptibus ſatisfecit, pleroſque milites quos Agarenorum verſutia captivaverat, pactis et pecuniis liberavit, et reverſus in Campaniam, Comitatum et regnum laudabiliter gubernavit, omnibus manſuetus, iuſtus, pacificus, et modeſtus, qui nunc Navarræ et Campaniæ principatur, et Dominus dirigat vias eius.

(r) Compl. *Sibiliæ.*

(s) Compl. *Hanovi.*

(t) Al. *Alienorum.*

De Infante Garſia, qui fuit occiſus in Legione.

CAP. XXV.

Nunc ad hiſtoriam Regis Sancii, qui dictus eſt Maior, à qua divertimus, revertamur. Mortuo Comite Sancio ſucceſſit in Comitatu filius eius Garſias, cui magnates Caſtellæ uxorem procurati ſunt Regis Veremundi ſororem quæ Sancia dicebatur. Cumque Infans Garſias cum ſuo exercitu et Rege Sancio Navarrorum uſque ad Sanctum Facundum facturus nuptias perveniſſet, ibidem dimiſſo exercitu, cum paucis clanculo ivit Legionem, ut poſſet ſponſam conſpectu mutuo intueri. Erant autem tunc temporis Legione filii Vegilæ Comitis, Rodericus Vegilæ, Didacus Vegilæ, et Enechus Vegilæ, qui ob patris odium proditionis anheli in filium congeſſerant factionem, et ei obviam occurrentes, manus [u] oſculo (prout exigit mos Hiſpanus) ſe eius dominio ſubiecerunt, quorum hominio iam ſecurus, et paranymphis dulci alloquio perſuaſis, permiſſus eſt Infans optatis ſolatiis delectari. Cumque ſe mutuo conſpexiſſent, ita fuit uterque amore alteri colligatus, ut vix poſſent à mutuis aſpectibus ſeparari. Tunc quidam milites de regno Legionis cum prædictis filiis Vegilæ ad Sarracenos transfugæ, eo quod à Comite Sancio indignanter receſſerant à Caſtella, proditione [x] tractata, Infantem Garſiam annorum tredecim occiderunt, Roderico Vegilæ ea manu, qua eum de ſacro fonte levaverat, gladio feriente. Et proditionem huiuſmodi ſponſa ſua Sancia quæ utcumque perceperat, revelarat; ſed magnates qui ſecum aderant, cum eſſent nobiles et fideles, tantum facinus credere noluerunt. Unde et [y] peracto facinore, Caſtellani et Legionenſes inteſtinæ plagæ vulnere corruerunt. Sponſa vero ſponſi dulcedine vix guſtata, ante vidua, quam traducta, fletu lugubri ſemiviva lacrimas cum occiſi ſanguine admiſcebat, ſe occiſam ingeminans cum oc-

(u) Al. *oculo prono exegerunt: mox Hiſpani ſe eius dominio ſubiecerunt, quorum hominum iam ſecurus.*

(x) Tol. et Al. *tracta.*

(y) Compl. et Al. *perpetrato.*

Digitized by Google

occiso. Qui cum in Ecclesia Sancti Ioannis cum patre sponsæ sepeliretur, et ipsa cum sepulto voluit sepeliri. Aliqui autem de proditoribus ad montium ardua confugerunt. Sancius autem, dictus Maior, qui sororem Infantis Garsiæ maiorem duxerat in uxorem, statim Castellæ ingressus est Comitatum, ad quem erat ratione uxoris successio devoluta, ad quem etiam Ducatus Cantabriæ pertinebat, eo quod pater eius Rex Garsias fuerat filius Sancii, qui regno Navarræ Cantabriæ addiderat Principatum, et regnum Navarræ, et Comitatum Castellæ, et Ducatum Cantabriæ bellis indesinentibus mirabiliter ampliarat, cuius sedes fuit Anagarum ab antiquo. Sub isto Comes Didacus Porcelli populavit Burgis, quam quia ex burgellis plurimis [z] ademerat, Burgis statuit nominari,

(z) Compl. *adunarat.*

Æra 922. Æra DCCCCXXII, et iter Sancti Iacobi, quod propter insultus Arabum per Alavam et Asturiarum devia frequentabant, ab Anagaro per Birvescam et Amaiam immutavit, et per confinia Carrionis, donec ad Legionem et Astoricam veniatur.

De divisione regni, et infamatione Reginæ.

CAP. XXVI.

Cumque Arabes victoriis attrivisset, satis secure degebat. Habebat autem equum quem tenerrime diligebat, eo quod celeri fortitudine equis omnibus præeminebat. Erat enim strenuus, domitus, et probatus, et in eo tanquam in vitæ subsidio confidebat, quem dimisit Anagari uxoris fidei commendatum. Tanta erat tunc temporis infestatio Arabum, quod milites, Comites, et etiam Reges in domibus, ubi uxorum thalami ornabantur, equis stationem parabant, ut quacumque hora clamor invadentium insonaret, ad equos et arma possent sine dilatione aliqua festinare. Filius autem eius Garsias qui erat primogenitus, commendatum equum à matre petiit sibi dari. Et cum illa annuisset precibus inclinata, miles quidam Reginæ servitio deputatus, eam à proposito revocavit, ne forte contra eam Regis indignatio incanderet. Sed et ipsa acceptans consilium, quod promiserat, denegavit. Indignatus autem filius vehementer, suasit fratri, ut matrem suam apud patrem de familiari commercio cum milite qui de equo dissuaserat, accusarent. Sed Fernandus nolens esse matris delator, dixit fratri: "Non accusabo, sed "quæ dixeris, tolerabo." Garsias autem cuius furor maledictus quia pertinax, et indignatio quia dura, matris infamiam coram patre proposuit impudenter, et fratris testimonium invocavit. Et Rex credulus filiorum uxorem suam in castro Anagari observavit, et super hoc curia congregata, decretum est Reginam condemnandam duelli certamine, aut salvandam. Sed cum nullus adesset, qui contra Regis filios vellet in certamine pro Regina experiri, Ranimirus advenit homo pulcherrimus, et in armis strenuus, et Regis Sancii filius, non ex illa qua alii ortus matre: ipse se obtulit duelli periculo pro Regi-

gina. Cumque negotium in magno discrimine tractaretur, accessit monachus sanctitate præcipuus ex monasterio [a] Anagorensi, qui dixit Regi: "Si Regina falso susurro accusatur, velletis eam à crimine liberare, et delatoribus indulgere?" Qui respondit: "Si posset cum iustitia liberari, nihil posset mihi gratius obvenire." Filii autem confessi fuerant sancto viro, se in matrem suam falso infamiam congessisse. Vir autem sanctus timens, ne in tanto periculo Regina innocens damnaretur, Regi, quæ perceperat, revelavit: et salvatus est Reginæ sanguis innoxius illa die. Rex autem de absolutione Reginæ [b] iucundus eam rogavit, ut filiis impietatis facinus indulgeret. Tunc Regina annuit ea lege, ut Garsias in regno Castellæ quod ei ex parte patris provenerat, non regnaret, quod et ita fuit. Nam cum regnum filiis dividere decrevisset, ne occasio discordiæ viam daret Arabibus prævalendi, ordinatione patris Garsiæ primogenito regnum Navarræ et Ducatus Cantabriæ provenerunt: Fernando vero Castellæ tradidit Principatum. Regina itaque honori pristino restituta, et etiam ampliori, Aragoniam quæ eius erat [c] ex donatione propter nuptias, dedit Ranimiro privigno, qui propter eam se obtulerat ad duellum, idipsum Rege Sancio confirmante.

(a) Compl. *Anagarensi.*

(b) Compl. *iocundus.*

(c) Al. *propter nuptias donat.onem dedit.*

LIBER SEXTUS.

De Rege Ranimiro, et genealogia Regum Aragoniæ, et de captione Oscæ.

CAP. I.

Sed quia Ranimirus principium fuit Regum qui in Aragonia regnaverunt, à genealogia fratrum suorum aliquantulum divertentes, successionem Regum Aragonum qui multis victoriis claruerunt, stilo continuo usque ad hæc tempora prosequemur. Fuit itaque Ranimirus filius Regis Sancii qui dictus est Maior, quem suscepit ex quadam nobilissima domina de castro [d] Aivarum. Qui, patre mortuo, cum esset strenuus, primus in Aragonia Regem statuit se vocari, et hic fuit in Aragonia Regum primus. Hic genuit filium quem à patris nomine Sancium nominavit. Hic Sancius obsedit Oscam, et sagitta percussus, sensit se letaliter vulneratum: [e] adiuravit filios suos Petrum et Aldefonsum, [f] quod nunquam ab obsidione recederent, donec civitas caperetur: et ipso vitam ex vulnere finiente, corpus eius inhumatum tandiu servaverunt, donec civitas fuit capta. Cumque ad solvendam obsidionem multitudo Arabum advenisset, Petrus qui inter filios maior erat, et ibidem, mortuo patre, in Regem fuerat elevatus, à monasterio Sancti Victoriani Marty-

(d) Compl. et Al. *quod dicitur Aybarum.*

(e) Compl. *et adiuravit.*

(f) Compl. et Al. *ne umquam.*

tyris fecit afferri corpus, et eius orationibus se commendans, cum Arabibus concertavit, et Martyris oraculo confortatus, pugnæ institit, adeo quod et fugavit Arabes, et de eorum spoliis exercitui inopia laboranti copiam ministravit, et interpositis paucis diebus, sic civitatem strenue impugnavit, ut et civitatem sibi redderent, et se eius dominio manciparent. Hic est Petrus qui in bello postmodum à Roderico Didaci fuit captus, sed hostis clementia continuo liberatus. Hic habuit duos fratres, Aldefonsum cuius facta postea prosequemur, et Ranimirum qui in monasterio Sancti Pontii de Thomaris fuit monachus et Sacerdos.

De dissensione Aragonensium, et de regno Monachi Ranimiri.

CAP. II.

Verum interpositis multis annis, aliis duobus fratribus decedentibus sine prole, fuit inter Aragonenses dissensio subsecuta, quia cum Ranimirus (ut diximus) esset monachus et Sacerdos, non posset bella neque iustitiam more regio exercere, nec posset uxor legitime sibi dari. Unde et quemdam nobilem qui dicebatur Petrus Tarasiæ, volebant Regi mortuo subrogare; et quia ille minus provide se gerebat, cœpit de futuro [g] nomine se insolere, et spei, non rei dominio superbire, et nobiles dedignari. Unde duo magnates, scilicet Petrus Titionis de Catherecta, et Peregrinus de castello Acioli, cum essent nobiles et potentes, et vellent fidelitatem naturali domino custodire, plurimorum animos à primo proposito revocarunt, et ut Ranimirum monachum à monasterio evocarent, vigilanti studio procurarunt. Dum enim quadam die apud [h] Boriam Aragonensium curia provenisset, ut prædictum Petrum ad regni fastigium sublevarent, et ex Navarra aliqui ex magnatibus advenissent, et eos Aragonenses minus curialiter recepissent, Petrus Titionis eis occurrens, recepit liberaliter et iucunde, et sciens Petrum Tarasiæ [i] balneis detineri, prædictos magnates duxit ad eum, sed fuit eis à ianitoribus aditus denegatus. Et indignantes illico abierunt, et peracto prandio, cum Petro Titionis, mutato proposito, recesserunt. In eadem autem curia, procurantibus dictis magnatibus, fuit promotio Petri Tarasiæ impedita, et res dilata usque ad curiam Montionis. Cumque in Montione iterum convenissent, potiorum consilium hoc firmavit, ut Ranimirum monachum fratri mortuo subrogarent: et eductum de monasterio apud Oscam in regni solio collocarunt, et sororem Comitis Pictaviensis in uxorem ei post modicum temporis adsciverunt. Hic fuit in prœliis fortunatus, et suis benignus, propitius, liberalis, adeo quod fere omnes villas et castra regalia militibus est largitus. Suscepit autem filiam nomine Petronam, quæ postea dicta fuit Urraca, quæ Raimundo Barcinonensi Comiti fuit nupta, et [j] cum esset nubilis, statim Rex Monachus fuit suo monasterio restitutus. Qui tamen dum in regno existeret, mona-

(g) Compl. *nomine insolere.* Al. *insolescere.*

(h) Tol. *Boriam.*

(i) Compl. *balnei deliciis detineri.*

(j) Compl. *cum fuit nubilis.*

Digitized by Google

nasterium suum Ecclesiis et possessionibus multis ditavit, quæ adhuc hodie possidet in (k) Aragonia et Navarra.

(k) Al. *in Cathalonia, et Aragonia, et Navarra.*

De unione Regni et Comitatus Barcinonæ, et filiis Comitis et Reginæ.

CAP. III.

Eius itaque filia Urraca coniuncta Comiti Barcinonæ, fuit regni et Comitatus (l) una deinceps successio subsecuta. Et suscepit idem Comes ex Urraca Regina duos filios et unam filiam, Aldefonsum scilicet et Sancium, et Dulciam quæ nupsit Regi (m) Sancio Portugallensi, cuius generationem inferius describemus. Sancius duxit uxorem Sanciam filiam Nunii Comitis ex Castella, ex qua suscepit filium Nunium qui fuit mortuus sine prole. Aldefonsus autem primogenitus, patri et matri succedens, sceptra regni et Comitatus obtinuit. Hic fuit strenuus et liberalitatis satis amator, et in partibus Provinciæ multa gessit; Comitatus enim Provinciæ suus erat. Hic populavit (n) Turolum et alia plurima castra, et duxit uxorem Sanciam nomine, quam Imperator Hispaniarum susceperat ex Richa Imperatrice, quæ fuit filia Ducis Poloni, ex qua suscepit tres filios, scilicet Petrum, Aldefonsum, et Fernandum, et tres filias, Constantiam, Alienor, Sanciam. Aldefonso dedit Comitatum Provinciæ. Hic fuit bonus, strenuus, atque largus, et duxit uxorem neptem Comitis (o) Folocalquerii, ex qua suscepit filium qui nunc Provinciæ principatur, et est strenuus atque prudens, qui civitates multas et castra à Comitatu deperditas acquisivit. Hic duxit uxorem Beatricem filiam Comitis (p) Maurienem, ex qua suscepit quatuor filias; quarum una nupsit Regi Francorum domino Ludovico, aliam duxit dominus Angliæ Rex Enricus: Constantia filia Regis Regi Ungariæ fuit nupta, et viro mortuo sine prole, in Aragoniam est reversa, quam Rex Petrus frater eius dedit in uxorem Regi Siciliæ (q) Federico, qui fuit postea Imperator. Cumque Aldefonsus Comes Provinciæ, frater eius, cum sorore Regina in Siciliam navigasset, ipsa iuncta matrimonialiter Federico, Aldefonsus Comes vitam finivit cum multis aliis nobilibus, qui cum eis ex Aragonia et Catalonia navigarant. Federicus autem suscepit ex Constantia filium Enricum, qui adultus duxit uxorem filiam Ducis Austriæ. Sed quia contra patrem intentaverat rebellare, pater eum tandiu tenuit captivatum, donec in Apulia diem ultimum consummavit.

(l) Compl. *unio deinceps subsecuta*: ita etiam Al.

(m) In Al. deest *Sancio.*

(n) Compl. *Turolium.*

(o) Al. *Folqualquerii.*

(p) Al. *Mauriensis.*

(q) Compl. *Frederico* hic et infra: ita Al.

De Petro Rege Aragoniæ, et eius morte.

CAP. IIII.

Petrus autem qui erat primogenitus, Aldefonso patri successit in regno. Hic fuit strenuus, curialis, et largus, et undecumque pecunias habere poterat, liberaliter erogabat, adeo quod interdum castra et municipia creditoribus obligabat, ne manus solita semper dare, in-

inveniretur à largitionibus aliena. Hic semper fuit Regi Castellæ Aldefonso nobili fidei amicitia fœderatus, et cum eo in famosissimo bello [r] Ubetæ fuit victor, ut inferius latius disseremus. Hic cepit castellum [s] Abibdeimuz, et alia castra quæ à Sarracenorum instantia liberavit. Hic duxit uxorem Mariam filiam Principis nobilis Guilermi [t] montis Pesulani, quam habuerat ex filia Imperatoris Constantinopolitani, et suscepit ex ea filium nomine Iacobum. Hic Rex Petrus sub Innocentio Papa tertio Romam adiens, ab eodem Papa fuit in Ecclesia Sancti Pancratii diademate coronatus. Demum cum venerabilis Arnaldus Narbonensis Antistes contra hæreticos qui [u] provincia Narbonensi nomen Domini blasphemabant, de Galliis crucis signatorum multitudinem advocasset, advenit Petrus Rex Aragonum in auxilium Comitis Tolosani. Nam ipse Raimundus Comes Tolosæ, Alienor sororem Petri Regis Aragonensis duxerat in uxorem. Raimundus etiam filius eius, patri æquivocus, sorori Regis nomine Snciæ erat matrimonio copulatus, et ex ista Sancia genuit filiam, quæ nupsit Aldefonso filio [x] Ludovici Regis Francorum, Comiti Pictaviensi. Rex itaque Petrus cum paucis Aragonensibus, et pluribus Catalanis, et prædicto Comite, et etiam cum Fuxensi, et aliis magnatibus Galliæ Gothicæ, iuxta castrum quod [y] Murelum dicitur, cum Gallicis commiserunt, et sicut Domino placuit, Rex cum Aragonensibus in prœlio ceciderunt, quia ipsi soli viriliter perstiterunt, Fuxensi et Tolosano Comitibus terga præbentibus cum aliquibus Catalanis. Nec Rex Petrus, cum esset plene catholicus, in favorem venerat blasphemorum, sed (ut diximus) affinitatis debito. [z] Mortuus autem, sepultus est in Sexena quam mater sua Regina Sancia construxerat hospitali, et instituerat ibi collegium dominarum. Occubuerunt autem cum eo in bello de magnatibus Aragonis Aznarius Pardi, et Petrus Pardi filius eius, et [a] Gometius de Luna, et Michael de Lusia, et multi alii de potioribus Aragonis. Hoc prœlium fuit Æra MCCLII. Æ. 1252.

(r) Al. *Ubedæ.*

(s) Al. *Alibdeimux.*

(t) Compl. *domini montis.* Al. *Comitis montulani.*

(u) Compl. *in provincia.*

(x) Compl. *Lodovici* hic et alibi.

(y) Al. *Mutelum.*

(z) Compl. *provocatus. Mortuus autem.*

(a) Compl *Gemitius.*

De Rege Iacobo, et filiis eius, et magnalibus eiusdem.

CAP. V.

Mortuo Rege Petro, filius eius Iacobus adhuc parvulus fuerat à patre Simonis Comitis Montisfortis custodiæ deputatus, et eius filiæ desponsatus; sed quia in bello [b] Mureli idem Simon Regi Petro dederat causam mortis, Sedes Apostolica sic providit, ut Infans suis naturalibus redderetur, et per Petrum Beneventanum Sanctæ Mariæ in Acquiro diaconum Cardinalem fuit Rex Iacobus suis fidelibus restitutus, hæc omnia venerabili Hispano [c] Socobiensi Episcopo sollicite procurante, et in propriis sumptibus personaliter laborante. Cumque iam ad annos adolescentiæ pervenisset, Alienor filiam Aldefonsi Regis nobilis ex Castella, quam pater dimiserat domicellam, duxit uxorem, et genuit ex ea filium qui dicitur Alde-

(b) Tol. *Murelii.*

(c) Tol. *Sercobricensi.*

Digitized by Google

defonsus, sed postea per venerabilem Ioannem Apostolicæ Sedis Episcopum Cardinalem fuerunt iudicio Ecclesiæ separati, eo quod sibi consanguinitatis linea [d] attingebat, filio tamen per eundem legatum legitimato. Rex vero Iacobus æmulatione magna contendens parentum magnalia superare, cœpit terras Arabum infestare, et cepit oppidum quod dicitur Burriana, multis aliis castris et villis Arabum occupatis. Postea vero magno navigio congregato ex omni litore regni sui, Baleares insulas est aggressus, et Maioricam caput regni, civitatem nobilem, maximam et potentem, impugnatione diutina fatigatam, Rege et incolis pæne cæsis, suo dominio subiugavit, licet de suis multi [e] ceciderunt bellis variis intercepti. Obtentis etiam Eviza et Minorica, relictis defensoribus, in Aragoniam cisfretavit. Nec unius regni acquisitione contentus, regnum Valentiæ, quod multis munitionibus præeminebat, adiit confidenter, et longis concertationibus civitas infestata invicto Regi se victam tradidit et subiectam: nec se credens Rex invictus aliquid peregisse, dum agendum aliquid remanebat, [f] et invadens ceteras urbes regni, tamdiu incursibus et cædibus regni incolas coarctavit, donec urbes, castra, et fere omnia municipia regni Valentiæ Regi inclito reddiderunt, ut iam tranquillitate suis regnis undique procurata, et omnibus adversariis iam obtentis, non habeat quibus moveat ex se guerram. Hic (ut diximus) à prima uxore per Ecclesiam separatus, duxit aliam nomine Iolesam filiam Andreæ Regis Ungariæ, et Iolesæ Reginæ quæ fuit filia Petri Imperatoris, et Iolesæ Imperatricis Constantinopolitanensis, qui erant de genere Regum Francorum; et ex hac uxore suscepit filiam nomine Iolesam, quam dedit uxorem domino Aldefonso primogenito Regis Fernandi, qui Castellæ, Toleto, Legioni, Gallæciæ, Cordubæ, Lusitaniæ, et Murciæ principatur. Suscepit autem ex eadem alios filios parvulos, quibus Dominus benedicat, et deinceps dirigat vias eius.

(d) Al. *attinebant*: ita etiam legit Compl.

(e) Al. et Compl. *ceciderint*.

(f) Tol. et Compl. *nisi evinceret ceteras*.

De matrimonio Regis Ferdinandi cum sorore Veremundi, et de morte Sancii Regis.

CAP. VI.

Nunc ad Regis Sancii et filiorum eius historiam revertamur. Itaque Rex Sancius, dictus Maior, patriæ finibus dilatatis, et pace inter filios ordinata, contra Veremundum Regem Legionis arma commovit, et de regno eius loca plurima acquisivit. Hic Sancius, dum quadam die se in venationis studio recrearet, aprum secutus, contigit in civitate olim nobili, tunc deserta, quæ Palentia dicebatur, cryptam in forma Ecclesiæ invenire, et altare in honorem Sancti Antonini Martyris adhuc extans. Ad quam cum aper fugiens advenisset, et Rex, vibrato venabulo, feram in crypta occidere voluisset, divino percussus miraculo, quod proposuit, non potuit adimplere; obriguit enim brachium eius dextrum, et sic aper illæsus evasit. Rex autem conver-

Digitized by Google

sus ad preces beati Martyris Antonini suffragium imploravit, et illico (g) restitutus, iussit civitatem (h) diruptam reparari, et super cryptam Ecclesiam ædificari, et procuravit ibidem Episcopum consecrari, et totam civitatem cum omnibus terminis et pleno dominio Episcopo et Ecclesiæ donatione obtulit liberali, villas et possessiones alias superaddens, quibus adhuc hodie gaudet Ecclesia Palentina. Magnates autem detrimentum patriæ attendentes, Regem Veremundum suasione et consilio induxerunt, ut sororem suam Sanciam, valde pulchram virginem, daret Fernando filio Regis Sancii in uxorem, qui et consensit, et à partibus veniens Gallæciæ, regales nuptias in magnis copiis et muneribus celebravit. Tunc Rex Sancius, dictus Maior, quidquid acceperat ultra Pisoricam, Fernando filio suo dedit (i) et Senciæ nurui cum beneplacito Veremundi. Post hæc Garsias qui Navarris Rex fuerat assignatus, causa voti beatorum Apostolorum Petri et Pauli limina visitavit, et eo peregre sic agente, Rex Sancius pater eius, plenus dierum, vitæ terminum consummavit, cum regnasset annis triginta quinque. Obiit au-
Ær. 1053. tem Æra MLIII, quem suus filius Rex Fernandus, regalibus exequiis celebratis, in Ovetensi monasterio sepelivit.

(g) Tol. et Al. *destitutus.*
(h) Compl. *dirutam.*
(i) Tol. et Al. *Sancius nurui.*

De victoria Regis Garsiæ contra Regem Ranimirum.

CAP. VII.

Interea Ranimirus cui pater in Aragonia partem dederat, confœderatus Regibus Cæsaraugustæ, Tudeliæ, atque Oscæ, contra fratrem suum Regem Garsiam indebite conspiravit. Qui cum, peracto voto, Roma rediisset, invenit Ranimirum fratrem suum iam Regis nomine superbire, et super (j) Tafaliam, exercitum congregasse. Sed Rex Garsias, cum esset strenuus et magnanimus, Ranimiro occurrit, et insultu turbatum fugæ reliquit; adeo enim improvisus advenit, quod Ranimiro et exercitui ad arma non licuit convolare: immo Ranimirus solis pannis lineis circumtectus, nudis pedibus in equum prosiliit, equum non freno dirigens, sed capistro. Sicque peracta cæde tam in Reges qui auxiliatores venerant, quam in exercitum Ranimiri, occupatis tentoriis et supellectilibus utrorumque, Rex Garsias victor (k) recedit, et quidquid Ranimirus à patre habuerat, præter (l) Suparve et ripam Gurciam, Rex Garsias strenue occupavit.

(j) Al. *Thephaliam.*
(k) Compl. *resedit.*
(l) Al. *præter superarue et ripagureiam.* Tol. vero legit *ripam Gutriam.*

De morte Regis Veremundi.

CAP. VIII.

Porro est orta discordia inter Regem Fernandum qui Castellæ, et Veremundum qui præerat Legioni. Causa autem discordiæ ista fuit. Cum Aldefonsus pater Veremundi adhuc puer regnare cœpisset, Rex Sancius à flumine Ceiæ versus Castellam omnia occupavit. Sed cum (ut dictum est) Fernandus Regis filius Sancii sororem Regis Veremundi duxerat in uxorem, terram illam quæ in controversia habebatur, pacifice possidebat, eo quod si-

Digitized by Google

sibi et uxori fuerat à Veremundo libere derelicta tempore matrimonii celebrati. Mortuo autem Rege Sancio, Veremundus præteritæ iniuriæ reminiscens, pacta quæ fecerat, non servavit, et partem quam sponte sorori dimiserat, [m] voluit vindicare. Quod percipiens Rex Fernandus, adscito Garsia fratre suo Rege Navarræ, contra Regem Veremundum qui cum toto potentiæ suæ exercitu [n] veniebat, iuxta fluvium Carrionis occurrit: ibique exercitus congredientes, adinvicem pluribus cædibus se læserunt. Et Rex Veremundus de velocitate et fortitudine equi præsumens, et ipse acer, per cuneos militares imperterritus se iniecit, ut Regem Fernandum posset impetere gladio speciali. Sed Rex Garsias et Rex Fernandus, non minori ferocia pertinaces, ex adverso viriliter resistebant, et dum Rex Veremundus equi impetu traheretur, confossus lancea, in terram cecidit, expers victoriæ, simul et vitæ. Multi etiam de suis militibus post eius impetum concurrentes inibi ceciderunt, et eodem momento vita [o] et dominio caruerunt. Corpus autem Regis Veremundi Legionem delatum, cum uxore sua Tarasia est sepultum.

(m) Tol. *sororio.* Al. *voluit sororio.* Compl. *sponte sororio dimiserat, et sorori voluit vendicare.*

(n) Compl. et Al. *veniebat in vallem Tamaronis, advenit iuxta fluvium Carrionis: ibique.*

(o) Compl. *et domino caruerunt.*

De unione regnorum Castellæ et Legionis, et de filiis Regis Fernandi.

CAP. IX.

Ær. 1054. Post hæc autem Æra MLIIII, cum regnum Legionis ad Regem Fernandum ratione uxoris suæ Sanciæ pertineret, (non enim alius heres supererat) congregato exercitu, Rex Fernandus impetivit Legionem. Et quamvis propter Veremundi mortem cœpissent [p] indigenæ aliquantulum rebellare, tamen de facili obtinuit civitatem, eo quod nondum erat post destructionem Arabum firmiter reparata. Et ingrediens Legionem, in Regem ab omnibus est receptus, et regali diademate decimo calendas Iulii à venerabili [q] Servando Legionensi Episcopo insignitus, et regnavit annis XL, mensibus VI, et sic regnorum schismata quieverunt. Confirmavit etiam leges Gothicas, et alias addidit quæ spectabant ad regimen populorum. Hic Rex Fernandus, vir bonus, et iustus, ac timens Deum, et strenuus in agendis, ex prædicta Sancia Veremundi sorore genuit Urracam primogenitam, ornatam moribus et decore, antequam regni fastigium obtineret. Postea genuit Sancium, postea Geloiram, postea Aldefonsum, postea Garsiam. Hos filios fecit instrui liberalibus disciplinis, adultos vero, militaribus studiis assuetos, incursiones et prœlia indidit frequentare, filias autem in devotione erudiri præcepit et studiis feminarum.

(p) Tol. et Al. *indigne.*

(q) Al. *Synando.*

De discordia fratrum, et morte Regis Garsiæ.

CAP. X.

Succedentibus autem prosperis Fernando, frater eius Garsias Rex Navarrorum, cum esset magnanimus et superioris impatiens, de fratris successibus torquebatur; cumque eum contigisset apud Ana-

Digitized by Google

garum ægrotare, et Rex Fernandus venisset ad eum gratia visitandi, inique cogitans Rex Garsias, eum proposuit retinere. Sed cum consilium patuisset, Rex Fernandus, Dei gratia liberatus, exivit oppidum, et ad propria remeavit. Paucis autem diebus interpositis, Regem Fernandum accidit infirmari. Cumque ad visitandum Rex Garsias modo simili advenisset, ut scelus præteritum expiaret, quod in innoxium cogitavit, ipse noxius est perpessus, et captus à Rege Fernando, custodiendus Ceiæ deputatur. Sed paucis diebus elapsis, promissione suasis custodibus, solvitur, et suæ patriæ restitutus, cœpit vindictam totis viribus procurare; et congregato exercitu tam suorum, quam Ruchonum, Vasconum, et Maurorum, ad fratris iniuriam properavit. Cumque post transitum montis Aucæ consedisset in loco qui dicitur Ataporca, Rex Fernandus veniens ex adverso, per legatos pacem humiliter postulavit, ut contenti suis pace perpetua lætarentur. Quod Rex Garsias renuens, nuncios, comminando gravia, [r] inhonorios à se misit. Cumque iam belli periculum immineret, magnates et milites regni sui ad ipsum communiter accesserunt humiliter supplicantes, ut eis et ablata restitueret, et leges patrias confirmaret. Cum enim præcelleret strenuitate corporis, et virium magnitudine super omnes, adeo ut omnibus præemineret, crudeli superbia grassabatur, et possessiones militum infiscabat, et iura patria immutabat. Ipse autem solis viribus autumans prævalere, petitiones militum refutavit, ne videretur annuere ex timore. Tunc duo milites quorum bona proscripserat, naturale debitum abnegantes, se in adversarium transtulerunt. Ad hoc nutricius eius, qui eum ab infantia nutrierat, vir prudens, et bonus, strenuus, et fidelis, sinceris lacrimis consulebat, ut et petitis annueret, et sibi suorum animos complanaret. Rex vero animo induratus, neutris satisfecit. Tunc ille nutricius inquit: "Intelligo »quod hodie victus et inglorius »morieris, sed ego præmoriar, ne »te videam morientem quem tan»to studio enutrivi." Cumque se exercitus circumspicerent, et ad certamen undique properarent, ille nutricius, depositis clypeo et galea et lorica, pannis dumtaxat usualibus circumtectus, sola lancea et gladio comitatus, morti in prima acie se obiecit, ne alumni et gentis excidii esset testis. Cumque mutuis cædibus hinc inde exercitus se impeterent, cœpit prævalere exercitus Castellanus, eo quod numero et potentia excedebat, et Rex Garsias suorum animos non habebat. Tunc quidam milites qui fuerant ex familia Veremundi, et noctu collem qui Navarrorum exercitui imminebat, clanculo occuparant, Regis Garsiæ acies cum duobus militibus qui ab eo recesserant, impetu irrumpentes, ad Regis aciem pervenerunt, et alter militum qui ab eo recesserat, dicitur eum lancea perfodisse: ex quo ictu in terram cecidit Rex Garsias, et duo magnates qui cum eo aderant, inibi ceciderunt. Cumque Rex Fernandus, fratre occiso, et fugato exercitu, de-

(r) Tol. et Al. *inhonoros ad se misit.*

Digitized by Google

de victoria lætaretur, pietatis non immemor, præcepit suis ne fugientes læderent Christianos; tamen Sarraceni qui aderant, pro maiori parte captivitate et gladio perierunt. Tunc Rex Fernandus præcepit corpus Regis Garsiæ honorifice Anagarum deportari, et in monasterio Sanctæ Mariæ quod ipse construxerat, et donariis plurimis adornaverat, sepeliri.

De monarchia Regis Fernandi, et de acquisitione Portugalliæ, et divisione Regnorum.

CAP. XI.

Igitur Rex Fernandus non minus de Dei gratia, quam de victoria gloriosus, regnum fratris obtinuit sine mora, factus Monarchus Hispaniæ ulterioris, scilicet Gallæciæ, Asturiarum, Legionis, et Castellæ, Anagari, et Iberi; terra autem Navarræ inter Iberum et Pyrenæum remansit Sancio filio Regis Garsiæ, qui fuit occisus in Pennaleni, et Aragonia cum Ripagurtia Ranimiro. Cumque (s) in tranquillitate secura gauderet, congregato exercitu, processit, ut Portugalliam et Lusitaniam occuparet, quas tunc temporis Arabes detinebant. Et primo ingressu, cæsis pluribus, cepit Senam, eo pacto ut incolæ remanerent, et essent subditi sub tributo. Inde Viseum veniens, obsedit eam; sed quia civitas multis sagittariis abundabat, Rex, exploratis ingressibus civitatis, præcepit urbis ianuas ab armatis et fortibus observari, et propter sagittarum instantiam præcepit asseres clypeis superponi, ne impugnantes à sagittariis læderentur, et duplex lignum sagittarum impetus hebetaret. Cumque civitatem fortiter et continue impugnaret (t) Viseorum, coactam obtinuit, et habitatoribus captivatis et interfectis, diripientibus dedit manus, repertusque fuit ille sagittarius, qui in alia obsidione socerum suum interfecerat Aldefonsum, eumque captum fecit Rex oculis, et manibus, et pede altero mutilari. Indeque procedens, pervenit Lamecum, et quamvis civitas loci difficultate inexpugnabilis videretur, tamen castris ligneis et diversis machinis coarctata, in continenti capitur, incolis et opibus occupatis, et partem habitantium interfecit, partem ad resarciendas Ecclesias (u) diruptas reservavit. His itaque munitionibus occupatis, proposuit (x) Coimbriam, maiorem illius patriæ civitatem, cum Dei adiutorio impugnare, et ad petendum cœleste subsidium Ecclesiam beati Iacobi visitavit; et implorato per triduum divinæ auxilio maiestatis, beati Apostoli oraculo confortatus, contra Coimbriam exercitum congregavit, ubi fixis tentoriis, circumquaque machinas et castra lignea elevavit. Sed quia civitas fortitudine et magnitudine præeminebat, obsidionem contigit diutius protelari. Erant autem sub Arabum potestate monachi religiosi in loco arcto, qui Loruanum adhuc hodie appellatur. Hi laboribus manuum insistentes, thesauros frumenti, hordei, et milii, et siliginis, ignorantibus Arabibus, conservarant, hæc omnia proprio victui subtrahentes. Verum quia protracta obsidio victualibus in-

(s) Tol. et Compl. *tranquilla securitate gauderet.*

(t) Compl. *vi suorum coactam.*

(u) Compl. habet hic et sæpissime *dirutas.*

(x) Compl. hic et alibi legit *Conimbriam.*

Digitized by Google

indigebat, de recessu ab omnibus tractabatur. Sed audientes monachi, occurrunt, et quæ à longis temporibus conservarant, Regi et obsidioni liberaliter obtulerunt. Et his victualibus exercitus confortatus, longanimis est effectus, et cibis refocillati, impugnationi urbis de die in diem virilius institerunt, donec obsessi, fame et pugna coacti, elanguidis animis marcuerunt. Verum Christianis viriliter insistentibus, et machinis undique quassantibus, auxilio Dei et beati Iacobi interventu murus irrumpitur civitatis. Quo viso, Arabes consternati, civitatem et opes Fernando Principi obtulerunt, pro vita tantummodo supplicantes, quod Regis clementia acceptavit, et die Dominica hora tertia invicto Principi civitatis dominium reddiderunt. Eo tempore fertur vir Græculus ex Hierosolyma causa peregrinationis ad Ecclesiam Sancti Iacobi advenisse, qui in devotione pernoctans, audivit indigenas enarrare, [y] beatum Iacobum ut militem in Christianorum prœliis apparere, sed ipse licet devotus Apostolo, prædicabat non militem, sed piscatorem; cumque in tali pertinacia permaneret, revelatione divina meruit intueri equum splendore conspicuum Apostolo præsentatum, et armorum insignibus decoratum, obsidentibus Coimbriam subvenire. Et peregrinus, de quo diximus, visione huius certus factus, et diem et horam captionis Coimbriæ in Ecclesia Apostoli publice prædicavit, et sicut ipse prædixit, sic postea rei veritas patefecit, et sic remansit terra citra Mondaicum fluvium christianæ fidei acquisita. Commisit autem custodiam illius patriæ Sisenando, qui olim exul, adhæserat Abenadab Regi Agarenorum, et suæ merito probitatis fuit in eius oculis gratiosus, qui bella et vastationes exercuit contra Christicolas Lusitaniam et Portugalliam habitantes, iam nunc reconciliatus Principi Ferdinando, fuit restitutus gratiæ et honori. Rex vero Ferdinandus pro triumpho gratias agens, Ecclesiam beati Iacobi visitavit, et oblatis donariis, ad propria est reversus; et cœpit bonis actibus abundare, et toto tempore vitæ suæ ab infestationibus Arabum non cessavit: et timens ne post mortem eius de regno filii decertarent, ipse vivens, regnum divisit, et dedit Sancio primogenito à flumine Pisorica Castellam, Anagarum, et Iberum: et dedit Aldefonso Legionem, Asturias, et Transmeram usque ad flumen quod dicitur Ove, Astoricam, et partem Camporum qui Gothici nuncupantur, et Berizum usque in villam [z] in monte qui dicitur Ezebredus: dedit Urracæ et Geloiræ filiabus Zemoram et Taurum: Garsiæ dedit [a] Gallæciam cum ea parte quæ dicitur [b] Portugale.

(y) In Tol. MS. deest *beatum Iacobum.*

(z) Compl. *Ux in monte.*

(a) Compl. *totam Gallæciam.*

(b) Compl. et Al. *Portucale.*

De vastatione regni Toleti, et de translatione reliquiarum in regnum suum.

CAP. XII.

Post hæc apud Legionem curia celebrata, direxit acies contra Mauros, et quædam castra Christianis infesta victrici gloria subiugavit, vi-

videlicet Gormatium, Vadum Regis, Aquilariam, [c] Valericanam, (quæ nunc Berlanga dicitur) Ripam Sancti Iusti, Sanctam Emerentianam, Gormicis; et turres multas speculatorum (quas nunc dicimus Atalaias) per quas Christianorum introitus nudabatur, in valle [d] Borgecorrexi et in loco qui nunc dicitur Caracena usque ad Medinam Cœli, solo diruptas adæquavit. Inde ad loca Cantabriæ properans, expulsis Mauris, montana Aucæ et [e] Ioniæ suæ subdidit ditioni. Inde firmans propositum versus Toletum, Talamanticam, Gualdalfaiariam, Alcala, [f] Maieritum, cetera loca dominii Toletani sic cæde et incendio devastavit, ut Rex Toleti suorum clamoribus concitatus, et munera dedit, et iuramento promisit, tributa annis singulis se daturum. Postea adeo Regem Hispalis infestavit, ut corpus beati Isidori permitteret inde levari, quod à duobus Episcopis, Alvito Legionensi et Ordonio Astoricensi, multis miraculis coruscantibus, translatum est ab Hispali Legionem. Aliqui dicunt corpus beatæ Iustæ cum corpore beati Isidori tunc translatum. Sed quia nostris temporibus corpora Sanctarum Iustæ et Rufinæ revelatione ostensa per Petrum Fernandi nobilem Principem sunt translata ad regale monasterium prope Burgis, ego nolo, sed diffiniat, qui præsumit. Verum Rex Fernandus Ecclesiam honorificam fecit construi, et in honore eiusdem Sancti Isidori dedicari, quam auro et argento et lapidibus pretiosis et cortinis sericis decoravit, et eandem Ecclesiam vespere et mane, nocturnisque horis, et sacrificii tempore frequentabat, interdum cum clericis in Dei laudibus modulando, interdum etiam vices cantoris explebat. Cumque sepulturam in monasterio Sancti Facundi aut Sancti Petri de Aslantia eligere decrevisset, uxoris suæ Reginæ Sanciæ precibus inclinatus, Legione in Ecclesia quam construxerat, elegit sibi et coniugi et successoribus sepulturas, et etiam ab uxore suasus, Regem Sancium patrem suum à monasterio [g] Ovetensi ad eandem transtulit sepulturam. Ad instantiam etiam Legionensium Zemoram nobilem civitatem, quam Almanzor olim diruerat, reparavit. Postea cum civitas Abulensis longis temporibus diruta remansisset, Rex Fernandus ab ea corpora Sanctorum Martyrum Vincentii, Sabinæ, et Christetæ dicitur transtulisse. Sed quia aliqui dicunt ea esse Abulæ, alii in monasterio Sancti Petri de Aslantia, alii corpus Sancti Vicentii Legione, alii corpus Christetæ Palentiæ, dubium pro certo asserere non præsumo. Constituit etiam, ut in toto regno Legionensi leges Gothicæ servarentur.

[c] Compl. *Valeranicam.*

[d] Compl. *Borgecorexi.*

[e] Compl. et Al. *Oniæ.*

[f] Tol. *Maioritum.*

[g] Compl. et Tol. legunt *Oniensi* pro *Ovetensi.*

De religiosis actibus Regis Fernandi, et morte eius, et uxoris illius.

CAP. XIII.

Hic itaque Rex Fernandus iam senectute confectus, vitam suam bonis operibus et Deo placitis dedicavit. Ecclesias regni sui, et præcipue Sancti Iacobi, Sancti Salvatoris, Sancti Isidori, et Cathedra-

Digitized by Google

dralem Ecclesiam Legionis possessionibus et donariis inclitavit; monasteriorum etiam indigentiam de suis facultatibus sublevabat. Cum vero quadam die in Cathedrali Ecclesia Legionis audiret divina, vidit ministros Ecclesiæ causa familiaris inopiæ nudis pedibus ministrare, et statim certos reditus ad calceamenta instituit ministrorum. Cæterum cum ad Sancti Facundi monasterium veniebat, cibis eorum contentus, pari ordine et consortio quasi unus ex eis, et divinis officiis insistebat, et cibariis regularibus utebatur. Cumque oblatum vas vitreum de manu Abbatis, ad mensam residens, suscepisset, vas decidens de manu Regis illico fractum fuit. Rex vero pro negligentia valde pœnitens, in continenti vas aureum gemmis ornatum fecit afferri, et Abbati offerens, pro vitreo satisfecit. Obtulit insuper Cluniacensi monasterio de regio fisco mille aureos annuatim perpetuo [h] solvendos. Nec minus eo Regina Sancia uxor eius bonis et piis operibus abundabat, et in [i] regimine et bellorum discrimine eius sollertia utilis et sedula apparebat. Cumque Regi Fernando Arabes Celtiberiæ et Carpetaniæ tributa negarent, ipse Rex cum exercitu eos aggrediens, et vastationibus infestavit, et pristinæ restituit servituti. Sed iam vitæ sibi termino imminente, apparuit ei beatus Isidorus, et diem sui obitus intimavit; et cum cœpisset post modicum infirmari, fecit se Legionem abduci, et nono calendas Ianuarii, die sabbati, ingressus est civitatem, et ex more corpora Sanctorum flexis genibus adoravit, petens et supplicans, ut cum dies obitus iam instaret, anima eius ab Angelis duceretur. In ipsa autem nocte nativitatis Dominicæ, licet æger, ipse Rex cum clericis interfuit matutinis, concinens, ut infirmitas tolerabat, et observabatur ibi tunc temporis officium Toletanum. Facto autem die, vocatis Episcopis, fecit sibi Missam sollemniter celebrari, et percepit corporis et sanguinis Domini sacramentum. In crastino autem, vocatis Episcopis et Abbatibus et viris religiosis, una cum eis fecit ad Ecclesiam se deferri, et imposito capiti diademate, et indutus regalibus indumentis, coram sarcophago Sancti Isidori clamavit ad Dominum voce clara: "Tua *1. Par. 29. 12.*
»est potentia, tuum est regnum »Domine, tu es super omnes Re»ges, tuo imperio omnia sunt sub»iecta: quod te donante accepi, »restituo tibi regnum, tantum ani»mam meam in æterna luce iu»beas collocari." Et his dictis, exutus regalibus ornamentis pro venia exorabat, et recepta ab Episcopis pœnitentia et gratia ultimæ unctionis, indutus cilicio, et conspersus cinere, duobus diebus in pœnitentia atque lacrimis supervixit. Tertia autem feria, hora sexta, in festo Sancti Ioannis Evangelistæ, plenus dierum, reddidit Deo spiritum immaculatum, et iuxta patrem suum in eadem Ecclesia Sancti Isidori est sepultus. Regnaverat autem, vivente patre, annis XII: in Castella, mortuo patre, annos XII: in Castella et Legione annis XVI: in universo annis XL, mensibus VI, diebus [j] II. Regina autem Sancia uxor

(h) Compl. *persolvendos.*

(i) Compl. *regni regimine.*

(j) Compl. et Al. *XII.*

uxor eius supervixit duobus annis, et obiit sexto idus Novembris, et sepulta est iuxta eum.

De discordia fratrum, et qualiter vicit Sancius Aldefonsum.

CAP. XIIII.

Post mortem itaque Regis optimi Fernandi tres filii eius et duæ filiæ remanserunt, Sancius, Aldefonsus, Garsias, Urraca, et Geloira. Sed licet ipse regnum filiis divisisset, et partem suam unicuique assignavisset, quia omnis potestas impatiens est consortis, et quia Reges Hispaniæ à feroci Gothorum sanguine contraxerunt, ne maiores aliquem velint parem, nec minores superiorem, sæpius inter Gothos regalia funera fraterno sanguine maduerunt. Rex itaque Sancius, Castellæ et Navarræ finibus non contentus, inhumanitatis Gothicæ successor et heres, et sanguinem fratrum sitire, et ad eorum regna cœpit cupidus anhelare, ut nihil fratribus vel sororibus de iis quæ pater dederat, remaneret, sed solus totum ambitiosus haberet. Unde contigit, et cædes varias provenire, et sanguinem innoxium sæpe fundi. Pater vero eorum attendens filii Aldefonsi plus quam ceterorum modestiam,[(k)] Urracam et Geloiram filias [(l)] commendarat. Cum esset vero Urraca sollers et provida, Aldefonsus ei tanquam matri in omnibus deferebat, et eius consilio se regebat.

(k) Compl. ei *Urracam.*
(l) Al. *commendavit.*

De pugna fratrum, et transitu Aldefonsi ad Regem Toleti.

CAP. XV.

Sancius vero qui erat primogenitus, cœpit regnare Æra MXCV, Ær.1095.
et sex annis regnavit. Hic regna fratrum sibi voluit vindicare, et primo incursu cœpit Aldefonsum, qui erat medius, infestare. Dum autem Rex Sancius contra fratrem exercitum congregasset, ille veniens ex adverso, occursu opposito se obiecit, et in loco qui [(m)] Plantaca dicitur, sunt congressi; et Domino disponente, qui Sancium extollebat, ut lapsu rueret graviori, Rex Sancius fugavit fratrem et exercitum Legionis, et de utroque exercitu plurimi ceciderunt, et quod Arabes consueverant sustinere, fraterno gladio in se verso, Christiani miseri pertulerunt, victusque in prœlio Aldefonsus abiit Legionem. Iterum autem diem constituunt ad pugnandum tali pacto, ut victus victori regnum cederet sine pugna. Cumque in loco qui Vulpecularia dicitur, convenissent, iuxta ripam fluminis Carrionis, ex utraque parte pluribus bello cæsis, demum Rex Sancius fuit victus, et cum fugæ dubiæ se dedisset, Rex Aldefonsus volens parcere Christianis, præcepit ut nullus præsumeret persequi fugientes. Erat autem cum Rege Sancio miles strenuus, dictus Rodericus Didaci Campiator. Hic Regem suum devictum animans, persuasit, ut quoad posset, fugientem exercitum revocaret, et in aurora Legionensibus et Gallæcis improvidis adveniret: gens

(m) Al. *Plantata.*

R enim

Digitized by Google

enim illa consuevit in prosperis se iactare, et alios deridere, in adversis fortiter comminari. Unde nocturnis confabulationibus fatigati, circa mane fortius dormierunt, et irruente exercitu Regis Sancii, sunt præventi, et multis captis, aliisque cæsis, ceterisque fugatis, Rex etiam Aldefonsus capitur in Ecclesia beatæ Virginis, quæ est in præsidio Carrionis, et Burgis ducitur captivatus. Tandem procurante Petro Assurii Comite cum consilio Urracæ sororis, ea conditione educitur, ut in monasterio Sanctorum Facundi et Primitivi monachali habitu vestiretur. Cumque hoc totum Rex Sancius acceptasset, Rex Aldefonsus, non proposito, sed timore sumpsit habitum monachalem. Verum procurato consilio cum Petro Assurii Comite, fugit noctu, et Toletum veniens, ab [n] Almenone Rege inibi dominante sollemniter est receptus, et multis muneribus honoratus. Et Rex Toleti, interposito iuramento securitatis, sibi præstitit cautionem, et in ipso atrio regio domos et mansionem congruam fabricavit, ut Rex Aldefonsus extra strepitum civitatis cum suis Christianis commodius habitaret, et iuxta regale viridarium, ut recreationem reciperet, quando vellet. Erant autem cum eo tres fratres, viri nobiles et fideles, videlicet Petrus Assurii, Gundisalvus Assurii, et Fernandus Assurii, quos Urraca Regina fratris sui Regis Aldefonsi custodiæ et consilio deputarat. Et Almenon in eo gratias tot invenit, quod eum quasi filium diligebat. Ipse vero pro Almenone contra vicinos Reges Arabum bella utiliter exercebat, et pacis tempore per montana et ripas fluminum venationibus intendebat.

(n) Al. *Almenone.*

De venationibus et prognosticis Aldefonsi.

CAP. XVI.

Verum tunc temporis inter condensa arborum et in humore fontium ripa [o] Teviniæ ursis et apris et aliis bestiis abundabat, et ipse ascendens per alveum, locum sibi placidum, qui nunc Brioca dicitur, adinvenit. Cumque sibi castellum et loci amœnitas et venationis copia placuisset, reversus Toletum, à Rege postulans impetravit, et collocatis ibi montariis et venatoribus christianis, remansit locus suæ subditus ditioni; et pauculos Christianos, gnaros venandi et officii sagittandi, ibi accolas collocavit, quorum successio ibi mansit usque ad tempora Ioannis tertii Archiepiscopi Toletani, qui locum ipsum habitatoribus ampliavit, et vicum parochiæ Sancti Petri, quasi suburbium, populavit. Quadam autem die cum Almenone descendit in viridarium gratia spatiandi, et cum eis turba Arabum circumsedit, et prospiciens cominus civitatem, cœpit altius cogitare, qualiter posset tanta civitas restitui Christianis. Verum cum [p] consessu diutino fatigati, per viridarium ambularent, Rex Aldefonsus sub una [q] arbore decubuit recreandus, et eo somnium simulante, Rex Almenon cum suis Arabibus loquebatur, si posset tam fortis civitas virtute aliqua expugna-

(o) Compl. *Teniniæ.*

(p) Tol. *consessu divino.*

(q) Compl. *arborum decubuit.*

gnari. Cui quispiam sic respondit: "Si per septem annos huic urbi »fruges et vindemiæ auferrentur, »deficientibus victualibus, posset »capi." Quod Aldefonsus audiens, corde intimo conservavit. Iterum quadam die, cum Aldefonsus iuxta Almenonem causa solatii considerct, cœperunt erigi capilli verticis Aldefonsi, et Almenon cœpit comprimere manu sua; sed capilli tanto amplius cœperunt erigi, quanto amplius premebantur. Et sapientes Arabum hoc notantes, suaserunt Regi ut interficeret Aldefonsum, quia prognosticum hoc signabat ipsum ad urbis dominium elevandum. Almenon vero noluit fœdus promissæ fidei violare, sed iurare petiit, ne, eo vivente, sui regni terminos infestaret, et Rex Aldefonsus spontaneus Almenoni hoc iuravit. Eo itaque Toleti degente, Urraca Regina præsensit, quod Rex Sancius frater eius intendebat, eam iis quæ pater sibi dederat, spoliare. Zemorenses vero Regis Aldefonsi exilium æquanimiter non ferentes, (r) Ariam Gundisalvi, virum nobilem et potentem, qui Urracam Reginam nutrierat, in Principem elegerunt, ut eo duce resisterent Castellanis.

(r) Tol. et Al. *Arriam Gundisalvi.*

Qualiter regna fratrum Rex Sancius occupavit.

CAP. XVII.

Sed Rex Sancius, ex Castellæ et Navarræ partibus exercitu congregato, Legionem advenit, et eam, licet modicum infestatam, ut victor invasit, et cetera quæ Regis Aldefonsi fuerant ditionis, et sibi trium regnorum imposuit diadema. Et cum Rex Sancius circa huiusmodi moraretur, Rex Garsias in suos tyrannide grassabatur, et vilis ab omnibus et à suis etiam habebatur, et contra fratrem bella, licet segniter intentabat. Habebat autem quemdam (s) vernulam causa familiaris secreti plus debito sibi carum, cuius delationibus contra milites et Barones aures credulas adhibebat, et licet sæpius supplicassent, ut à se prædictum vernulam removeret, discessum eius nullatenus voluit sustinere. Et ipsi reputantes dedecus et iacturam, quia eius delationibus lædebantur, delatorem in eius præsentia occiderunt. In cuius morte se læsum reputans, et confusum illatum dedecus sæpe obiiciens, omnes suos cœpit affligere indistincte, districte comminans, se indignationi suæ nullum terminum positurum. Sui autem minarum pericula pavescentes, et illatum dedecus recolentes, ab eius dominio, prout poterant, discedebant. Occupatis vero Legione et Asturiis, Rex Sancius vultum versus Gallæciam obfirmavit. Gallæcis autem turbatione, quam diximus, in vota divisis, Rex Sancius de facili, quod optabat, obtinuit. Interim autem Rex Garsias, assumptis secum trecentis militibus, ivit ad Agarenos, et nisus est suadere, ut secum contra fratrem suum exercitum destinarent, regnum fratris et suum eis pollicens se daturum. Cui taliter responderunt: "Cum Rex esses, regnum »tibi servare minime potuisti: quo»modo ergo perditum nobis dabis?"

(s) Compl. hic et infra legi. *vernulum.*

Honoratum tamen muneribus, sed despectum ad Christianorum patriam remiserunt: qui duplici confusione contritus, cœpit provincias infestare, et in Portugallia se receptans, loca plurima occupavit. Cui occurrens Rex Sancius frater eius in loco qui Sancta Irenæa dicitur, ambo fraternas acies ordinarunt, et inito prœlio, victus Garsias, regno perdito, captivatur, et apud Lunam vinculis et custodiæ mancipatur.

De obsidione Zamoræ, et Sancii Regis morte.

CAP. XVIII.

Occupatis itaque fratrum regnis, terram [t] sororum voluit etiam occupare, indignans sororibus, eo quod Aldefonso fugitivo et exuli condolebant; et ditionis suæ phalangibus conglobatis, urbem aggressus est Zamorensem, et obsidione conclusam cœpit fortiter impugnare. Sed Arias Gundisalvi, [u] de quo diximus, et obsessi alii viriliter resistebant, nec obsessor obtinere potuit quod optabat. Cumque utrimque certamina agerentur, [x] miles quidam ex civitate egrediens, qui dicebatur Bellidius Athaulphi, Regem per castra deambulantem lancea petiit incunctanter, et festinatione qua venerat, se restituit civitati. Verum Rodericus Didaci Campiator zelo domini interfecti eum prosequitur sine mora, et fere in ipsa urbis ianua [y] interfecit, sed velocitatem Bellidii non potuit prævenire. Rex autem Sancius privatus habitis et ambitis, recepto vulnere, vita caruit atque regnis, et in exercitu turbatione non modica excitata, [z] inter obsessores conflictus etiam intervenit: et alii diversa fugæ pericula attentantes, alii per devia deviantes, in captivitatis et mortis supplicia inciderunt. Castellani autem quorum constantia audaci consilio semper fulsit, corpus Principis in sarcophago egregie locaverunt, et commercio lugubri et resonis planctibus subsequentes, ad [a] Oviense monasterium detulerunt, ubi expletis [b] exequiis, sepulturæ [c] honore regio tradiderunt.

(t) Tol. *suorum voluit.*

(u) Al. *de quo diximus, obsessioni viriliter resistebat, nec obsessor.*

(x) Tol. et Al. habent *et miles.*

(y) Al. *interfecisset.*

(z) Compl. *inter obsessos et obsessores.*

(a) Tol. et Compl. *Oniense.*

(b) Compl. *planctus exequiis.*

(c) Al. *more regio.*

De recessu Aldefonsi ab Almenone, et reditu in terram suam.

CAP. XIX.

Celebratis vero exequiis, Castellani et Navarri Burgis pariter convenerunt, et quia Rex Sancius decesserat expers prolis, Castellani et Navarri fidelitatis innatæ semper memores, Aldefonsum qui à facie fratris Toletum confugerat, in Regem et dominum concorditer elegerunt tali pacto, ut prius ab eo reciperent iuramentum, quod Rex Sancius de eius conscientia non fuerat interfectus: et eidem electos nuncios clanculo destinaverunt. Urraca etiam Regina, Legionensium et Zemorensium curia congregata, et eorum recepto consilio, ad fratrem suum Aldefonsum quem præ ceteris diligebat, et Toleti tunc temporis morabatur, nuncios destinavit, ut accelararet accipere regna fratrum. Et præcepit nunciis, ut hoc consilium secretissimum haberent, ne revela-

Digitized by Google

latio in Regis periculum verteretur. Sed viri diabolici, qui nunc dicuntur initiati, et solebant Arabibus Christianorum proposita denudare, Regis Sancii morte comperta, nunciare Arabibus percurrerunt. Sed Petrus Assurii vir discretus, et in lingua Arabica eruditus, et pro rumoribus patriæ curiosus, omni die extra Toletum, quasi spatiandi gratia, ad tria milliaria vel amplius equitabat. Et casu accidit quodam vespere, ut inveniret quempiam venientem, qui dixit sibi se ideo advenire, ut Regi Almenoni Regis Sancii interitum nunciaret. Petrus autem duxit eum, quasi causa colloquii, extra viam, quem, amputato capite, interfecit: et ad viam rediens, et paulisper procedens, invenit alium rumore et causa simili venientem, quem excidio simili decollavit, sed via alia aliis venientibus, secretum non latuit Almenonem. Petro vero Assurii gressu tertio procedente, Urracæ Reginæ nuncius supervenit, qui, ut facta fuerant omnia, nunciavit; et ille festinus Toletum rediens, cœpit, Aldefonso inscio, itineri necessaria præparare. Cumque die altero Castellanorum nuncius advenisset, et Regi negotium indicasset, ipse et Petrus Assurii [d] dubitabant, ne si Almenoni nuncium revelarent, Regem caperet, et pacta gravia postularet: vel si celarent, et ipse alias posset scire, hostilius desæviret. Et dum ipsi tali dubio tenerentur, Rex Aldefonsus confidens [e] in Domino, sic respondit: "Honorifice me recepit, et necessaria liberaliter ministravit, et ut filium me tractavit, quomodo eum celare potero quæ mihi Dominus fecit? Et accedens ad eum, quod per nuncios acceperat, revelavit. Almenon autem hæc omnia iam sciebat, et omnium viarum transitus fecerat diligentissime observari, ut si, eo inscio, vellet abire, ab observatoribus caperetur. Cumque audisset quæ dixerat Aldefonsus, factus hilaris sic respondit: "Gratias ago Deo altissimo, qui me ab infamia liberare, et te à periculo voluit custodire; si enim, me inscio, aufugisses, captionem aut mortem nullatenus evasisses. Nunc autem vade, et accipe regnum tuum, et de meo accipe aurum, argentum, equos, et arma, quibus possis tuorum animos complanare." Cumque inter eos multa amicabiliter tractarentur, inter cetera hoc exegit, ut Rex Aldefonsus iuramentum sibi et filio suo primogenito, quod de securitate fecerat, innovaret, et cum necessitas immineret, contra vicinos Arabes adiuvaret. Et ipse et filius primogenitus Aldefonso se fœdere simili obligarunt. Erat autem minor filius de cuius fœdere nil dixerunt, nec Aldefonsus fuit ei in aliquo obligatus. His peractis, Almenon cum maioribus gentis suæ usque ad montem de Velatome Aldefonso regaliter comitato dedit munera et pecunias, [f] quibus Aldefonsus Rex inclitus, dicto vale, in summitate montium ab eis discessit, et suis feliciter redonatur.

(d) Compl. *cum suis fratribus dubitabant.*

(e) Al. *in Domino, ait.*

(f) Compl. *quibus inclitus, dicto vale, in summitate montium ab invicem discesserunt; et Aldefonsus suis feliciter redonatur.*

De

De sublimatione Aldefonsi in Regem, et de uxoribus et filiabus eius.

CAP. XX.

Veniens itaque Zemoram cum Regina Urraca, quæ erat prudens et piis operibus dedicata, habito consilio diligenti, cœpit in operibus iustitiæ exerceri. Castellani etiam et Navarri ad ipsum illico convenerunt, et ante omnia iuramentum (ut diximus) exegerunt, quod non fuerat conscius mortis Regis Sancii fratris sui. Sed cum nemo vellet ab eo recipere iuramentum, ad recipiendum se obtulit solus Rodericus Didaci Campiator. Unde et postea licét strenuus, non fuit in eius oculis gratiosus. Et Rex Aldefonsus, obtento regno quod perdiderat, et etiam regnis fratrum, omnibus acclamantibus *Vivat, vivat*, omnes ei communiter iuraverunt, et ac-
Ær.1101. cepit imperii diadema Æra MCI. Triginta annorum et septem mensium erat, cum regnare cœpisset, et regnavit quadraginta tribus annis. Hic habuit quinque uxores successive legitimo matrimonio sibi iunctas. Prima fuit Agnes: secunda Constantia, ex qua suscepit filiam nomine Urracam, quæ fuit uxor Comitis Raimundi, de qua ipse Raimundus genuit Sanciam et Aldefonsum qui fuit postea Imperator: tertia Berta ex Tuscia oriunda: quarta Elisabet, ex qua genuit Sanciam quæ fuit uxor Comitis Roderici, et Geloiram quam duxit Rogerius Rex Siciliæ. Hic Rogerius fuit frater Roberti Guiscardi, et filius Tancredi de Altavilla, qui veniens à Normania, Siciliam et Apuliam et Calabriam et Capuam occupavit. Quinta Beatrix ex partibus Gallicanis. Habuit etiam aliam uxorem quæ [g] Ceida, postea Maria fuit dicta. Habuit etiam duas nobiles concubinas, una dicebatur Semena Munionis, ex qua genuit Geloiram quæ fuit uxor Raimundi Comitis Tolosani, et ex illo Comite genuit Aldefonsum Iordanis, qui sic dictus, eo quod fuerit in Iordanis flumine baptizatus. Ipsa enim cum viro in Syriam transfretavit tempore illo quo exercitus ille magnus procedens ex partibus Galliarum, isto Raimundo Comite duce ac prævio cum Episcopo [h] Aviciensi, Ierusalem, Tripolim, et Antiochiam acquisivit, hortante, et personaliter in Galliis et Italia prædicante beatissimo Urbano Papa secundo, qui primus [i] instituit euntes in subsidium Terræ sanctæ in dextro humero crucis signaculo insigniri. Et [j] ex eadem Semena Munionis genuit aliam filiam quæ Tarasia dicta fuit, quam duxit Comes Enricus ex partibus [k] Bisontinis congermanus Raimundi Comitis (patris Imperatoris) ex qua suscepit idem Enricus Aldefonsum qui fuit postea Rex Portugalliæ.

(g) Compl. in margine habet *Seida quæ postea Maria, mutato nomine, fuit dicta.*

(h) Compl. in margine *Ausciensi.*

(i) Tol. et Al. *substituit.*

(j) Tol. *eadem.*

(k) Compl. *Bisontinis.*

De virtutibus Aldefonsi.

CAP. XXI.

Nunc ad gestorum eius principia redeamus. Hic fuit strenuitate maxima nobilis, virtute excelsus, gloria singularis, abundavit in diebus eius iustitia, finem accepit servitus, consolationem lacrimæ, augmen-

mentum fides, dilatationem patria, audaciam populus, confusus est inimicus, (l) obmutuit gladius, cessavit Arabs, timuit Afer, ploratus et ululatus Hispaniæ usque ad istum mansit absque consolatore, dextera eius præsidium patriæ, munimentum absque timore, fortitudo sine perturbatione, protectio pauperum, virtus magnatum: magnitudo cordis eius infra angustias Asturiarum non potuit contineri, et elegit laborem individuum comitem vitæ suæ, delicias miseriam reputabat, et belli dubia experiri delectabile et iucundum, id deperditum reputans vitæ suæ, in quo belli pericula non agebat. Rex accrescens Aldefonsus magnanimus, Rex accrescens sedit (m) in forti, arcus eius confisus in Domino invenit gratiam in oculis creatoris, magnificavit eum in timore inimicorum, et in populo suo elegit eum zelare fidem, dilatare regnum, exterminare inimicos, concludere adversarios, multiplicare Ecclesias, restaurare sancta, restituere dissipata. Cumque (ut diximus) Almenoni et filio primogenito fœdere teneretur, eum iuxta fœdus adiuvit in omnibus, quoad vixit. Et cum Rex Cordubensis regnum Almenonis invadere conaretur, Rex Aldefonsus contra eum pro fœderis debito properavit. Cumque adventum eius Almenon audivisset, (n) timuit eum in sui dispendium advenire. Sed Rex Aldefonsus nunciavit eidem, quod in eius auxilium veniebat, propter pacta quæ olim præcesserant inter eos. Tunc Almenon occurrit ei cum actionibus gratiarum, et ambo intrantes fines Cordubæ, omnia cædibus et incendiis vastaverunt, et actis prædis, uterque ad propria feliciter est reversus; nec præsumpsit Rex Cordubensis regnum Toleti amplius infestare. Tunc, mortua Agnete, duxit uxorem nomine Constantiam ex partibus Galliarum, cuius superius fecimus mentionem.

(l) Tol. et Al. *obtinuit gladius.*

(m) Tol. non habet *in forti.*

(n) Compl. et Al. *timuit, veniens eum.*

De obsidione et captione civitatis Toletanæ.

CAP. XXII.

Mortuo autem (o) Almenone, et filio suo Issem primogenito, de quo diximus sicut patri fuit semper propitius et adiutor, ipso mortuo, secundus filius Almenon (p) Hiaie dictus, post fratrem in regno substituitur Toletano, qui à viis fratris et patris (q) nimis aberrans, cœpit in seniores et populum (r) insolere, quos tot angariis et perangariis convexabat, ut mortem vitæ præferrent, alias ignominiosus, inutilis, et imbellis. Almenon autem pater suus Regi dederat Aldefonso quædam municipia, Canales et Ulmos, in quibus, cum ipse veniebat in adiutorio Almenon, infirmos et debiles collocabat. Cumque (ut diximus) Toletani à suo Principe præmerentur, et à vicinis gentibus vexarentur, et Rex eorum de eorum miseriis non curaret, coniurati insimul, Regi dixerunt: "Populi et patriæ te exhibe protectorem, aut quæremus alium defensorem." Hiaie autem captus luxuriis, dicta dicentium parvipendit. Tunc ipsi pressi dominio et cladibus vicinorum, Regi Aldefonso nuncios de-

(o) Compl. sæpe legit *Almemune.*

(p) Al. *Hyahye.*

(q) Tol. *minus.*

(r) Tol. et Al. non habent *insolere.*

Digitized by Google

(t) Tol. antequam eius.

destinarunt, (t) antiquam eius notitiam attendentes, et auxilia impensa fideliter recolentes, et ei per nuncios supplicaverunt, ut civitatem, quamvis inexpugnabilem, obsideret, ut coacti pugna, colorem excusationis haberent, cum ei traderent civitatem. Cumque ipse illi Regi nullo fœdere teneretur, civium oblatione suscepta, congregavit exercitum ex omnibus partibus regni sui, et fruges et vindemias devastavit per totum territorium Toletanum, et per quatuor annos id ipsum intulit successive. Et licet civitas cunctas superet sui opulentia civitates, tamen tot annorum vastatione continua non potuit victualibus non carere. Et Rex Aldefonsus id ipsum percipiens, congregato exercitu infinito,

O *Obsedit secura suum Castella Toletum,*
P *Castra sibi septena parans, aditumque recludens.*
P *Rupibus alta licet, amploque situ populosa,*
I *Circundante Tago, rerum virtute referta,*
D *Victu victa carens, invicto se dedit hosti.*
A *Huic Medina Cœlim, Talavera, Conimbria plaudat.*
C *Abula, Secobia, Salmantica, Publica Septem,*
A *Cauria, Cauca, Colar, Iscar, Medina, Canales,*
P *Ulmus, et Ulmetum, (t) Magerit, Atentia, Ripa,*
T *Osoma cum Fluvio lapidum, Valeranica, Maura,*
A (u) *Ascalona, Fita, Consocra, Maqueda, Butracum*
Victori sine fine suo (x) *modulantur ovantes:*
Aldefonse, tui resonent super astra triumphi.

(t) Compl. Magit.
(u) Compl. Escalona.
(x) Compl. modulentur.

Æ. 1123.
(y) Al. XXI.

Cepit itaque Toletum Æra MC (y) XXIII, multis pactionibus interpositis, videlicet ut Sarraceni haberent plene et integre domos et possessiones et omnia quæ habebant, et Regi remaneret præsidium civitatis cum viridario ultra pontem: reditus autem qui antiquo iure dabantur Regibus, ei persolverent Agareni, et etiam quod maior Mezquita eis in perpetuum remaneret. Sicque Rex adepto præsidio et civitatis dominio, mansit ibidem pro civitatis tuitione, magno periculo se exponens. Fuit autem capta in die Urbani Papæ et Martyris octavo calendas Iunii, vicesimo anno regni sui; et quia de eius (z) retentione dubium adhuc erat, distulerunt electionem Pontificis in futurum. Tunc Rex in urbe regia statuit thronum suum, donec securum præsidium stabiliret, et gentem fidei confirmaret, et electionis populus prævaleret.

(z) Tol. et Al. intentione.

De dote Ecclesiæ Toletanæ.

CAP. XXIII.

Videns autem Rex quod Deus prospera indulgebat, convocavit regni proceres, et maiores, Episcopos, et Abbates, et viros religiosos, et quinto decimo calendas Ianuarii omnes in urbe regia convenerunt, et habito diligenti tractatu, dominum Bernardum, virum re-

Digitized by Google

religionis et prudentiæ, communiter et concorditer in Archiepiscopum elegerunt, et Rex in continenti dotavit Ecclesiam liberaliter et honeste, et dedit ei Briocam quam sibi retinuerat à tempore Almenonis, Barciles, Cabannas de Sagra, [a] Covera, Rodiellas, Alcoleia sub Talavera, Azecbuch quæ nunc dicitur Melgar, [b] Almonecir, Alpobrega; et in civitate omnes stationes quas vulgariter tendas vocamus, necnon domos, molendina, furnos, viridaria, vineas, et hortos, pro quibus hodie eius memoriam et exequias veneratur Ecclesia Toletana, et multa alia privilegia dedit immunitatis.

Quod Mezquita Maurorum facta est Ecclesia Christianorum.

CAP. XXIIII.

Et quia adhuc littera Gothica, et translatio Psalterii, et officium Missæ institutum ab Isidoro et Leandro [c] Pontificibus, quod cum translatione et littera dicitur Toletanum, per totam Hispaniam servabantur, ad instantiam uxoris suæ Reginæ Constantiæ quæ erat de partibus Galliarum, misit Romam ad Gregorium Papam septimum, ut in Hispaniis, omisso Toletano, Romanum seu Gallicanum officium servaretur. Bernardus autem, Toletanæ Ecclesiæ electus, fuit de [d] Agenensi territorio oriundus, scilicet de oppido Salvitatis. Hic cum fuisset ab infantia litteratus, omisso clericatu, militiæ se adscripsit, et postmodum infirmitate coactus, in monasterio Sancti Aurentii Auxitani, beati Benedicti regulæ, sumpto habitu, se dicavit: exinde vocatus ab Hugone Cluniacensi Abbate, cum eo laudabilem egit vitam. Deinde cum Rex Aldefonsus vellet Sanctorum Facundi et Primitivi, ex ea causa quam diximus, monasterium ampliare, [e] mittit ad venerabilem Hugonem Cluniacensem Abbatem, ut ei virum providum et religiosum mitteret, qui in prædicto monasterio Sanctorum Facundi et Primitivi Abbatis officio fungeretur; et sicut in Galliis illud monasterium præcellebat, ita et istud omnibus monasteriis eiusdem ordinis in Hispaniis præsideret. Prædictus autem Abbas Cluniacensis Bernardum quem ob sanctitatis meritum carum habebat, cum aliis monachis destinavit. Qui mox veniens, factus Abbas, omnibus se exhibuit amabilem et benignum, adeo quod cum Deus omnipotens Toletum Christianæ restituit potestati, mox ipse post modicum intervallum fuit electus in Archiepiscopum et Primatem. Cumque Rex ad partes Legionis ivisset, ipse electus, Regina Constantia hortante, [f] adscitis militibus christianis, maiorem Mezquitam ingressus est Toletanam, et eliminata spurcitia Mahometi, erexit altaria fidei christianæ, et in maiori turri campanas ad convocationem fidelium collocavit. Quod cum ad Regis notitiam pervenisset, indignatus animo, et dolore accensus, eo quod Sarracenis pactum firmaverat de Mezquita, à Sancto Facundo tribus diebus venit Toletum, proponens Bernardum electum et Reginam Constantiam

(a) Compl. et Al. *Covexa.*

(b) Al. *Almonaus.*

(c) In Compl. deest *Pontificibus.*

(d) Al. *Agerenensi.*

(e) Compl. et Al. *misit ad venerabilem.*

(f) Tol. et Compl. *de nocte ascitis.*

Digitized by Google

tiam incendio concremare. Cumque tanti furoris indignatio ad notitiam Toletanorum Arabum pervenisset, maiores et minores cum parvulis et uxoribus in pago qui Magam dicitur, Regi obviam exierunt. Cumque Rex ad eorum multitudinem pervenisset, existimans eos causa querelæ venisse, sic respondit: "Non vobis iniuria facta "fuit, sed mihi, cuius fides fuit ha"ctenus illibata; sed iam de cetero "de fide non potero me iactare: mea "autem intererit, et vobis satis"facere, et in præsumptores acrius "vindicare." Arabes autem, ut erant prudentes, elevatis vocibus, et flexis poplitibus, cum lacrimis audientiam postularunt. Tunc Rex aliquantum substitit, tenens equum, et Arabes in hunc modum perorare cœperunt: "Bene novimus, "quod Archiepiscopus dux et Prin"ceps est legis vestræ, et si causa "fuerimus necis eius, ob zelum fi"dei Christiani nos percutient una "die, et si Regina perierit causa "nostri, semini eius erimus per"petuo odiosi, et post dies tuos "acrius vindicabunt. Unde peti"mus, ut parcas eis, et nos vo"luntarie te absolvimus à fœdere "iuramenti." His auditis, ira Regis [(g)] in gaudium commutatur, eo quod Mezquitam habere poterat sine fidei læsione, et ingressus urbem regiam, omnia pacifice pertractavit.

(g) Al. compescuit.

De commutatione Officii Toletani.

CAP. XXV.

Gregorius autem septimus de quo diximus, ad petitionem Regis Aldefonsi misit quemdam Ricardum, Abbatem Sancti Victoris Marsiliensis, ut Ecclesias Hispaniæ, tot persecutionibus perturbatas, ecclesiastico moderamine ordinaret. Qui minus religiose officium peragens, cœpit [(h)] irregularius se habere. Quod attendens Toletanus electus, per maris et terræ pericula se Romani Pontificis conspectui præsentavit, et Gregorio septimo viam universæ carnis ingresso, invenit Urbanum secundum in Sede Apostolica substitutum. A quo gratanter et benigne susceptus, consecrationem, pallium, et privilegium obtinuit, et Primas institutus Hispaniarum, Apostolicæ Sedis benedictione suscepta, et per Tolosam rediens, ibidem cum Episcopis Gothicæ Galliæ et Narbonensi Archiepiscopo Concilium celebravit. [(i)] Inde per Pyrenæum in Hispanias transiens, omnium Ecclesiarum Hispaniæ curam gessit, et statuto die, in festo scilicet Sanctorum Crispini et Crispiniani, octavo calendas Novembris, in honore beatæ Mariæ semper Virginis, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et Sanctæ Crucis, et beati Stephani Protomartyris, Toletanam Ecclesiam, convocatis Episcopis, dedicavit, et in maiori altari multas et pretiosas reliquias, quas à Sede Apostolica attulerat, et quas Rex et Regina de suis et patrum suorum thesauris obtulerant, collocavit, quorum hodie beneficiis lætatur populus christianus. Verum quia Ricardus legatus se gerebat in aliquibus minus caute, religione et auctoritate compescuit atten-

(h) Al. irregulariter.

(i) Tol. et Al. Ideo per.

Digitized by Google

tentata, adeo quod ille Ricardus legatione privatus, fuit ab Urbano Pontifice Summo revocatus. Verum ante revocationem clerus et populus totius Hispaniæ [j] turbatur, eo quod Gallicanum officium suscipere à legato et Principe cogebantur; et statuto die, Rege, Primate, legato, cleri et populi maxima multitudine congregatis, fuit diutius altercatum, clero, militia, et populo firmiter resistentibus, ne officium mutaretur, Rege, à Regina suaso, contrarium minis et terroribus intonante. Ad hoc ultimo res pervenit, militari pertinacia decernente, ut hæc dissensio duelli certamine sedaretur. Cumque duo milites fuissent electi, unus à Rege, qui pro officio Gallicano, alter à militia et populis, qui pro Toletano pariter decertarent, miles Regis illico victus fuit, populis exultantibus, quod victor erat miles officii Toletani. Sed Rex adeo fuit à Regina Constantia stimulatus, quod à proposito non discessit, duellum iudicans ius non esse. Miles autem qui pugnaverat pro officio Toletano, fuit de domo Matantiæ prope Pisoricam, cuius hodie genus extat. Cumque super hoc magna seditio in militia et populo oriretur, demum placuit, ut liber officii Toletani, et liber officii Gallicani in magna ignis congerie ponerentur. Et indicto omnibus ieiunio à Primate, legato, et clero, et oratione ab omnibus devote peracta, igne consumitur liber officii Gallicani, et prosiliit super omnes flammas incendii, cunctis videntibus et Dominum laudantibus, liber officii Toletani, illæsus omnino [k] et à combustione incendii alienus. Sed cum Rex esset magnanimus, et suæ voluntatis pertinax executor, nec miraculo territus, nec supplicatione suasus, voluit inclinari, sed mortis supplicia et direptionem minitans resistentibus, præcepit ut Gallicanum officium in omnibus regni sui finibus servaretur. Et tunc, cunctis flentibus et dolentibus, inolevit proverbium: *Quo volunt Reges, vadunt leges.* Et ex tunc Gallicanum officium tam in Psalterio, quam in aliis numquam ante susceptum, fuit in Hispaniis observatum, licet in aliquibus monasteriis fuerit aliquanto tempore custoditum, et etiam translatio Psalterii in plurimis Ecclesiis Cathedralibus et monasteriis adhuc hodie recitatur. Ricardo itaque legatione privato, Primas Bernardus cœpit in Hispaniis Ecclesias ordinare.

(j) Compl. *turbatur*.

(k) Tol. et Al. non habent *et*.

De schismate clericorum, et de reditu Primatis, et de bonis viris à Galliis ductis.

CAP. XXVI.

Eisdem diebus sanctissimus Urbanus Papa secundus tactus dolore cordis, eo quod ab Agarenis Hierosolymitana civitas tenebatur, personaliter verbum crucis cœpit prædicare omnibus, sicut superius meminimus nos dixisse. Eius indulgentiis provocatus venerabilis Primas Bernardus de clericis indigenis Toletanam Ecclesiam ordinavit, et assumptis ad viam necessariis, crucis signaculo insignitus, recessit à propria civitate, volens cum exercitu de quo superius di-

diximus, in Syriam transfretare. Cumque vix esset tribus dietis à sede propria elongatus, clerici quos in Ecclesia instituerat, stulte locuti, dixerunt adinvicem, Primatem suum numquam de cetero reversurum. Unde spiritu malignitatis et insipientiæ inflammati, alium electione indebita subrogarunt, et Primatis domesticos eiecerunt, qui gradu concito dominum consequentes, prout factum fuerat, intimarunt. At ille non immerito admiratus, Toletum rediit in auctores sceleris indignatus: quos cum electo suo non tardius degradavit, quam ipsi celeri præcipitio inthronizaverant maledictum; et tollens aliquos de monachis Sancti Facundi in Ecclesia collocavit, ne interim dum rediret, Ecclesia divino officio fraudaretur. Ipse vero, cœpto itinere, Romam ivit. Sed cum ad Sedem Apostolicam pervenisset, prohibuit eum dominus Papa Urbanus, ne procederet, sed in tanta novitate ad sedem propriam remearet, ne Pastoris absentia novella plantatio periculo subiaceret. Cumque eum à voti et crucis proposito absolvisset, ipse per partes rediit Galliarum, ubi eligens de diversis locis viros honestos et litteratos, nec non et iuvenes dociles quos habere potuit, in Hispaniam secum duxit. De Mosaico duxit beatum Giraldum, quem prius Cantorem in Ecclesia Toletana, postea fecit Archiepiscopum Bracarensem. De Bituricis Sanctum Petrum, quem prius Archidiaconum Toletanum, postea fecit Episcopum Oxomensem. De Aginno Bernardum, qui fuit Cantor Ecclesiæ Toletanæ; postea fecit eum Episcopum Seguntinum, postea Archiepiscopum Compostellanum: et de eadem civitate Petrum, qui fuit iuvenis nutritus in Ecclesia Toletana, postea (l) Archidiaconum, postea Episcopum (m) Secobiensem: et alium Petrum, quem fecit Episcopum Palentinensem: et Raimundum, qui fuit oriundus de Salvitate, et fecit eum post beatum Petrum Episcopum Oxomensem, qui postea immediate successit eidem in Ecclesia Toletana: et Hieronymum de partibus Petragoricæ, (n) quem tempore Roderici Campiatoris fecit Episcopum Valentinum, sed in brevi civitate deperdita, cum dominus Bernardus, metropolitanus eius et Primas, in civitate posuit Zamorensi, ut ibi episcopalia exerceret, in qua non dum fuerat nec Episcopus, nec Ecclesia Cathedralis. Duxit etiam de eisdem partibus Bernardum quem post mortem Hieronymi fecit Episcopum in Ecclesia Zemorensi, et iste fuit primus proprius Episcopus Zemorensis.

(l) Tol. et Compl. *Archiepiscopum.*

(m) Tol. *Scobiensem.*

(n) Al. *quoniam.*

De schismate et depositione Burdini.

CAP. XXVII.

Duxit etiam de Lemovicis Burdinum, quem primo fecit Archidiaconum Toletanum, postea Episcopum Coimbriensem, postea Archiepiscopum Bracarensem. Hic erat astutus et versipellis, qui cum vocaretur Burdinus, factus Episcopus, fecit se Mauricium appellari; et immemor fidelitatis et gra-

gratiæ, sanctæ recordationis Urbano Papa secundo viam universæ carnis ingresso, accessit ad Paschalem Papam secundum qui prædicto Urbano fuerat substitutus, et magnum pondus pecuniæ secum portans, promisit domino Paschali Papæ secundo noviter instituto magnam pecuniam se daturum, si remoto Bernardo qui eum creaverat, fieret ipse Pontifex Toletanus. Qui nequitiam eius, in eo quod deliquerat, volens punire, accepit pecuniam, et eum postea petitione frustravit. Cumque eo tempore Ecclesia persecutione gravissima læderetur, eo quod Imperator (o) Otho prædictum Papam captivatum cum Cardinalibus carceri mancipasset, idem Burdinus dolore pecuniæ instimulatus, ad schismaticum Imperatorem accessit, eius famulatui se despondens. Cumque de alio eligendo in Papam Imperator tractaret, attendens Burdini astutiam, mox præcepit eum eligi ad culmen Apostolicæ dignitatis, et factus Papa, immo verius Antipapa, Romam ingreditur imperiali potentia comitatus, et in Ecclesia Sancti Petri ut Papa resedit, et sollemnia celebravit, vocatus Gregorius Papa octavus. Cumque divina gratia adiuvante, Paschalis Papa carcerem evasisset, persecutione coactus, per maritima et Apuliam ferebatur incertus, ibique diu degens ut exul, persecutionem constantissime toleravit, et (p) Caietæ dicitur obiisse. Ibidemque fuit in (q) Papatu Gelasius substitutus, qui scripsit Toletano Primati, sicut in eiusdem Papæ invenitur (r) regesto, epistolam sub his verbis: "Gelasius Episcopus servus servorum „Dei, venerabili fratri Bernardo „Toletano Primati et ceteris Hi„spaniarum Episcopis. Non latere „credimus fraternitatem vestram, „qualiter frater noster Mauricius „Bracarensis Episcopus se iam diu „habuerit, et quomodo Ecclesiam „suam dimiserit, et quomodo Re„gi excommunicato adhæserit. Il„lud etiam, ut opinamur, nostis, „quod à prædecessore nostro san„ctæ memoriæ Paschali Papa in „Concilio excommunicatus sit, et „quod Bracarensi Ecclesiæ sit man„datum, ut Pastorem sibi alium „provideret. Nunc tandem per „Regis tyrannidem post longum „electionis meæ spatium in cubile „sanctæ matris Ecclesiæ se inges„sit. Ideoque fraternitati vestræ „mandamus, ut ad electionem in „Bracarensi Ecclesia faciendam sol„licitudine caritatis debitæ operam „præbeatis: ipsum vero Mauricium „excommunicatum, periurum, et „matris Ecclesiæ constupratorem „ceteris Ecclesiæ filiis publicetis. „Datis Caietæ octavo calendas „Aprilis." Et idem Papa in Gallias navigans, (s) Lugduni decessit, in Pontificatu anni circulo vix expleto: et huic successit Calixtus secundus, qui erat Archiepiscopus Viennensis, frater Raimundi Comitis patris Aldefonsi Imperatoris Hispani. Hic mox, pace formata, debitæ restituitur dignitati, et Burdinum iam ab Imperatore abiectum Sutrii conclusit obsessum, et captum, et depositum, Calabriæ in monasterio Sanctæ Trinitatis de cavea captivitati perpetuæ mancipavit, qui ibi vixit fere usque ad tempora (t) Eugenii Papæ tertii, à

(o) In Tol. legebatur *Henricus*, sed obliteratum est, et in ora habetur *Otho*.

(p) Tol. et Compl. hic et infra *Goyetæ*.

(q) Al. *Papam*.

(r) Al. *registro*.

(s) Al. *Lugdunum*.

(t) Compl. *domini Eugenii*.

Digitized by Google

à quo fuit quartus dominus Alexander. Unde et in secretario palatii Constantiniani hi versus reperiuntur inscripti.

Ecce Calixtus, honor patriæ, decus imperiale,
Nequam Burdinum damnat, pacemque reformat.

Hos inquam prædictos viros litteratos, providos, et honestos Primas Bernardus per Gallias transiens, in Hispaniam secum duxit, et eos in Toletana Ecclesia Canonicos ordinavit. Monachos quos ibi reliquerat, Sancti Facundi monasterio [u] redonavit; et ex eis quos secum duxerat, ut sapiens architectus, fundandis Ecclesiis providit primaria fundamenta, quorum sollers prudentia, et honesta religio causam dotationis et incrementi Ecclesiis præbuerunt, sicut adhuc hodie patet in privilegiis possessionum et libertatum quæ Ecclesiis supradictis ob eorum sanctitatis reverentiam Principes indulserunt.

(u) Tol. et Al. non habent *redonavit.*

De captione Alcalæ et Valentiæ.

CAP. XXVIII.

Cum ergo Primas Bernardus ad sedem propriam rediisset, castro quod dicitur Alcala, vix expugnabili obsidionem paravit, et in colle qui eidem castro [x] imminet, castrum aliud obfirmavit. Demumque fame affecti loci incolæ per devia aufugerunt, relicto castro venerabili Bernardo Primati, quod adhuc hodie in Toletanæ Ecclesiæ possessionibus numeratur. Rex autem Aldefonsus, acquisita iam urbe regia et munita, restauratis oppidis et civitatibus extremorum Dorii, inertiæ inscius, Sarracenorum patrias peragravit, loca munitiora diruens, et plana devastans, adeo quod sibi coegit servire cismarinos Arabes sub tributo. Et cum tanta gloria emineret, in privilegiis quæ personis vel Ecclesiis conferebat, Imperatorem Hesperiæ se vocabat. In diebus eius Rodericus Didaci Campiator, qui ex causa quam diximus, non erat in eius oculis gratiosus, [y] conferta manu consanguineorum et militum aliorum, proposuit per se Arabes infestare. Cumque versus frontariam Aragoniæ pervenisset, congressus cum Rege Petro Aragoniæ, obtinuit contra eum, et etiam vivum cepit, sed continuo manumisit. Et inde procedens, pervenit Valentiam, et obsedit. Cumque ad succursum Valentiæ Buchar Rex Arabum cum exercitu advenisset, inito certamine, obtinuit Rodericus, et Buchar fugit vix vitæ relictus, cæsa tamen ex suis multitudine infinita. Et in continenti civitas se reddidit Roderico, et eam habuit, quoad vixit, et fuit in ea Hieronymus de quo diximus, in Episcopum consecratus à domino Bernardo Primate Archiepiscopo Toletano. Sed postea mortuo Roderico Didaci, fuit civitas iterum ab Arabibus occupata. Corpus autem Roderici Didaci inter insultus Arabum fuit à suis fideliter et strenue deportatum ad monasterium Sancti Petri de [z] Cardigna, ubi hodie etiam quiescit humatum.

(x) Tol. et Al. *immineret.*

(y) Compl. *conferta.*

(z) Al. *Caradigna.*

De

Digitized by Google

De morte Regis Garsiæ, et [a] *sororum eius.*

(a) Tol. et Compl. *sororis eius.*

CAP. XXIX.

His diebus Rex Garsias cœpit in vinculis ægrotare. Quod audiens Rex Aldefonsus, doluit ultra modum, diligebat enim eum, et quia filium non habebat, proposuerat eum substituere successorem; et quam cito Toleto rediit, à vinculis absolvisset, sed verebatur ne cum esset insolens, in regnis rebellia excitaret; unde fecit eum liberiori custodia custodiri, et placita indulgeri. Et cum esset infirmus, et sanguinem minuisset, præcepit Rex ut à vinculis solveretur. [b] Ex quo ipse ait: "Deus noluit, "ut in vita solverer, absolutionem "renuo moriturus, sed rogo, et "mando sororibus meis, ut me "cum compedibus sepeliant Le"gione." Cumque eum ducerent Legionem, prout præceperat, à sororibus et Pontificibus qui convenerant, ibidem regio funere est sepultus, anno decimo sexto regni

Æ. 1117. fratris, Æra MCXVII. Et interfuit etiam Renerius legatus et Romanæ Ecclesiæ Cardinalis; ibidemque celebrato Concilio cum Bernardo Toletano Primate, multa de officiis Ecclesiæ statuerunt, et etiam de cetero omnes scriptores, omissa littera Toletana, quam Gulfilas Gothorum Episcopus adinvenit, Gallicis litteris uterentur. Post hæc obiit Regina Urraca Fernandi, et sepulta est Legione. Post modicum tempus obiit etiam Geloira, quæ cum sorore sua Urraca et patribus Legione habuit sepulturam.

(b) Compl. et Al. *Sed et ipse ait: Ex quo Deus noluit.*

De adventu Arabum, et morte Avenabet.

CAP. XXX.

Mortuis autem uxoribus quas habuerat successive, Agnete scilicet, Constantia, Berta, et Elisabet, duxit Ceidam filiam Avenabeth Principis Hispalensis, quæ postea baptizata, dicta fuit Maria. Hæc, auditis magnalibus Aldefonsi, licet non visum, vehementi tamen desiderio adamavit, adeo ut Christi fidem susciperet, et castra quæ sibi pater dederat, Regis Aldefonsi dominio manciparet. Castra autem quæ viro dedit, sunt ista: Caracuei, Alarcuris, Consocra, Mora, Occania, Aurelia, [c] Uclesium, Opta, Amassatrigo, et Concha. Et suscepit ex ea filium qui Sancius vocabatur, quem Comiti Garsiæ de Capra dederat nutriendum. Et de consilio soceri Avenabet vocavit ab Africa Almoravides, qui in gente Arabum tenebant tunc temporis principatum, ut eorum auxilio uteretur contra Arabes cismarinos. Sed in contrarium res evenit. Nam cum ipsi in magna multitudine cisfretassent, cœperunt Avenabeth gravius infestare, adeo quod eum in quodam prœlio peremerunt; reputabant enim eum, quia filiam et castra Christiano dederat, Christianum. Cumque Vandalutii eorum potentiam perpendissent, adinvicem tractaverunt, quid esset gratius, aut Christianorum porcos, aut camelos Almoravidum custodire, et sectæ suæ zelo commoti, servire Almoravidibus elegerunt. Et ex tunc ultramarini et cismarini sub unius

(c) Al. *Uletiam.*

Digitized by Google

unius Regis regimine servierunt.

De strage Christianorum in Sacraliis, et victoria Aldefonsi in provincia Hispalensi.

CAP. XXXI.

Congregati igitur Agareni cœperunt invadere Christianos, et effusi sunt super terræ faciem ut locustæ; cumque venissent ad locum Castellæ qui Roda dicitur, occurrerunt eis duo Comites, Garsias et Rodericus. Et in congressu interfectis utrimque multis [d] militibus, tamdem succubuit exercitus christianus, et magna captivitate patrata, et locis plurimis concrematis, Agareni cum superbia redierunt. Post hæc Aldefonsus stragem huiusmodi non leviter ferens, iterum exercitum adunavit, occurrens exercitui Agareno, qui cum suo maximo Principe quem Amiramomeninum vocant, ex opposito [e] egressus est. Cumque ambo exercitus in loco qui Sacralia dicitur, concertassent, demum cessit populus christianus; et licet multi de Arabibus periissent, tot et tanti de Christicolis perierunt, quod illius belli strages et memoria quasi in proverbium adhuc extant. Fugatus itaque Rex Aldefonsus, quem tot victoriæ [f] coronaverunt, non fuit tamen animo consternatus, sed resumptis suis, et convocatis de omnibus regnis omnibus convocandis, corde magnifico ad victoriam elevato, eodem anno faciem contra Hispalim obfirmavit; intransque Bœticam, et eam partem Lusitaniæ quæ sibi non suberat, prædis, vastationibus, et incendiis sic omnia devastavit, quod horum fuga, et Agarenorum victoria felici commercio mutarentur. Et licet Amiramomeninus multos haberet cum Comite Garsia Ordonii Christianos, non tamen ausus fuit Regi occurrere venienti. Et Rex Aldefonsus reversus est præda et victoria gloriosus.

(d) Compl. *militibus.*

(e) Compl. *veniebat. Cumque ambo.*

(f) Compl. et Al. *coronarant.*

De obsidione Uclesii, et morte Infantis Sancii.

CAP. XXXII.

Cum itaque post labores et bella plurima Rex Aldefonsus longævus degeret et grandævus, confractus infirmitatibus et ætate, Amiramomeninus qui Hali proprio nomine dicebatur, venit Uclesium obsidere. Sed Rex Aldefonsus (ut diximus) senio et gravedine non permissus, misit Garsiam Comitem cum filio suo Sancio adhuc parvulo, et cum eis magnates et milites regni sui. Cumque prope Uclesium pervenissent, Sarracenorum maxima multitudo quæ iam obsessis Uclesii prævalebat, contra venientes egreditur ad pugnandum, et hinc inde dispositis aciebus, congredi inceperunt, et sicut Domino placuit, pars christiana cœpit virtute Arabum infirmari, et in ea parte ubi Comes cum parvo aderat, cœpit fortius invalere. Cumque quispiam equum cui Infans Sancius insidebat, graviter vulnerasset, Comiti dixit: "Pater, pater, equus cui insideo, "est percussus." Cui Comes: "Præ"stolare, quia te etiam ferient suc"cessive." Et in continenti cecidit equus qui fuerat sauciatus, et Regis

Digitized by Google

gis filio simul cadente, Comes descendit, et inter se et clypeum parvum [g] collocavit, cæde undique perurgente. Ipse vero cum esset strenuus, et clypeo parvum tutabatur, et undique irruentes cædibus repellebat, sed pede ictu gladii amputato, non potuit amplius sustentari, et incubuit super [h] parvum, ut ipse, quam puer, antea cæderetur. Ceteri vero magnates et milites christiani qui mortis periculum evaserunt, fugientes et victi, victoriam effugerunt. Cumque Comes Garsias Fernandi, et Comes Martinus, et alii Comites et magnates ad locum qui nunc Septem Comites dicitur, pervenissent, eos Arabum sequela prævenit. Et septem de magnatibus cum multis aliis ibidem occisis, occisionis locum vocaverunt Arabes Septem porcos, quem postea locum Petrus de Franco Commendator Uclensis, mutato nomine, Septem Comites appellavit. Comites autem et magnates qui fugerant à conflictu, cum Toletum deiectis vultibus advenissent, et Regis præsentiæ astitissent, Rex dolore ineffabili conturbatus, talia dixit eis: «Ubi est filius meus, »iucunditas vitæ meæ, solatium se»nectutis, unicus heres meus?» Ad quod Comes Gometius sic respondit: «Nobis filium quem ex»poscitis, non dedistis.» Cui ille: «Etsi dedi [i] alii, consortes prœ»lii et custodiæ vos adiunxi; et »ille cuius custodiæ specialiter re»putavi, sustinuit, incubuit, et »occubuit super eum, vos autem, »relicto puero, cur venistis?» Tunc Alvarus [j] Fanun, vir strenuus et fidelis, sic dicitur respondisse: «Memores laborum quos ab adole»scentia tolerastis, civitatum, et »oppidorum, patriæ, et castro»rum pro quibus [k] toties sangui»nem effudistis, et quod auxilium »extincto parvo non prodesset, huc »advenimus, ne cum extincto par»vo magnalium [l] vestrorum gloria »extinguatur, si ea quæ à iuventu»te vestra feliciter acquisistis, no»bis perditis, perderentur.» Sed nec sic vis doloris potuit mitigari; quanto enim talia dicebantur, tanto amplius redivivis singultibus memoria filii torquebatur. Tunc autem perdita fuit Concha, Amassatrigo, Opta, Uclesium, Aurelia, Ocania, et Consocra.

(g) Compl. *ut potuit, collocavit.*

(h) Compl. hic, supra, et infra legit *puerum* pro *parvum*: ita etiam Al.

(i) Tol. *aliis.*

(j) Compl. et Tol. *Fani.*

(k) Compl. *totiens.*

(l) Al. *nostrorum gloria.*

Quod Urraca Regis filia datur in matrimonium Regi Aragoniæ Aldefonso.

CAP. XXXIII.

Aliquanto itaque temporis intervallo, videntes Comites et magnates Regem dolore et senio tendere ad defectum, in pago prope Toletum qui Magam dicitur, pariter convenerunt, tractaturi, ut Urraca Regis filia, quæ, mortuo Raimundo Comite viro suo, adhuc vidua permanebat, nuptui traderetur. Et cum inter se aliquandiu tractavissent, demum communi consilio elegerunt, ut Comiti Gomezoni, dicto postea de Campo spinæ, qui erat potior, matrimonio iungeretur. Et quia consilium Regi proponere non audebant, animositatis eius magnificentiam formidantes, quemdam Iudæum, Cidellum nomine, adsciverunt, qui satis erat familiaris Regi propter

Digitized by Google

industriam et scientiam medicinæ; et huic consilium denudantes, mittunt ad Regem, ut quæ tractaverant, nunciaret. Tunc Rex quasi dolore duplici stimulatus, Iudæo tale dicitur dedisse responsum: "Non tibi imputo quod hoc dicere »præsumpsisti, sed mihi, cuius »familiaritate in tantam audaciam »prorrupisti. Cave ergo ne de ce»tero audeas, in mei præsentia »comparere: quod si feceris, illi»co morieris. Mea autem intererit »meæ filiæ, sed non ut postulant, »providere." Hoc audito, recesserunt confusi Comites et magnates. Iisdem diebus Aldefonsum parvulum filium Raimundi Comitis et Urracæ Comes Petrus de Trava in Gallæcia nutriebat. De quo, quia Comes Raimundus non fuerat in Regis oculis gratiosus, quasi eius immemor non curabat, sed vocato Toletano Primate et ceteris Episcopis et Abbatibus regni sui, decrevit cum eis, ut filia eius Urraca Aldefonso Regi Aragoniæ matrimonio iungeretur, et vocato Rege Aragonum, quod decreverant, impleverunt. Nuptiis itaque amara conspersione peractis, Aldefonsus Rex Aragoniæ uxorem suam in Aragoniam secum duxit. Rex autem Aldefonsus, dictus Hesperiæ Imperator, in senectute sua regni pericula sic sedavit, ut nobiles et ignobiles, potentes et impotentes unius legis moderamine regerentur, adeo ut utriusque sexus, quantumlibet imbecillis, per omnes regni semitas incederet sine metu.

De morte Regis Aldefonsi, et miraculoso prognostico mortis eius.

CAP. XXXIIII.

Cumque ei vitæ terminus immineret, fere per annum infirmitate (m) chronica tenebatur, et tamen consilio medicorum quotidie aliquantulum equitabat, ut laboribus assuetus, exercitio foveretur; et quia Deus omnipotens eius opera acceptarat, eius obitum prognostico flebili voluit intimare. Octavo etenim die, in nativitate Sancti Ioannis, hora sexta, de lapidibus qui erant in altaris gradibus cæmentati, non ex terra, vel ex iuncturis, sed ex ipsa substantia lapidum cœpit aqua, cunctis videntibus, emanare, et tribus diebus continue emanavit. Erant autem illis diebus in civitate Petrus Legionensis Episcopus, et Pelagius Ovetensis, qui, audito miraculo, cum universo clero et populo civitatis, induti sacris vestibus, ab Ecclesia Cathedrali usque ad altare Sancti Isidori, ubi hoc acciderat, processerunt, et peracta Missa, et sermone proposito ab Episcopo Ovetensi, ad locum miraculi accesserunt, et ex ipsa aqua Pontifices et ceteri laudantes Dominum cum lacrimis, potaverunt, ignorantes tamen quid portenti novitas præsignaret. Sed morte Regis audita, illico cognoverunt, quod luctus et tribulatio Hispaniæ orphanæ imminebat, quare et duri lapides ploraverunt. Plenus itaque gratiæ et dierum, calendis Iulii, quinta feria clarescente, reliquit luctum populo suo, periculum pa-

(m) Tol. et Compl. cronica.

Digitized by Google

patriæ, gaudium hostibus, lamentum pauperibus, suspiria religiosis. In eius obitu exivit latro, præsumpsit prædo, latuit pauper, conticuit clerus, luit incola, sævit hostis, fugit victoria, crevit fuga, gladius in domesticos efferatur, et patria exterminio præparatur, quolibet, quod bonum erat in suis oculis, faciente. Rege itaque finito exitu glorioso, Primas Bernardus cum magnatibus et aliis qui aderant, viginti dierum exequias celebravit. Sed quia de tuitione civitatis, Rege mortuo, non sperabant, corpus eius ad monasterium Sanctorum Facundi et Primitivi quod ipse ditaverat, detulerunt. Ubi sepultus cum hymnis et laudibus, requiescit. Regnavit autem duobus annis fratre vivente, sed isti anni annis fratris annumerantur: postquam vero Toleto rediit, annis quadraginta, mensibus sex, diebus duodecim, qui cum aliis mensibus fiunt quadraginta unus anni. Sepultus ibidem cum suis uxoribus superius nominatis.

LIBER SEPTIMUS.

De separatione Regis Aragonum, et Reginæ Castellæ.

CAP. I.

Verum Rex Aragonum Aldefonsus, soceri sui audito decessu, mox cum uxore sua [n] Urraca in Castellam, congregato exercitu, properavit, et totam terram, nullis fere resistentibus, eo quod uxori eius successione provenerat, occupavit, quam ut bonus Princeps quiete et pacifice ordinavit, et à Maurorum incursibus viriliter custodivit, et regnum Castellæ tamquam proprium undique dilatavit: et loca deserta restituens, ductis incolis populavit, videlicet Belliforamen, Valeranicam, Soriam, [o] Almazanam. Cumque de uxoris contubernio dubitaret, eo quod consanguinea eius esset, munitiones plurimas [p] regni Castellæ, Castellanis omissis, Aragonensium fidei commendavit, quas eorum aliqui diu fideliter tenuerunt. Hæc autem erat consanguinitas inter eos. Rex Sancius, dictus Maior, fuit pater Fernandi Regis Castellæ, et Ranimiri Aragoniæ primi Regis. Fernandus genuit Aldefonsum qui cepit Toletum. Aldefonsus genuit Urracam Reginam. Ranimirus genuit Sancium qui Oscam obsedit. Sancius autem genuit Aldefonsum qui duxit Urracam. Verum Comes Petrus Assurii à Rege Aldefonso qui cepit Toletum, Reginam Urracam parvulam susceperat nutriendam. Mortuo autem Rege, post patris exequias Regina, ingratitudinis spiritu incitata, terram abstulit Comiti Petro Assurii. Sed Rex Aragonum uxoris ingratitudinem non acceptans, restituit Comiti terram suam, et quia Regina in his et in aliis excedebat, Rex fecit eam in ca-

(n) Compl. *Regina Urraca.*

(o) Al. *Almanazum.* Al. *Almazanan.*

(p) Tol. et Al. *Regis Castellæ.*

castro quod Castellare dicitur, collocari. Regina autem indignanter tolerans custodiri, vocavit milites ex Castella, cum quibus, suasis custodibus sibi datis, reditum obtinuit in Castellam. Sed magnates regni ab ea divortium procuratum nullatenus approbantes, variis tractatibus interpositis, viri gratiæ reddiderunt. Sed tempore procedente, cum Rex intellexisset à suis beneplacitis alienam, Soriam usque eam duxit, ibique repudians, dimisit eam suæ arbitrio voluntatis, et ipsa ad Comitem Petrum Assurii properans, suo consilio se commisit. Tunc celebrata curia, terram petiit ab omnibus Castellanis, quam tamen à Rege Aragoniæ tunc tenebant. Sed ut fidelitatis debitum exposcebat, terram quam tenebant, ei communiter reddiderunt. Cumque sui ad eam ex omnibus regni partibus convenirent indignatione maxima provocati, eo quod Rex Aragonum eam repudiaverat, et in dominio patriæ Aragones præponebat, eiusdem Regis dominium abiecerunt, et munitiones et castra omnia quæ tenebant, Reginæ naturali dominæ reddiderunt. Tunc Comes Petrus Assurii, indutus scarlato, et insidens equo albo, et portans funem in manu, accessit personaliter ad Regem Aragonum in castro quod dicitur Castellare, cui manu et ore hominium fecerat pro terra quam ab eo acceperat in honorem, in plena curia sic proponens: "Terram quam mihi dedistis, Reginæ »restitui cuius erat, meæ dominæ »naturali. Manus autem, os, et »corpus, quæ fecerunt hominium, »vobis offero morte vel dispendio »consumenda." Tunc Rex cum esset aliquantulum iracundus, voluit in continenti sententialiter condemnare, sed suasus à suis, sententiam distulit promulgare. In crastino autem magnates sui in consilio suaserunt, ut tali Principi qui fidelitatem naturali dominæ sic servaverat, et ei corpus et membra ad dispendium offerebat, liberaliter indulgeret: fidelitatem enim utrique (q) domino observarat, prout dominii debitum exposcebat. Et insontem remisit cum muneribus et honore, cuius factum Hispani adhuc hodie imitantur.

(q) Compl. *domino.*

De (r) victoriis Regis Aragoniæ contra Gallæcos et Castellanos, et morte Comitis (s) Gomitii.

(r) Tol. *victoria Aragonensis.*

(s) Tol. *Gomicionis.*

CAP. II.

Castellani autem confestim castra et oppida (t) intentarunt, et sic regnum in discidio constitutum ab utraque parte graviter vexabatur. Interea Comes Gomitius ad Reginæ connubium anhelabat, sicut patris tempore (ut prædiximus) à magnatibus fuerat pertractatum. Sed Regina Urraca clanculo, non legitime, Comiti Gomitio satisfecit. Unde et Comes, quasi de matrimonio iam securus, cœpit agere bella regni, et pro viribus Aragones propulsare, et genuit ex Regina filium furtive, qui dictus fuit Fernandus Furatus. Interim autem quidam Comes Petrus de Lara Reginæ gratiam clandestine (u) procabatur. Quod voluit, impetravit, ut exitus comprobavit. Cumque Regnum discidio et cladi-

(t) Tol. et Al. *intermutarunt.*

(u) Al. *procurabat.*

Digitized by Google

dibus vexaretur, Aldefonsus Rex Aragonum, qui adhuc munitiora loca in Castellæ terminis detinebat, exercitu congregato, Castellæ fines invasit, et Castellani omnes cum Gomitio Comite congregati ei communiter occurrerunt. Cumque utrique in Campo spinæ prope Septempublicam convenissent, Castellani suas acies ordinarunt: primam aciem cum regni vexillo Petro de Lara Comiti concesserunt: in postrema vero fuit Comes Gomitius tamquam maior. Et cum exercitus congredi incepissent, Comes Petrus qui ad Reginæ connubium anhelabat, in primis ictibus, vexillo proiecto, cessit hostibus sine pugna, et venit Burgis, ubi Regina tunc temporis morabatur. Comes autem Gomitius cum ceteris Castellanis bello institit strenue prœliando; sed prævalente Rege Aragoniæ, victus occubuit et occisus. Sed et miles quidam de domo Oleæ qui vexillum Comitis in sua acie præferebat, occiso equo, ad terram cecidit, et amputatis manibus, solis brachiis vexillum tenens, non cessabat, [x] Oleam, Oleam fortiter inclamare. Fugit ergo exercitus Castellanus, multis ex eis cædibus detruncatis, et Castella nuper inclita pro [y] vili commercio prosternitur derelicta. Aragonenses autem de Castellæ victoria elevati, Doriam transeuntes, per campos Gothicos adeunt Legionem, intermedia irruptionibus et incendiis devastantes; et licet incliti essent prædis, tamen cœperunt defectu pecuniæ stipendia minorari. Unde et Rex Aragonum ad Sanctuaria misit manum, et thesauros auri et argenti et pretiosorum lapidum quos Regum et Reginarum devotio dedicaverat, manu sacrilega usurpavit, et etiam possessiones oblatas à Regibus infiscavit. Unde erga Deum et homines cessit ei in scandalum et peccatum: sperabat enim se regna uxoris perpetuo habiturum. Cumque ulterius processisset, Gallæci et Legionenses cum Infante Aldefonso qui (ut diximus) in Gallæcia consistebat, Regi Aragonum occurrerunt inter Astoricam et Legionem, in loco qui dicitur Via anguis, et commisso prœlio, fugatis Legionensibus et Gallæcis, et cæsis pluribus ex utrisque, Rex Aragonum fuit victor, et per partes Castellæ rediens, fautores Petri Comitis devastavit, et eos persequens, in Montione prope Palentiam coarctavit, ubi fugientes se receperant cum Regina, et ex eis ibi aliquos cepit: et sic in Aragoniam rediit triumpho duplici coronatus. Petrus autem Comes de Lara, cum familiare commercium cum Regina indebite propalaret, sperans illud matrimonio confirmare, omnibus præeminebat, et cœpit Regis officium exercere, et quasi dominus omnibus [z] imperitare, sed magnates alii infamiam dominæ non ferentes, cœperunt ei resistere, et matrimonii propositum impedire.

(x) Al. *Oleæ, Oleæ fortiter.*

(y) Al. *vicit dispendio.*

(z) Compl. *imperare.*

[a] *De electione Aldefonsi Regis in Regem.*

(a) Tol. et Compl. *De concordia Regis Aragonensis et Regis Aldefonsi, et de morte Regis Aragonum.*

CAP. III.

Verum timentes ne res ad effectum casu aliquo perveniret, [b] Gometho de Maceneto et Guterrius Fer-

(b) Al. *Gometus de Machometo.* Al. *Gometus Maceneto.*

Fernandi de Castro præ omnibus institerunt, ut Aldefonsum Reginæ filium et Comitis Raimundi, quem à tempore avi in Gallæcia nutriebant, ad regni fastigium evocarent. Qui favore omnium evocatus, in regni solio collocatur, resistente nihilominus sibi matre et Comite Petro de Lara; sed adiutus à suis, Comitem Petrum de Lara à regno expulit, et expulsus, ad asylum Comitis [c] Barcinonæ abiit destitutus. Rex autem matrem suam Reginam Urracam obsedit in turribus Legionis, sed pace inter matrem et filium procurata, retentis quæ Regina voluit, cetera filio resignavit, et intestinis discidiis iam sedatis, cœpit Rex, quamvis iuvenis, potentiam Aragonum attentare, qui adhuc in regno suo potiora loca sub potestatis suæ dominio detentabant. Cumque ex Gallæcia, Legione, Asturiis, et Castella exercitum congregasset, Rex Aragonum ex adverso per partes Anagari cum suo exercitu veniebat. Videntes autem Episcopi et Abbates Castellæ et Aragoniæ, quod ista dissensio posset Arabibus viam dare sicut tempore Roderici, utrique Regi humiliter supplicarunt, ut à prœlio abstinerent, donec de concordia tractaretur. Demum cum esset iunior Rex Aldefonsus, fuit taliter procuratum, ut supplicaret per Episcopos et Abbates Regi Aragonum tamquam patri, ut sibi restitueret regnum suum, et cum de iure non posset, nollet eum de facto privare, quia ipse paratus erat tamquam filius, eum in omnibus adiuvare. Et Rex Aragonum, his auditis, cum esset vir pius et optimus, sic respondit: "Gratias ago Deo vero, qui filio meo tale consilium inspiravit, quia [d] et si antea hoc fecisset, me numquam hostem, sed propitium habuisset, et ecce nunc ex quo [e] petiit gratiam, nihil eorum quæ ad eum pertinent, mihi volo, sed cuncta restituo incunctanter." Mandavit itaque omnibus qui munitiones, castra, et oppida detinebant, ut Regi iuveni privigno suo omnia restituerent sine mora. Et firmata pace concorditer et benigne, uterque exercitus sine belli periculo ad propria remeavit, Aldefonso iuvene Rege in integrum restituto. Verum Rex Aragoniæ audivit ibidem Arabes suis finibus advenisse, et in eorum occursum properans, in loco qui Fraga dicitur, cum Arabibus decertavit, et qui alias [f] semper invictus fuerat, strenuitate Aragonum frigescente, sacrilegii quod Legione commiserat, solvit pœnas: nam victus occiditur, et si occisus inventus fuerit, dubitatur. Ab aliquibus enim dicitur corpus eius in montis Aragonis monasterio tumulatum, à Mauris tamen ante redemptum. Ab aliis dicitur vivus à prœlio evasisse, et confusionem prœlii nequiens tolerare, peregrinum se exhibuit huic mundo, effigie et habitu immutatus. Et annis aliquot interpositis, quispiam se ostendit, qui se eumdem publice fatebatur, et multorum Castellæ et Aragoniæ id ipsum testimonia affirmabant, qui cum eo in utroque regno fuerant familiariter conversati, et ad memoriam reducebant secreta plurima quæ ipse olim cum eis habita recolebat, et antiquorum

rum

(c) Tol. et Compl. *Barchinoniæ.*

(d) Compl. *si et antea.*

(e) Compl. *petit gratiam.*

(f) Compl. et Al. *fere semper.*

Digitized by Google

rum assertio ipsum esse firmiter asserebat. Demum tamen quia eum ex regno plurimi sectabantur, et de die in diem eorum numerus augebatur, Aldefonsus Rex Aragoniæ fecit eum suspendio interire.

De magnalibus Regis Aldefonsi circa principium regni sui.

CAP. IIII.

Aldefonsus autem filius Comitis Raimundi cœpit regnare Æra
Æ. 1146. MCXLVI, et regnavit LI. annis. Mater autem eius regnaverat post mortem Aldefonsi qui cepit Toletum, quattuor annis: et fuit vir bonus, largus, strenuus, mansuetus. Cuius tempora viris optimis, Comitibus, magnatibus, et aliis strenuis [g] militibus abundarunt, cum quibus magna et ardua attentavit, et felici [h] exitu consummavit.

(g) Tol. et Al. *magnatibus.*

(h) Tol. et Al. *exercitu consummavit.*

Circa principium regni sui civitatem Cauriam acquisivit, et in ea per Bernardum Primatem qui eius tempore adhuc erat, dignitatis perditæ insignia reformavit, et Mauros qui in Lusitania habitabant, sæpe et sæpius conculcavit. Interea Bernardus Primas venerandus, ordinatis Ecclesiis provinciæ et primatus, beneplacitis Deo actibus gloriosus, [i] quarto nonas Aprilis, quarto decimo anno regni Imperatoris, defectu naturæ migravit ad Christum, et in Ecclesia quam de Mezquita ad titulum beatæ Virginis consecrarat, obtinuit, cunctis flentibus, sepulturam, acclamantibus universis: "Cur nos „pater deseris desolatos?" Vixit in pontificatu annis quadraginta quattuor. Est autem titulus tumuli sic inscriptus: *Primo Bernardus fuit hic primas venerandus.*

(i) Compl. *tertio nonas Aprilis, tertio decimo anno.*

Huic successit Raimundus Episcopus Oxomensis. Postea Imperator per partes Toleti Mauros aggrediens, Calatravam quæ regnum Toleti graviter infestabat, [j] diu obsessam pugnis et machinis occupavit, et Ecclesiam cum multis possessionibus et decimis regalium redituum domino Raimundo Toletano Primati concessit, et eiusdem villæ iurisdictionis municipia quæ munitionibus præeminebant, quædam retinuit, quædam solo dirupta adæquavit, scilicet [k] Alarcuris, Caracoi, Petrochium, Sanctam Euphemiam, Mestantiam, Alcudiam, Almodovar. Et cum esset irruptione frequenti Mauris infestus, omnia sibi prospere succedebant, et iam Hispaniarum Regem in suis [l] litteris se vocabat.

(j) Tol. habet *et.*

(k) Tol. *Alacuris.*

(l) Tol. et Al. *in suis se vocabat.*

De ortu et genealogia Regum Portugalliæ.

CAP. V.

Verum Comes Enricus de quo diximus quod Rex Aldefonsus Tarasiam filiam ei dederat in uxorem, cum esset vir bonus, iustus, strenuus, timens Deum, cœpit aliquantulum rebellare, non tamen subtraxit hominium toto tempore vitæ suæ; sed à finibus Portugalliæ eiecit, prout potuit, Agarenos, sibi iam specialem vendicans principatum. Hucusque etenim cum gente sua [m] iuxta mandatum ad exercitum et ad curiam veniebat, sed benignitas, immo negligentia Aldefonsi, tamquam consanguineo et affini improvide deferebat. Ipse ve-

(m) Tol. et Al. non habent *iuxta.*

vero Enricus Viseo et Lameco et Portugali sedes restituit Cathedrales, et à Toletano Primate earum Episcopi fuerunt consecrati. Coimbriæ etiam eius tempore fuit Burdinus, de quo diximus, primus Episcopus consecratus. Bracaram etiam quæ variis vastationibus adhuc diruta permanebat, vigili studio restauravit, et per Bernardum Toletanum Primatem fuit dignitati pristinæ restituta. In ea enim Sanctum Giraldum Toletanum Cantorem, de quo diximus, in Archiepiscopum consecravit. Comes autem Enricus ad petitionem uxoris suæ Tarasiæ quæ Regina, quia Regis filia, dicebatur, terræ suæ civitates singulis Episcopis donationis titulo assignavit, præter Coimbriam quæ apud eos tunc temporis ut urbs regia habebatur. Hic Enricus genuit ex Tarasia Aldefonsum qui, mortuo patre, successit in principatu, et à principio Dux Portugalliæ dicebatur. Hic duxit uxorem Mafaldam filiam Comitis Maurienæ, ex qua suscepit filium Sancium et Urracam quæ fuit postea uxor Fernandi Regis Legionensis, et genuit ex ea filium Aldefonsum de cuius genere post dicemus, et aliam filiam quæ Tarasia dicebatur, et nupsit Philippo Comiti Flandriæ et [n] Hannoniæ, et fuit mortua sine prole. Filius eius Sancius duxit uxorem nomine Dulcem, filiam Raimundi Comitis Barcinonæ et Urracæ [o] Aragonensis, et suscepit ex ea filios, Aldefonsum qui ei successit in regno, et habuit uxorem Urracam filiam Regis Castellæ nobilis Aldefonsi, et genuit ex ea filios, Sancium Regem Portugalliæ successorem, qui etiam adhuc regnat: habuit secundum filium Aldefonsum qui duxit uxorem Matillam nomine de partibus Franciæ [p] Boloniæ Comitissam, et per eam habet hodie Comitatum. Habuit etiam tertium filium nomine Fredinandum qui in Castella duxit uxorem Sanciam filiam Comitis Fredinandi. Habuit etiam filiam Alienor quæ nupsit Regi Daciæ, et ibi fuit mortua sine prole. Rex autem Sancius de quo diximus, præter Aldefonsum cuius generatio iam est dicta, filium habuit alium nomine Petrum. Hic duxit uxorem filiam Argmengaudi Comitis Urgellensis, quæ expers prolis vitam finivit. Habuit et alium filium Ferdinandum qui duxit uxorem Flandriæ Comitissam, et antequam prolem susciperet, vitam finivit. Habuit et aliam filiam Tarasiam nomine, quæ Aldefonso Regi Legionensi fuit incestuoso contubernio copulata, ex quo suscepit filium nomine Fernandum, et filias Sanciam atque Dulcem, et Fernando et Sancia iam defunctis, Dulcis remanet nondum nupta.

(n) Compl. *Hanovi.*

(o) Compl. *Reginæ Aragonensis.*

(p) Tol. et Al. *Babyloniæ.*

De [q] insignibus præliorum Regis Portugalliæ Aldefonsi.

(q) Compl. et Al. *insigniis.*

CAP. VI.

Nunc contexta generatione Principum Portugalliæ, ad Aldefonsum Ducem de quo cœpimus, revertamur. Hic Aldefonsus fuit strenuus et pertinax in agendis. Hic primus in Portugallia sibi imposuit nomen Regis, cum pater eius

Digitized by Google

eius Comes, et ipse Dux antea dicerentur; et ab Eugenio Papa tertio, cui regnum suum constituit censuale, multa privilegia et indulgentias impetravit. Hic apud Coimbriam construxit monasterium Sanctæ Crucis, quod donariis et possessionibus multis [r] ditavit. Construxit et aliud monasterium quod Alcobatia nominatur, quod multis dotavit possessionibus, et ditavit. Cepit Sanctam Irenæam, Sintriam, et [s] Ulysbonam, Elboram, et Alanquellum. Multa etiam loca quæ patriæ utilitas exposcebat, et muris firmavit, et diu deserta, noviter populavit. Habuit bellum cum Fernando Rege Legionis, in quo fuit victus et captus, sed clementia adversarii suis protinus redonatus. Propria autem morte decessit, sepultus Coimbriæ in monasterio Sanctæ Crucis. Cui successit filius eius Sancius de quo diximus, vir magnæ prudentiæ, et strenuus in agendis. Contra Mauros plurima bella gessit, et Sylvam nobilem civitatem animosus obsedit, et adventantibus ex [t] Flandria plurimis bellatoribus, demum cepit, et in ea pontificalem cathedram elevavit; sed postea incursu Arabum [u] veniente, remansit primis incolis subiugata, expulso inde catholico incolatu. Populavit etiam loca plurima quæ in ditione Regis Portugalliæ adhuc extant: Caveam Iuliani quæ vulgariter dicitur Covillana, Guardiam, Montem sacrum, Portum molarum, et Turres novas, et multa alia quibus remansit Portugallia dilatata. Et morbo chronico diu detentus, vitam finivit, in monasterio Sanctæ Crucis iuxta patrem traditus sepulturæ. Huic successit filius Aldefonsus, in principio christianissimus, in fine suæ deditus voluntati. In diebus eius Alchazar et castra alia in deditionem fidei catholicæ pervenerunt. Moriturus autem elegit in monasterio Alcobatiæ sepulturam. Post hæc Sancius filius eius successit in regno. Huius temporibus Helvis, Iurmenia, Serpia, et multa alia castra Maurorum Christianorum victoriis accesserunt. Adhuc extat, et Dominus dirigat vias eius. Et ut genealogiæ Regum Portugalliæ seriem texeremus, à proposito divertimus aliquantum.

(r) Al. *mirabiliter adornavit.*

(s) Tol. *Ulixbonam.*

(t) Compl. *partibus Flandriæ.*

(u) Compl. et Al. *violento remansit.*

Quod Imperator divisit imperium filiis suis.

CAP. VII.

Nunc ad gesta Aldefonsi Hispaniarum Regis, prout cœpimus, revertamur. Mortuo itaque Aldefonso Rege Aragonum, et substituto eidem Ranimiro Monacho fratre suo, cœpit Aldefonsus Rex Hispaniarum Aragoniam infestare, adeo quod civitates et castra quæ sunt citra Iberum, et loca omnia occupavit. Tandem post longa certamina ea lege in concordiam redierunt, ut Rex Aragonum omnia supradicta teneret in feudo à Rege Hispaniarum, et ei fieret in vasallum. Quod et fuit fideliter observatum usque ad obsidionem Conchæ, in qua dicitur Rex Castellæ Aldefonsus nobilis Regi Aragonum Aldefonso hominium et dominium remisisse. Post hæc rediens Legionem, imposuit sibi im-

Digitized by Google

perii diadema, et vocatus fuit deinceps Imperator. Habuit autem duas uxores, Berengariam atque Richam. Ex Berengaria genuit Sancium, et Fernandum, Elisabeth, et Beatiam. Elisabeth nupsit (x) Ludovico Regi Francorum, ex qua genuit filiam quæ dicta fuit (y) Adelodis, et fuit uxor Comitis de Pontino. Et illa Comitissa genuit Mariam quæ fuit mater Ioannæ Reginæ Castellæ et Legionis. Beatia nupsit Sancio Regi Navarræ, et suscepit ex ea duos filios, et tres filias, de quibus superius est iam dictum. Post hæc consilio quorundam Comitum, Amalarici de Lara et Fernandi de Transtamarim, discidia (z) seminare volentium, divisit regnum duobus filiis, Sancio et Fernando. Sancio primogenito dedit Castellam usque ad Sanctum Facundum, et Morum Reginæ, et Aggerem fumorum, et Oroniam, Covellas, Medinam, et (a) Arevalum, et totum territorium Abulense, et inde sicut dividit Calciata, quæ dicitur deguinea, et in Asturiis sicut dividit ripa Ove. Residuum versus mare, et Portugalliam dedit minori filio Fernando.

(x) Compl. hic et alibi *Lodovico.*

(y) Compl. et Al. *Adeledis.*

(z) Al. *semper volentium.*

(a) Tol. *Arevalum.*

De captione Cordubæ.

CAP. VIII.

Postea cum magna suorum multitudine metuenda urbem aggressus est Cordubensem. Cumque prope eam venisset, Princeps (b) Avengamia qui Cordubæ præsidebat, de viribus non confidens, exivit obviam Imperatori, et claves obtulit civitatis, eius dominio sese tradens. Cumque Imperator acceptasset oblata, recepit etiam civitatem, et in Mezquita Raimundus Primas et Archiepiscopus Toletanus ritu catholico sollemnia celebravit. Cum vero civitas esset nimium populosa, nec Imperator sufficeret tot ibi ad conservationem dimittere bellatores, qui possent resistere incolis, si vellent forsitan malignari, demum consilio minus sano, Avengamiæ qui ei civitatem dederat, commisit custodiam civitatis, et ille super librum Mahometi qui Alchoranus dicitur, sibi et Regi Sancio filio suo fecit hominium, et iuravit.

(b) Compl. hic et infra *Avengania.*

De adventu Regis Franciæ in Hispaniam.

CAP. IX.

Post hæc quidam maligni inter eum et Regem Franciæ volentes odium seminare, Regi Franciæ obrepserunt, dicentes Elisabeth uxorem suam esse ortam ex vilissima concubina; et Rex Ludovicus volens experiri suggesta, iter arripuit ad Sanctum Iacobum veniendi. Quod præsentiens Imperator, Burgis occurrit turba herilium procerum comitatus, equorum et thesaurorum copiis adornatus, et gener eius ab eo et Rege Navarræ qui cum eo venerat, gloriosissime est susceptus, ita quod ipse Rex Franciæ in aspectu tantæ gloriæ obstupebat. Cumque eum usque ad Sanctum Iacobum produxisset, inde rediens, Toleti curiam celebravit, tam Christianorum, quam Arabum eius imperio subiectorum, cui etiam interfuit Raimundus Comes

mes Barcinonensis. Cumque Rex Franciæ tam nobilem curiam inspexisset, admiratus omnia, dixit coram omnibus protestatus, similem curiam, similem apparatum in orbis ambitu nusquam esse, nec tantam supellectilem se vidisse. Tunc Imperator ostendens ei Comitem Barcinonæ, qui in magno et honorabili [c] apparatu erat: "Ecce, inquit, ex huius sorore "Berengaria suscepi filiam quam "vobis contuli in uxorem, et si vo"bis hanc ignobilem, et me in"glorium suggesserunt, oculi ve"stri videant veritatem." Tunc Rex Ludovicus gratias egit, dicens: "Benedictus Deus, quod filiam tan"ti domini ex sorore tanti Princi"pis habere merui in uxorem." Obtulit autem Imperator infinita donaria, quæ [d] sui valore numerum excedebant; sed nil eorum voluit recipere Ludovicus, nisi quemdam carbunculum, quem in corona spinæ Dominicæ apud Sanctum Dionysium collocavit, quem etiam memini me vidisse.

(c) Compl. venerat apparatu.

(d) Tol. et Al. sine valore.

De ortu Almohadum.

CAP. X.

In diebus autem huius Imperatoris Aldefonsi surrexit apud Arabes vir quidam nomine Aventumerth, homo in Astronomia et naturalibus valde doctus. Hic curiositate vigili investigans, quæsivit iuvenem filium figuli, qui [e] Abdelmon proprio nomine dicebatur, et ei suadens grandia, prædixit eum Regem Arabum affuturum, qui mox consentiens [f] prophetæ monitis, acquievit. Aventumerth autem adscivit quemdam qui Almohadi vocabatur, et erat in Mahometi doctrina valde peritus, et cœpit librum Mahometi qui dicitur Alchoranus, exponere, et docere, et Caliphe de Baldac qui est Papa Arabum, et descendit generationis linea de semine Mahometi, contraria prædicare; similiter contra Almoravides qui tunc culmen regni in Africa obtinebant, rebellia adhortari. Et tantam seduxerunt populi multitudinem, quod licet Rex [g] Aboali, qui erat Rex et dominus Almoravidum, cum eis sæpius concertasset, et etiam devicisset, tanta fuit commotio eius gentis, quod non potuit prævalere. Ille etiam Abdelmomus qui regalia exercebat, adiutus prædicatione Almohadi et consiliis Aventumerthi, Regem Aboali vicit, et interfecit, et totum regnum obtinuit Africanum, et apud Marrochum gentis illius metropolim statuit sedem suam, et Almohadi quasi Dei prophetam in omnibus honorabat, cuius prædicatione totam Africam acquisivit, et suo gladio subiugavit. Tandem etiam in Hispaniam cisfretavit, et fere suo dominio omnes Arabes incurvavit, et eo reverso in terram suam, mortuus est [h] Almohadi, quem Abdelmomus non longe à Marrochis regio funere sepelivit. Et in tanta veneratione habetur, ut in necessitatibus suis ad eum recurrant subsidia petituri, et ab eius nomine complices huius sectæ Almohades nominantur. Alii tamen dicunt Almohades unitos interpretari. Post hæc, mortuo [i] Abdelmomo, filius eius Aveniacob successit in regno, qui in Hispanias

(e) Al. Aldemon.

(f) Tol. et Al. prophetiæ monitis.

(g) Tol. et Al. Albadi.

(h) Compl. Almahadi.

(i) Al. Abdelmunio.

nias veniens, à quodam Christiano occisus fuit in Portugali. Cui successit frater eius [j] Advenyuceph, qui in bello Alarcuris repulit Christianos, et hoc mortuo, successit ei filius eius Avenmahomath, qui in Navis Tolosæ ab Aldefonso Rege nobili fuit victus: quæ victoria discessionis et exterminii Almohadibus causam dedit.

[j] Al. *Aveninceps.* Compl. *Aveyuzeph.*

De captione Beatiæ et Almariæ.

CAP. XI.

Cumque iam in purpura diadematis seminarium discidii germinasset, Imperator, congregato exercitu, obsedit Beatiam; et cum de suis aliqui recessissent, Sarraceni undique congregati, ad solvendam obsidionem illico advenerunt. Apparuit autem in nocte Sanctus Isidorus confortans Imperatorem, et in congressu crastino se pollicens adiutorem. Igitur luce crastina apparente, inito prœlio, iuxta promissum Sancti Isidori obtinuit Imperator, et fugatis auxiliis, Mauri incolæ, quia resistere non valebant, eius dominio se dederunt, et ei urbis præsidium tradiderunt, quod ipse in continenti replevit bellatoribus et incolis christianis, et remanserunt Mauri subditi sub tributo; et propter miraculum Ecclesiam Sancti Isidori conventu regularium ordinavit, et donariis plurimis adornavit. Et inde procedens, pervenit ad civitatem maritimam, quæ dicitur Almaria. Cumque aliquandiu ibi mansisset, Raimundus Comes Barcinonæ et naves Ianuensium advenerunt. Qui cum eum in acquisitione fideliter adiuvissent, obtinuit, et sibi retinuit civitatem, et spolia omnia Ianuensibus est largitus; inter quæ inventum fuit vas smaragdineum, ut scutella, et Ianuenses illo contenti, cetera dimiserunt, quæ fere omnia Comiti Barcinonæ contulit Imperator. Et reversus est Imperator, inclitus victoria et honore, et Beatiam usque pervenit: ibique relicto filio suo Sancio ad custodiam civitatis et Andugari, [k] ipse Imperator per montem qui [l] Muratal dicitur, iter arripuit redeundi. Cumque venisset ad ilicem quamdam, frondibus densam et ramis, ibidem infirmitate vexatus, vitam finivit, et statim Fernandus filius eius timens à fratre suo Sancio præveniri, cum magnatibus regni sui regnum adiit Legionis.

[k] Tol. *et Queratæ.*
[l] Al. *Muradal.*

De successione Regis Sancii in regno Castellæ.

CAP. XII.

Cumque Rex Sancius qui Beatiæ remanserat, hoc sensisset, relictis omnibus [m] quæ ultra montem de Muratal Christianitas possidebat, ad funus patris velociter properavit, et cum Primate Ioanne qui tunc aderat, patrem suum duxit Toletum, et ibidem in patriarchali Ecclesia honorifice sepelivit, et cœpit regnare Æra MCXCVII, Æ. 1197.
et regnavit anno uno, et ex tunc cœpit assignati regni negotiis providere; et vivente patre, uxorem duxerat nomine Blancām, filiam Garsiæ Regis Navarræ et Margelinæ filiæ Rotronis Comitis Perticarum, ex qua iam susceperat fi-

[m] Al. *Beatia quæ.*

Digitized by Google

filium nomine Aldefonsum, qui trium annorum remanserat in morte Imperatoris. Hic Rex Sancius tanta benignitate pollebat, quod clypeus nobilium dicebatur, et tanta congerie virtutum claruit, ut pater pauperum, amicus religionum, defensor viduarum, tutor pupillorum, iustus iudex omnium ab omnibus (n) vocabatur. Nihil arduum reputabat, quod ad cordis magnificentiam pertineret, ascensiones virtutum in corde suo continue disponebat, et munditiam amans, ad ea quæ virtuosum faciunt, anhelabat. Quid de moribus eius, (o) de strenuitate in hostes, de liberalitate in omnes, de iustitia in suos, de pietate in fratrem, de devotione in Ecclesias, de timore in Deum dicam? Huic pater divisit imperium, sed ipse virtutes omnium in se virtutum fibula colligavit.

(n) Compl. *amaretur.*

(o) Compl. hic *dicam?* nec repetit infra.

De restitutione magnatum Legionis per Regem Castellæ.

CAP. XIII.

Rex autem Fernandus, cum esset pius, misericors, et benignus, susurronum tamen linguis aures credulitate facili inclinabat, qui volentes regni exordia perturbare, mala de quibusdam Comitibus suggesserunt, et ipse eorum susurris (p) inclinatus, abstulit eis temporalia feuda quæ tenebant. At illi Regem Castellæ Sancium adierunt, qui statim congregato exercitu, venit ad Sanctum Facundum. Quod cum Fernandus Rex Legionis audisset, verens cum fratre committere, habito suorum consilio, fratris arbitrio se commisit, et cum paucis equitans, venit ad fratrem velocissime sine armis. Ipso vero improvisis omnibus veniente, Rex Sancius in mensa convivii consedebat, et adeo Rex Fernandus venit festinus, quod vix potuerunt ei assurgere convivantes. Rex autem Sancius, ut improvisus adventus potuit tolerare, eum recepit curialiter et iucunde, et iuxta se in (q) consessu regio collocavit. Erat autem Rex Fernandus de cultu non curans, et venit illotus vestes et caput. Cumque vidisset eum Rex Sancius qui munditiam vestium et corporis diligebat, fecit in continenti balneum præparari, et tamdiu in mensa non comedens spectavit, donec lotus corpus et caput, optimis vestibus innovatus, in convivio cultu regio sedit ornatus. Et convivio splendide celebrato, Rex Sancius adventus sui causam, et cuius consilio sic advenerat, sciscitatur. Cui respondit: “Ad vos tamquam ad »patrem et dominum veni securus, de virtute bona præsumens, »et supplico quod regni mei fines invadere non velitis, quia »etiam si velletis, vobis hominium »facere sum paratus.” Cui Rex Sancius sic respondit: “Absit à me, »ut terram quam pater meus vobis contulit, meæ subiiciam potestati, vel frater meus, filius »tanti patris, alicui hominio sit »astrictus. Sed cum pater noster »regnum nobis diviserit, et vos »vestris, et ego meis et proventus et terram tenemur magnatibus impartiri, quorum auxilio »patres nostri terram perditam »habuerunt, et Arabes repulerunt. »Red-

(p) Tol. *inclinatis.*

(q) Al. *collegio.*

„Reddatis ergo feuda sua Comiti „Pontio de Minerba et aliis ma„gnatibus quos privastis, et non „credatis susurronibus contra eos, „et ego in continenti recedo." Tunc Rex Fernandus cum esset piissimus et benignus, omnia quæ Rex Sancius dixerat, acceptavit, et statim ab invicem amicabiliter recesserunt.

Quod Calatrava data fuit Abbati Fiteriensi, et de morte Regis Sancii.

CAP. XIIII.

(r) Al. *his peractis.*

[r]Quibus peractis, Rex Sancius venit Toletum, et rumor increbuit, quod Arabes veniebant cum magno exercitu Calatravam. Fratres autem militiæ templi qui arcem Calatravæ tenebant, timentes quod non possent Arabum violentiæ obviare, ad Regem Sancium accesserunt supplicantes, ut et arcem et villam Calatravæ reciperet, quia non erat eis facultas Arabibus resistendi, nec inventus fuit aliquis de potentioribus qui vellet defensionis periculum expectare. Erat autem tunc temporis in urbe regia Raimundus, homo religionis, Abbas Fiterii, et cum eo monachus quidam qui Didacus Velasqui dicebatur, homo nobilis, et quondam strenuus in officio militari, et de Buronæ partibus oriundus, et à iuventute cum Rege Sancio enutritus. Qui videns Regem sollicitum pro discrimine Calatravæ, suasit Abbati, ut à Rege peteret Calatravam, et licet Abbas se à principio [s] retraxisset, demum consensit monacho, olim militi, supplicanti, et accedens ad Regem, petiit Calatravam. Et licet aliqui fatuum reputarent, tamen sicut Domino placuit, Rex consensit: et Abbas cum monacho in continenti venerunt ad Primatem Ioannem qui tunc præerat Ecclesiæ Toletanæ. Qui audiens sanctum propositum, gratias egit Deo, et statim rerum suarum dedit auxilium, et fecit publice prædicari, ut omnes euntes in auxilium Calatravæ omnium peccatorum veniam mererentur. Et facta est tanta commotio in civitate, ut vix esset qui aut in propria persona non iret, aut equos, aut arma, aut pecunias in subsidium largiretur. Et Rex Sancius in continenti dedit Abbati et Sanctæ Mariæ de Fiterio in possessionem perpetuam villam et præsidium Calatravæ. Et Abbas cum Didaco Velasqui monacho venit, duce Domino, Calatravam, et sic est factum, dispositione Altissimi ordinante, quod Agarenorum exercitus de quo rumor increverat, non advenit. Et tunc multi quos devotio incitavit, temperato habitu, ut militaris agilitas exposcebat, eorum ordinem receperunt, et in continenti cœperunt contra Arabes cædes et prœlia exercere, et Domino adiuvante, prosperatum fuit opus in manibus monachorum. Tunc Abbas reversus ad monasterium, armenta et greges et cetera mobilia quibus tunc temporis Fiterium abundabat, necnon et multitudinem bellatorum quibus stipendia et viatica ministravit, duxit secum veniens Calatravam, exceptis debilibus et ægrotis quos ad ministerium

(s) Compl. *difficilem reddidisset.*

rium monasterii dereliquit, et ut audivi ab his qui viderant, fere viginti millia hominum secum duxit. Et hic fuit in Fiterio primus Abbas. Mortuus autem, sepultus est in villa quæ Cirolos dicitur, prope Toletum, ubi Deus per eum (ut fertur) miracula operatur. Didacus autem Velasqui postea diu vixit, quem etiam memini me vidisse, et obiit in monasterio Sancti Petri de Gomello, et ibi sepultus requiescat in pace. Rex vero Sancius, postquam dedit Fiterio Calatravam, consummatus
*Sap.*4. 13. 14. in brevi, complevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius, et ideo [t] festinavit eum Dominus educere de medio iniquitatis, et dare ei imperium non divisum. Obiit autem Toleti secundo calendas [u] Septembris, cui regni et vitæ anni circulus finem dedit. Regnavit enim anno uno, diebus duodecim, iuxta patrem sepultus in maiori Ecclesia Toletana.

(t) Al. *festinaverat.*

(u) Al. *Novembris, cuius regni.*

De Rege Aldefonso, et persecutione quam ab infantia toleravit, et de nutriciis eius.

CAP. XV.

Post obitum desiderabilis Sancii successit ei filius nomine Aldefonsus, trimus, et patris privilegio amplectendus, Æra MCXCVIII.
Æ. 1198. Hunc genuerat ex Blanca filia Garsiæ Regis Navarræ. Hic ab infantia vultu vivax, memoria tenax, intellectu capax. Sed quia regnorum principia vix carent discordia etiam in adultis, multi de suis qui ad discidia inhiabant, Fernando Regi Legionensi, Infantis patruo, suaserunt, ut Regis pueri initia perturbaret. Qui continuo acquiescens, aliquas civitates et oppida occupavit, ita ut ipse Rex parvulus quæreretur. Causa autem huius seditionis (ut dicitur) ista fuit. Cum desiderabilis Sancius pater eius videret diem obitus imminere, vocatis magnatibus, mandavit omnibus, ut terrarum dominia quæ ab eo tenebant, feudo temporali usque ad annos quindecim retinerent, et tunc filio suo fideliter resignarent. Cumque puer Guterrio Fernandi de Castro à desiderabili Sancio fuisset commissus, et ipse post patris obitum custodiæ pueri diligentiam adhiberet, accesserunt ad eum Garsias Garsiæ de Atia, Comes Amalaricus, Comes Alvarus, [x] Nunius Petri de Lara, et hi tres ultimi erant fratres, filii Comitis Petri de Lara et Avæ Comitissæ. Garsias Garsiæ erat frater eorum ex matre, et filius Comitis Garsiæ qui in bello Uclesii cum Infante Sancio fuit occisus. Itaque omnes suaserunt Guterrio Fernandi de Castro, ut daret puerum Comiti Amalarico, qui erat potens, et carus habitantibus Estrematuram, et sic posset terræ seditio complanari, et ipsi autem Guterrio Fernandi tamquam maiori deferrent. Erat enim vir grandævus et honorabilis, qui etiam desiderabilis Sancii patris pueri curam habuerat, cum viveret Imperator. Hic dicitur fere quingentos milites manu propria accinxisse cingulo militari, et habuit uxorem nomine Theodam, ex qua tamen prolem aliquam non suscepit, sed habuit fratrem nomine Ro-

(x) Al. *Nunus.*

Digitized by Google

Rodericum Fernandi, qui fuit Calvus agnominatus. Hic habuit quattuor filios: Fernandum Roderici, et Alvarum Roderici, et Petrum Roderici, et Guterrium Roderici, et filiam Sanciam Roderici, quæ fuit uxor Alvari Roderici de Guzman. Cumque Guterrius Fernandi adhibuisset fidem verbis Comitis Amalarici et fratrum suorum, eorum fidei commisit infantem, et infantem receptum [y] Garsiæ de Atia tamquam maioris custodiæ commiserunt. Ipse vero cum esset simplex, et rerum non providus dispensator, quæsivit à fratribus, unde posset de sumptibus providere. Ipsi vero gaudentes, eo quod ad custodiam pueri anhelabant, dixerunt ei, ut se ab expensarum onere expediret, et traderet puerum Comiti Amalarico. Quod et ipse acceptans, sumptibus caruit et regimine et honore.

(y) Compl. *Garsiæ Garsiæ de Atia.*

De [z] dissensione magnatum Castellæ super custodia Regis Castellæ, et de fuga eiusdem in [a] Atentiam.

(z) Tol. et Compl. *dispensatione.*

(a) Al. *Atentia.*

CAP. XVI.

Cum vero Guterrius Fernandi percepisset hos fratres cum Rege parvo rebellare, iuxta quod promiserant, petiit ab eis restitui sibi Regem. Quem ipsi tamquam improvidum deriserunt. Cumque inter utramque domum, de Castro videlicet et de Lara, longa concertatio incidisset, multa hinc inde pericula, multa homicidia acciderunt, adeo quod hæc discordia occasionem præbuit Legionensibus prævalendi, in tantum quod et aliquam partem Castellæ et extremorum Dorii occuparent. Cumque Comes [b] Amalaricus et fratres sui sibi timerent, Regem puerum Soriæ dimiserunt sub [c] fideli custodia in parochia Sanctæ Crucis. Inter hæc autem Guterrius Fernandi vitam finivit, et in monasterio Sancti Christophori de [d] Eucis fuit sepultus, et Comes Amalaricus in continenti petiit terram à nepotibus Guterrii Fernandi, sed illi usque ad quintum decimum annum pueri iuxta statutum Regis Sancii patris sui reddere noluerunt. Unde et ipsi corpus Guterrii Fernandi inhumaniter exhumantes, de proditione, nisi terram restituerent, [e] reputarunt. Sed nepotes eius ab impetitione huiusmodi liberarunt, dicentes, quod Rex ab ipso numquam petierat terram suam, unde iam mortuus non poterat criminari; et sententia curiæ absolutus, propriæ restituitur sepulturæ. Cumque in nepotes eius vellent obiecti criminis infamiam retorquere, responderunt se testamentali edicto Regis Sancii terram sibi creditam usque ad annos quindecim retinere, et tunc parati erant terram restituere Regi suo. His decertationibus inflammati, terram Regis pueri cum deberent fideliter regere, et tueri, incursionibus et cladibus affecerunt, et crescentibus malis, usque adeo res processit, ut Regi Legionensi fere totius regni, et etiam Toleti per duodecim annos solverentur reditus et tributa, et Comes Amalaricus ad tantæ necessitatis articulum fuit ductus, ut Regi Legionensi facere hominium cogeretur

(b) Al. *Almaricus.* Compl. *Amalricus.*

(c) Tol. et Al. *fidei.*

(d) Tol. *Eucis.*

(e) Compl. et Al. *reptaverunt.*

Digitized by Google

tur de dando Rege puero in vassallum. Cumque cum ipso Rege Soriam pervenisset, ut iuxta hominium Regem puerum reciperet in vasallum, facto Concilio Soriensi, illi quorum fidei Rex tenellus fuerat deputatus, Amalarico Comiti sic dixerunt: "Liberum vobis damus, et liberum custodite." Et tunc puer à quopiam concitatus, in brachiis baiuli cœpit flere, et in domum ducitur sub specie cibi dandi, ut sic à fletu cessaret, et patruo traderetur. Tunc Petrus Nunii de fonte [f] Almexiri, miles strenuus et fidelis, Regem puerum protexit sub cappa, et velocissimo equo insidens, ea die ad castrum Sancti Stephani duxit eum. Cumque in Concilio Soriensi Rex Legionis et Comites et Barones varia varie pertractarent, et simulatum somnum Regis pueri spectarent, Rex Legionis de puero percunctatur. Erat enim spectatione et desiderio fatigatus. Et dum quæreretur à pædagogo pueri, [g] quonam esset, respondit: "Miles venit, qui eum duxit patruo præsentandum." Cumque Comites moram variis protractionibus procurarent, demum in civitate facta perturbatione non modica, ea conditione à Rege patruo recesserunt, ut sollicite inquirentes, ubilibet invenirent, puerum restituerent iuxta pactum. Et ea nocte ad Sanctum Stephanum pervenerunt. Sed Comes Nunius, quasi quæsiturus puerum, præcucurrit, et inde assumpto puero, sequenti die Atentiam se recepit, et pacta et hominia pro liberatione domini non curavit. Quod audiens Rex Fernandus, doluit, reputans se delusum, et misit quemdam militem Comiti Amalarico, qui eum de infidelitate et periurio appellaret. Qui attendens pro liberatione domini naturalis quidlibet faciendum, et tenellum dominum omnibus præponendum, nuncium qui ad reptandum venerat, iocose delusum, sine responso alio remiserunt. Tandem cum Rex Ferdinandus Comitem Amalaricum præsentialiter reptaret, Comes Amalaricus sic dicitur respondisse: "Si sum fidelis, aut proditor, aut alevosus, nescio; sed quocumque modo potui, tenellum puerum dominum meum à servitute indebita liberavi, cum sim eius dominii naturalis." Ad hæc omnium iudicio est ab imposito crimine absolutus.

(f) Al. *Almarici.*

(g) Al. *quonam isset.*

Quod Rex Fernandus obtinuit fere totam Extrematuram.

CAP. XVII.

Occupavit itaque Rex Fernandus omnes civitates et castra et villas, præter paucissimas in quibus Rex puellus receptabatur aliquando minus tute, et qui adhuc à mamillis nutricis parvulus dependebat, ætatis gratia favorabilis, naturæ beneficio innocens, patris privilegio amplectendus, futurorum indiciis observandus, quasi iam reus, vel nocens, ad mortem quæritur, quasi non verus heres, exheredatur, quasi non filius primogenitus Imperatoris, qui debebat esse heres ex integro, à patrimonio effugatur. Quid mali fecit, qui loqui non poterat, qui nec statum suæ infantiæ agnoscebat?

Digitized by Google

bat? Nisi hoc dignum persecutione dicatur, quod quidquid possibilitati illius ætatis suberat, hoc in puero bonorum præsagiis monstrabatur, quæ omnia processus infantiæ iam in pueritia ostendebat, in qua regalis gravitas, levitatis puerilis ignara, successione temporum mirabiliter coalebat. Quæque in aliis Principibus vix ætas etiam operatur, in isto gratia superabat. Itaque puerorum ludicra vir mente transcendens, et bella plurima contra patruum decenter exercuit, et munitiones plurimas immerito perditas merito recuperavit, faventibus sibi Amalarico et Nunio Comitibus, et plurimis magnatibus, qui toto tempore vitæ suæ ei inseparabiliter et fideliter adhæserunt, qui etiam eum propriis humeris et brachiis nutrierunt. Nec etiam fuit locus vel civitas, licet Regem Fernandum prædictis de causis stulta vulgi mobilitas sequeretur, in quibus aliqui saniori et fideliori mente præditi Regi puero non faverent. Unde et quidam ex eis persecutionem et damna à Fernando Rege et suis complicibus pertulerunt, et ipsi magis elegerunt cum vero domino fideliter exulare, quam, fide læsa, utilitatis causa indebito Principi obedire. Horum nomen et genus etiam hodie habetur in omnibus regni finibus gloriosum, remuneratione plenum, opprobrio vacuum, potentia sublimatum, familiaritate regia honestatum.

De commendatione fidei, seu fidelitatis.

CAP. XVIII.

Quid fide gloriosius? Impossibile est enim Deo placere quempiam sine fide. Si prima gratia in iustificatione impii fides à Theologis prædicatur, per hanc damnatus homo gratiæ redonatur. Quid fidelitate potius appetendum? Cum enim sit utilis et honesta, sine hac Deus qui omnia potest, noluit mundum regi, quia si hæc periret, homo homini non subesset, nec quisquam ab alio tutus esset, et convictus inter homines [b] non adesset, sed nec quisquam sufficeret sibi solus, et ita congregatio hominum deperiret: igitur cuncta pro nihilo facta essent. Fides itaque sit prævia omnibus, per quam quilibet Deo placet, qui est Dominus dominorum; fidelitatem etiam circa inferiores tamquam pupillam oculi inviolatam custodiat et illæsam. Numquam enim hereditatis eius tuta possessio violatur, et eius negotiatio numquam mercede fraudatur: non est in ea labor sine præmio, nec est timor sine adiutorio: oculi eius securi, frons velari nescia non indiget velamento: tuta in occulto, [i] gloriosa in publico, iucunda inter amicos, nobilis inter odiosos, probris infesta, laudibus gratiosa, ab omnibus acceptatur, etiam ubi displicet, approbatur. Sed et vitiorum monstruosa caterva fidelitatem abnuens, quam in se renuit, in aliis concupiscit: dignitate enim humanæ naturæ conspicua, non prono, sed vultu incedit erecto, et

Heb. 11. 6.

(b) Al. *nullus esset.*

(i) Al. *tuta in publico.*

et terras dedignata, similis cœlestibus invenitur. Quiescit securitate conscientiæ, roboratur spei magnitudine, tota pura, tota desiderabilis, tota utilis invenitur. Hanc exquisivit à iuventute sua Aldefonsus desiderabilis Sancii filius, qui cum esset parvulus (ut dictum est) et fere regno privatus, suorum fidelitate et industria recuperavit perdita, acquisivit non habita, [j] ædificavit deserta, donec iaceret fundamenta urbium, et erigeret excelsa turrium, et ruinas à sæculis repararet. Proficiebat enim apud Deum et homines sapientia et ætate. Persequentium manus evasit suorum sollertia liberatus. Tandem etiam Toletum obtinuit, quam duodecim annis occupaverat Rex Fernandus. Persecutus est persecutorem, et quem iniuste senserat hostem, sæpe persecutus est fugientem. Omnia enim quæ perdiderat, acquisivit, et etiam Infantaticum, quod sub dubio vertebatur. Erexit eum Deus altissimus, et magnificavit eum creator ipsius, donec stabiliret illi solium gloriæ, et exaltaret ei diadema victoriæ. In fraude circumvenientium illi affuit, et honestum gloria fecit illum, custodivit eum ab inimicis, et à seductoribus tutatus est illum, et dedit illi certamen ut vinceret, et sciret quoniam omnipotens regit Reges, et per eum Principes tenent terram. Obtinuit itaque omnia quæ fuerant patris sui.

[j] Tol. et Compl. *reædificavit.*

Lucæ 2. 52.

Sap. 10. 11. *&c.*

De Rege Fernando Legionensi, filio Imperatoris.

CAP. XIX.

Nunc à prosecutione propositi aliquantulum divertentes, Regis Fernandi magnalia prosequamur. Fuit autem Rex iste Fernandus pius, hilaris, liberalis, strenuus, benignus, et in prœliis fortunatus, erga religiones et Ecclesias sic devotus, ut eis fere omnia regalia largiretur, quæ tamen postea filius eius revocavit; et adeo communis omnibus habebatur, quod, tamquam regularis, in mobilibus fere proprium non habebat, et quamvis industria [k] minoratus, plus favore, quam timore ab omnibus amabatur. Et accepit uxorem, Urracam nomine, filiam Regis Portugalliæ Aldefonsi, ex qua suscepit filium nomine Aldefonsum. Rex igitur Fernandus, licet gener, Regi Portugalliæ pacificus raro fuit. Unde ad consilium cuiusdam [l] vernalis qui à Rege Portugalliæ læsus effugerat, locum optimum populavit, qui dicitur civitas Roderici, ex qua Portugalliæ intulit multa mala. Populavit etiam Letesmam in territorio Salamantino, et Granatam in territorio Cauriensi, [m] Beneventum, et Coïancam quæ nunc Valentia dicitur, in diœcesi Ovetensi, Villarepandum, Mansellam, et Maioricam in diœcesi Legionensi, castrum Toraph in diœcesi Zamorensi.

[k] Tol. et Al. *immoratus.*

[l] Tol. et Compl. *vernuli.*

[m] Compl. hic et alibi *Benaventum.*

Digitized by Google

De bello eiusdem cum Salamantinis.

CAP. XX.

Cumque Salamantina civitas ceteras regni urbes et habitatoribus et terminis superaret, indignati cives eo quod Rex eorum terminos decurtabat, contra Regem, faventibus sibi Abulensibus, seditionem moverunt, et in valle Muzæ pariter congregati cum duce quodam qui Munio Ravia dicebatur, cum Rege Fernando prœlium inierunt, et præter spem omnium victoria Regi provenit, et ducem quem sibi (n) fecerant, Munionem Raviæ vivum cepit, quem capitali sententia condemnavit. Et sic, maioribus sibi faventibus, quorum sententia principio non potuit prævalere, vim vulgi multitudine faciente, demum experti præsumptionis flagellum, et potentia minorati, nunc suis maioribus et suo Principi pro venia supplicabant, et sic Rex victor civitatem, ut voluit, subiugavit, maioribus qui sibi faverant, honoratis. Post hæc Rex Fernandus corpus Regis Ranimiri, Destrianæ sepultum, Astoricam transtulit, et in Cathedrali Ecclesia sepelivit.

(n) Al. præfecerant.

De succursu civitatis Roderici.

CAP. XXI.

Erat autem tunc temporis vir nobilis, de quo diximus, ex Castella, Fernandus Roderici, agnomine Castellanus, qui postquam feuda quæ tenebat, Regi restituerat Castellano, recesserat à Castella, et transivit ad Agarenos, et cum eorum maxima multitudine ad civitatem Roderici venit festinus, ut præoccuparet locum et incolas improvisos. Sed dicitur Sanctus Isidorus custodi sacrorum suæ Ecclesiæ adventum prædicti Principis et Arabum revelasse, (o) ut ipse Fernando similiter revelaret; et Rex Fernandus audiens, egit gratias, in continenti properans ad subsidium obsessorum. Sed quia civitas nondum erat muris munita, populatores quadrigas, et scrinia, dolia, arcas, et lectos, et lignamina omnia in circuitu posuerunt, quibus usque ad adventum Regis hostibus (p) restiterunt. Rex autem veniens, invictus animo, confisus in Domino, et oraculo confortatus, cum obsessoribus concertavit, et maxima eorum multitudine interfecta, quæ vix poterat numerari, alios egit fuga, alios retinuit in captura: et munita civitate Roderici, quievit terra à prœliis diebus multis.

(o) Al. ut et ipsi Regi Ferdinando.

(p) Tol. et Al instituerunt.

De bello Fernandi Roderici.

CAP. XXII.

Et Rex Fernandus optans strenuos, Fernandum de quo diximus, revocavit. Sed idem Fernandus quiescere nescius, cœpit invadere Castellanos, et in campis Gothorum, in loco qui dicitur Lubricale, pugnavit cum Comitibus Castellanis, et socerum suum Osorium Comitem, qui degebat tunc temporis in Castella, et Alvarum Guterrii fratrem Roderici Guterrii interfecit, et multis aliis fugatis, captivatis, et interfectis, Comitem Nu-

Digitized by Google

Nunium et Rodericum Guterrii captivavit, qui tamen postea, recepto revertendi [q] hominio, taliter discesserunt, ut Comes Nunius, statuto tempore, et Rodericus Guterrii, postquam sepelisset Alvarum Roderici, se restituerent captioni. Sed cum Rodericus Guterrii esset sagax, fratrem suum in sarcophago posuit, et tamdiu distulit sepelire, donec Fernandus Roderici vitam finivit, et sic fuit à captivitatis hominio liberatus. Comes autem Nunius die et loco quo redire debebat, assumptis secum sexcentis militibus, venit Donias, et in præsentia omnium Fernandi Roderici se obtulit captioni, dicens coram omnibus: "Ecce adsum, et iuxta condictum me recipite in captivum." Sed cum Fernando Roderici non esset facultas sexcentis militibus resistendi, nemo manus in eum iniecit. Et Comes Nunius protestatus coram omnibus captivitati se tempore placiti obtulisse, abiit liberatus, et sic sollicitudo delusa est captivantis. Occiso autem Osorio Comite, [r] Fernandus Roderici filiam eius quam in uxorem duxerat, dereliquit, afflictæ addens afflictionem: sed ipsa nupsit Petro Ariæ, ex quo genuit Rodericum Petri de villa Luporum. Et post paucos dies Rex Fernandus sororem suam [s] ex parte, nomine Stephaniam, ei matrimonio copulavit, ex qua suscepit idem Fernandus filium Petrum Fernandi, qui fuit postea magnus, et coram Regibus honoratus.

(q) Tol. *homagio* hic et plerumque.

(r) Compl. hic et supra *Ferrandus.*

(s) Compl. *ex patre.*

De victoriis Regis Fernandi, et morte eius.

CAP. XXIII.

Aldefonsus autem Rex Portugalliæ dolens quod Rex Fernandus ædificaverat civitatem, misit exercitum cum filio suo Sancio primogenito contra eam. Sed quia Rex Fernandus à Rege Castellæ infestabatur, diviso exercitu, partem reliquit quæ occurreret Castellanis, partem duxit contra exercitum Portugallis, et occurrit filio Regis Sancio venienti in termino civitatis, in loco qui dicitur Arganale, et conserto prœlio, Regi Fernando victoria, Portugallensibus cessit fuga, et multis occisis, multisque fugatis, ceteri Regis clementiæ se dederunt, quos non ut victor evertit, sed ut clemens abire permisit. Rex autem Portugalliæ indignatus, cœpit Gallæciam infestare, et occupavit totam [t] Limiam et Turonium et alia multa loca. Deinde congregato exercitu, Badallocium est aggressus, quæ in divisione acquirendorum provenerat Regi Fernando. Cumque super hoc nuncius advenisset, Rex Fernandus, congregato exercitu, bellum intulit Aldefonso, et cum succumberet exercitus Portugallis, Rex eorum confugit ad eam, de qua agitur, civitatem; iam enim fere duas partes occupaverat civitatis, Agarenis in arce conclusis. Sed nec ibi quidem se tutum existimans, dum per portam effugeret civitatis, quæ pessulo ferreo claudebatur, impegit ad pessulum, et crure confracto, vix in equo poterat residere. Unde et illico fuit ca-

(t) Tol. et Al. *Linciam.*

captus, et Regi Fernando satis miserabilis præsentatus. Quem benigne suscipiens Rex Fernandus, iuxta se in consessu regio collocavit. Sed Rex Portugalliæ gravis discriminis attendens statum, confessus est se Regem Fernandum indebite offendisse, et pro satisfactione regnum obtulit et personam. Sed Rex Fernandus pietate solita mansuetus, suis contentus, Regi Portugalliæ sua remisit. Tunc restituit Rex Aldefonsus Regi Fernando [u] Limiam et Turonium et cetera quæ suæ fuerant ditionis, et dimissus, ad propria est reversus, nec propter læsionem tibiæ potuit postea militare officium exercere. Rex autem Fernandus cum iterum Badallocium obsideret, egressi ad eum Agareni ab arce, se ei cum præsidio tradiderunt; quorum hominio et fide susceptis, præfecit eis quemdam Arabem qui Abenhabel dicebatur, cuius fidei commisit custodiam civitatis. Sed Rege ad patriam redeunte, prædictus Arabs, oblitus fidei, continuo rebellavit, et Amiramomenino se tradens, Regem Fernandum postea graviter infestavit. Arabes autem attendentes Regem Aldefonsum debilitate qua diximus, præpeditum, eumdem in castro Sanctæ Irenææ, congregata multitudine, obsederunt. Quod audiens Rex Fernandus, in succursum eius celeriter properavit, et eius adventu territus Rex Aldefonsus, timuit ne ad vindicandas iniurias adveniret, sed cognita veritate, egit gratias, ut debebat. Agareni autem Regis Fernandi præsentiam non ferentes, ab obsidione continuo recesserunt. Et Rex Fernandus ad regnum rediens, dimisit Urracam uxorem, quia eum consanguinitatis gradu tertio attingebat, et duxit uxorem Tarasiam filiam Comitis Fernandi, quæ fuerat uxor Comitis Nunii de Castella: et ea mortua, duxit Urracam filiam Lupi Comitis Naiarensis, ex qua suscepit duos filios, Sancium et Garsiam, quorum uterque expers prolis vitam finivit. Cæterum Rex Fernandus, annis triginta uno in regno feliciter consummatis, obiit Beneventi Æra [x] MCCXXVIII, et in Ecclesia beati Iacobi est sepultus iuxta avum suum Comitem Raimundum et Imperatricem Berengariam matrem suam.

[u] Tol. et Al. *Luniam.*

Æ. 1228.

[x] Tol. et Al. *MCCVIII.*

De Rege Aldefonso, et eius militia, et filiis.

CAP. XXIIII.

Mortuo Rege Fernando, successit ei filius eius Aldefonsus. Hic fuit homo pius, strenuus, et benignus, sed [y] susurronum vicissitudine mutabatur, et à consobrino suo Aldefonso Rege Castellæ et Sancio Rege Portugalliæ infestatus [z] circa principium regni sui venit ad Regem Castellæ, et in curia Carrionis accinctus ab eo cingulo militari, manum eius fuit in plena curia osculatus, et in eadem curia Rex Castellæ nobilis Aldefonsus Conradum filium Frederici Imperatoris Romani accinxit similiter cingulo militari, et ei filiam suam primogenitam Verengariam desponsavit. Sed ipso Conrado in Teutoniam revertente, prædicta domicella desponsationi continuo contradixit, et per Gundisalvum To-

[y] Tol. et Al. *successionum vicissitudine.*

[z] Compl. et Al. *circa primordia regni sui.*

Toletanum Primatem et Gregorium Sancti Angeli diaconum Cardinalem, Apostolicæ Sedis legatum, divortio celebrato, puella Verengaria mansit innupta. Et sic ad tempus quievit terra, pace amicabiliter reformata. Sed quia (ut diximus) auriculariorum susurris ad varia trahebatur, eorum consilio duxit Tarasiam, filiam Sancii Regis Portugalliæ, in uxorem, licet essent consanguinei in secundo gradu; ex qua suscepit Sanciam et Fernandum, qui fuerunt mortui sine prole, et aliam filiam quæ Dulcis dicitur, et adhuc vivit. Et in odium Regis Castellæ fuit hoc [a] contubernium procuratum: suggerentibus enim suis vernulis, dolebat se à Rege Castellæ recepisse cingulum militare, et tamen ab illa uxore fuit iudicio Ecclesiæ separatus. Demum inter ipsum et Regem Castellæ guerris et vastationibus perpetratis, duxit uxorem dominam Verengariam Regis Castellæ filiam, de cuius virtutibus post dicemus, et suscepit ex ea filios, Fernandum cui Castellæ et Legionis provenit postea principatus, et Aldefonsum: et duas filias, Constantiam quæ fuit in Burgensi monasterio monialis, et Verengariam quæ nupsit Ioanni de Brena, qui ex parte uxoris quam habuerat, Hierosolymitani regni ad tempus negotia ministravit. Postea vero filiam suam quam ex prædicta Verengaria susceperat, Baldovino Imperatori Constantinopolis desponsavit, et quia idem Baldovinus adhuc puer à Græcorum incursibus non poterat imperium defensare, Sedes Apostolica Ioanni dicto Regi commisit Imperium toto tempore vitæ suæ, et sic fuit deinceps Imperator, et uxor eius Verengaria Imperatrix. Quibus defunctis, Baldovinus cum uxore sua Maria in imperii culmine dominantur, et Dominus custodiat eorum statum. Rex autem Aldefonsus et Regina Verengaria, susceptis filiis supradictis, propter consanguinitatem fuerunt ab Innocentio Papa tertio separati. Et postea inter Reges guerræ et vastationes vix aliquo tempore cessaverunt, Rege tamen Castellæ in omnibus prævalente, et de regno alterius castra et plurima occupante; sed tamen nec sibi, nec filio, sed nepoti Fernando omnia acquirebat.

(a) Al. *connubium.*

De actibus Aldefonsi Regis Legionensis.

CAP. XXV.

Verum in senectute positus Rex Legionis, actus suos Domino dedicavit, et Arabibus movit guerram, et obtinuit ab eis Montem angii, Emeritam, Badallocium, Alcantaram, atque Canceres. Populavit etiam Salvam leonem, Salvam terram, et Sabucale, et alia plurima loca, per quæ regni terminos ampliavit: et conflixit etiam cum [b] Auhenhuc, industrio Sarraceno, qui nuper expulsis Almohadis, [c] Vovandaliæ usurpaverat monarchiam. Sed bello subactus, Aldefonso Regi prope Emeritam dedit terga, et victa Emerita, dedit manus. [d] Mortuus est autem in Villanova de Sarria Æra MCCLXVIII, et in Ecclesia beati Iacobi requiescit, et reliquit duas fi- Æ. 1268.

(b) Al. *Abenhut.*

(c) Tol. *Vandaliæ.*

(d) In Tol. desunt quæ sequuntur usque ad finem capitis.

Digitized by Google

filias, Sanciam atque Dulcem, quibus etiam successionem regni legavit. Sed quia omnes regni nobiles tam de civibus, quam de aliis, olim filio suo Fernando iuraverant, non potuerunt regnum filiæ obtinere. Sed aliquantis discidiis procuratis, et civitatibus et nobilibus in varia studia separatis, nobilis Verengaria Regina Castellæ interposuit [e] artes suas, et sic omnes gratiæ sollertia dulcoravit, quod licet Infantes quamplurimos fautores haberent, et munitiones et castra quamplurima in omnibus fere regni finibus possiderent, ad hoc Infantes et matrem eorum Reginam Tarasiam necessitate induxit, ut eius gratiæ se sponderent. Unde paternæ largitatis in omnibus imitatrix, curialitate sua, ut [f] Infantibus quoad viverent, magnos reditus fecit à filio assignari, et sic obtinuit pacifice regnum patris Æra MCCLXVIII.

(e) Tol. et Compl. *partes suas.*

(f) Tol. *Infantes coadiuvarent.* Al. legit *Infantibus suis quoad viverent.*

Æ. 1268.

De insignibus nobilis Aldefonsi, et captione Conchæ.

CAP. XXVI.

Nunc ad Aldefonsi [g] Regis historiam revertamur. Licet igitur fidelitate suorum regni perdita reparasset, tamen semper fuit à patruo infestatus. Post hæc Rex nobilis Aldefonsus guerram habuit cum avunculo suo Sancio Rege Navarræ, et evicit ab eo Lucronium, Navarretum, et Antilenam, Grannonem, Cæsareum, et Birvescam, et fere omnia usque Burgis, quæ idem avunculus in eius infantia occuparat. Post hæc orta est dissensio inter eum et Regem Aragonum Aldefonsum, et abstulit ei nobile castrum quod [h] Feriza nuncupatur, per industriam nobilis viri qui Nunio Sancii dicebatur, qui cepit castrum, et dedit illud nobili Regi Aldefonso. Post hæc autem virtute Altissimi roboratus, convertit manus ad infideles, ut bella fidei exerceret. In manu robusta vastavit eos, et in cordis magnificentia coegit eos: succendit ignibus civitates, et succidit viridaria deliciarum: replevit terram timore suo, conclusit Arabes adventu suo, destruxit munitiones insidiantium, et fidei terminos dilatavit: obsedit Concham, munimentum Arabum, et laboribus pluribus arctavit eos: extruxit in gyro plures machinas, nec die, nec nocte pepercit eis, et cibus et victus defecit ei, sed cor regium confortavit eum: neglexit delicias seducentes, et zelatus est nomen gloriæ: longanimitas sua glorificavit eum, et regalis constantia direxit eum, donec concluderet obsessos in arcto, et [i] hostis clementiam implorarent. Miserunt legatos ad Almohades, verba doloris ad gentem Arabiæ. Induratus auditor conclusit aures, et suum auxilium denegavit: timor belli confudit eum, et odor belli terruit eum: fama Regis conclusit mare, et nomen eius compescuit transeuntes, donec reddita est ei munitio Conchæ, et turres eius subditæ ei; rupes eius factæ sunt perviæ, et aspera eius in planities. Possedit [j] eam post labores multos, et extruxit eam in urbem regiam: posuit in ea cathedram fidei, et nomen præsulis exaltavit in ea: congregavit ibi diversos po-

(g) Compl *nobilis historiam revertamur.*

(h) Al. *Ferrica.*

(i) Al. *hostes.*

(j) Tol. et Al. *etiam.*

populos, et univit in populum magnitudinis: statuit in ea præsidium fortitudinis, et (k) Regiam decoris honestavit in ea: dedit ei aldeas subiectionis, et pascuis ubertatis deliciavit eam: ampliavit in alto muros eius, et vallavit eam munimine tuto: crevit in urbem multitudinis, et dilatata est in terminos populorum. Miratur eam antiquus incola, et in aspectu eius formidat Arabs: munitio eius in rupibus eius, et abundantia eius in decursibus fluviorum: gloria eius in Principe suo, et sanctimonia eius in cathedra dignitatis: deliciæ eius in pascuis gregum, et copia eius in pane et vino. Recole Concha dies Principis, et in memoria eius exhilara faciem: nomen eius in laudibus tuis, et gloria eius memoriale tuum: addidit protectionem terminis tuis, et dilatavit iurisdictionem cathedræ tuæ.

(k) Al. *regio decore honestavit eam.*

Item de magnalibus et piis operibus nobilis Aldefonsi.

CAP. XXVII.

Cepit Alarconem in rupibus sempiternis, et firmavit seras defensionis: aldeis multis dotavit illud, ut abundaret in eo incola fidei: constituit fortes in munimine, ut esset Arabibus via necis: deserta (l) Optæ replevit gentibus, et in via tutatus est habitatores: Alcarias rupium domuit populis, et duritiam ilicis convertit in vias. In (m) Uclesio statuit caput ordinis, et opus eorum ensis defensionis: persecutor Arabum moratur ibi, et incola eius defensor fidei: vox laudantium auditur ibi, et iubilus desiderii hilarescit ibi: rubet ensis sanguine Arabum, et ardet fides caritate mentium: execratio est cultori dæmonum, et vita honoris credentium in Deum. Ripam Tagi replevit habitatoribus, et incolis defensionis saltus Ocaniæ: obtulit Excelso terram illam, et militiæ Sancti Iacobi dedicavit eam: rupes Aureliæ univit ei, et præsidium Moræ subiecit illi, ut dedicaret terram sanctimoniæ, et particeps fieret religionis. Desiderabilis Sancius pater eius dedit Fiterio Calatravam, Aldefonsus nobilis consummator eorum: suscepit militiam (n) contemplatio, et egressus fratrum à Fiterio. Rex Aldefonsus educavit eos, et possessionibus pluribus ditavit eos: Zuritam, et Almochariam, Maquedam, Acecham, et Cuculutum obtulit eis, et sustulit sarcinam paupertatis, et superaddidit divitias competentes: multiplicatio eorum (o) corona Principis: qui laudabant in psalmis, accincti sunt ense, et qui gemebant orantes ad defensionem patriæ, victus tenuis pastus eorum, et asperitas lanæ tegumentum eorum: disciplina assidua probat eos, et cultus silentii comitatur eos: frequens genuflexio humiliat eos, et nocturna vigilia macerat eos: devota oratio erudit illos, et continuus labor exercet eos. Alter alterius observat semitas, et frater fratrem ad disciplinam.

(l) Tol. et Al. *opte replevit.*

(m) Al. *Vilesio.*

(n) Al. *contemplando, et egressus fratrum à Fiterio Rex Aldefonsus.*

(o) Compl. et Al. *gloria Regis, et disciplina eorum corona Principis: qui laudabant.*

De populatione Placentiæ, et exercitu Martini Primatis.

CAP. XXVIII.

Convertit manum ad novitatem

operum, et ædificavit de novo civitatem gloriæ: statuit in ea præsidium patriæ, et nomen eius vocavit Placentiam: convocavit populos in urbem novam, et exaltavit ibi tiaram Pontificis: sacerdotio legis [p] ornavit eam, et dilatavit terminos ensis sui. Toletanam urbem vallavit castris, et territorium eius replevit populis: in [q] diœcesi eius extruxit oppida, et religionem fidei locavit in eis: magnificentiæ suæ addidit opus, et ædificavit Alarcuris vallem sanguinis: iudicia Dei abyssus multa, et ignota filiis hominum: iudicium Dei super opera eius, et sententia cœli in agmen illius: commovit arma in Regem Africæ, et provocavit cito gentem Arabiæ: populus eius instauravit acies, et arma potentiæ direxit in Mauros: exercitus eius transivit Bætim, et dux eius præsul Toleti. Magnates regni in consiliis præsulis, et exercitus omnis sub præsule dignitatis: nomen eius Martinus Magnus, et genus eius à Pisorica: honor gentis vita eius, et stola eius diadema Ecclesiæ: sapientia eius pax multorum, et lingua eius informatio disciplinæ: manus eius ad subsidium pauperum, et cor eius ad compassionem humilium: cingulum eius zelus fidei, et arma eius ad persecutionem blasphemiæ. Agmen omne ad nutum illius, sanguis Arabum in conspectu illius. Regio Bætica flammis succenditur, et factum præsulis prosperatur. Processit enim per castra Bæticæ, terras et oppida succendendo; feliciter autem ad propria est reversus.

(p) Al. *ordinavit eam.* Tol. *ornavit tiaram.*

(q) Compl. hic et sæpius *diocesi.*

De bello Alarcuris.

CAP. XXIX.

Subsannavit [r] eum blasphemia Africæ, et incanduit ira Arabum. Ioseph Mazemutus regnabat in Africa, et genus Almohadum caput gentis. Surrexit Princeps in multitudine magna, et variis vocibus replevit campestria: Parthus, Arabs, Afer, Ætiops, Almohat, et de claris montibus [s] exercitus eius, et [t] Vandalus Bæticæ ad nutum illius: transivit Tyrrhenum in stricto Hispalis, et undas maris calcavit trieribus. Exercitus eius innumerabilis, multitudo illius ut arena maris. Applicatio eius ad Hispalensem metropolim, et processus illius ad campestria Cordubæ: firmavit vultum versus Alarcuris, et faciem indignationis ad regnum Toleti: plana Tolosæ nudavit pascuis, et scopulorum semitas ampliavit ungulis: transivit montis supercilia, et in multitudine nimia siccavit rivos: fama volatilis perfudit sæcula, et celer rumor pulsavit Hispaniam: in auditu nuncii lætati sunt multi, et adventus hostium provocavit plurimos: ignorat homo viam Altissimi, et filii Adæ consilia Celsi. Cumque congressi fuissent exercitus, succubuit exercitus christianus, et nobilis Rex à suis violenter eductus à bello, suorum industria est salvatus; licet ipse mori potius eligeret, quam salvari: obtinuit etiam Agarenus [u] post prœlium quædam castra. Hoc est bellum Alarcuris, quod fuit Æra MCCXXXIII, quindecimo calendas Augusti, sedente Cælestino Papa tertio. Æ. 1233.

(r) Compl. *ei.*

(s) Tol. et Compl. *in exercitu eius.*

(t) Compl. *Valdalus.* Tol. *Valdus.*

(u) Al. *post victoriam.*

De

Digitized by Google

De discidio Regum Legionensis et Navarræ à Rege Aldefonso nobili.

CAP. XXX.

Cum autem Aldefonsus Rex Legionis, et Sancius Rex Navarræ venire [x] in auxilium ad bellum Alarcuris simulassent, et iam ad regni Castellæ confinia pervenissent, audito quod in prædicto bello non bene successerat, à proposito destiterunt, et Rex Navarræ qui iam ad regnum Castellæ pervenerat, retrocessit. Rex Legionis pervenit Toletum, ubi paucis diebus cum Rege nobili commoratus, ad terram rediit Legionis, et post modicum temporis intervallum ambo regnum Castellæ hostiliter invaserunt. Sed Rex Legionis Arabibus fœdere sociatus, multis ex eis secum adscitis, regnum Castellæ per campos Gothicos est ingressus, diruens, diripiens, et devastans; et Rex Navarræ ex alia parte devastans Soriam et Almazanum, cædes et incendia exercebat. [y] Ex alia parte contra Toletum Rex Almohadum, dictus Iucef, anno secundo obsedit Toletum, deinde [z] Maieritum, et Alcalam, Optam, et Concham, et Uclesium, et deinde per Alcaratium est reversus, vastatis omnibus et destructis quæ extra murorum ambitum sunt inventa. Rex autem nobilis Aldefonsus fœderato sibi fideli amico Petro Rege qui in Aragonia tunc regnabat, terram ingressus est Legionis, et obtinuit plura castra, scilicet [a] Bollanos, Vallem Arearum, Castrum viride, Coiancam (quæ mutato nomine Valentia nuncupatur) Carpium, et Paradinas. Et plurimis prædis actis, et cædibus perpetratis, effugatis etiam Agarenis quos Rex Legionis secum duxerat, ambo ad propria redierunt. Tertio autem anno Rex Almohadum de quo diximus, iterum veniens, obsedit Toletum, Maquedam, et [b] Talaveram, sed nullam earum potuit obtinere; evertit tamen Sanctam Eulaliam, et alia loca quæ munitione carebant: et inde procedens, cepit Placentiam, Sanctam crucem, Montem angii, et Turgellum; et inde cum fastu et superbia ad propria est reversus. Tunc temporis Rex Castellæ et Rex Aragonum iuxta Abulam in monte [c] Palumbaria morabantur. Reverso autem Agareno ad propria, ex monte [d] Palumbaria ambo Reges contra Regem Legionis pariter processerunt, et obtinuerunt castrum Legionis, et Ardon, et castrum Gundisalvi, et castrum terræ, et Albam de aliste, et usque ad Astoricam cuncta cædibus et incendio vastaverunt; et inde per partes Alvæ et Salmanticæ venientes, omnia exterminio consumpserunt, et Montem regalem, castrum nobile, occuparunt: inde ad propria remearunt. Sed Rex nobilis Aldefonsus dignum iudicans furori cedere venienti, ad tempus cum Rege Arabum fecit treguam, ut posset tutius vicinis Regibus obviare.

(x) Compl. *in eius auxilium.*

(y) Tol. et Al. *Ex illa parte.*

(z) Compl. *Mageritum.*

(a) Compl. et Al. *Bollanios.* Al. *Ballanios.*

(b) Tol. *Talaveram.*

(c) Al. *qui Palubacio dicitur.*

(d) Al. *Palumbario.*

Quod Rex Aldefonsus nobilis dedit filiam suam in uxorem Regi Legionensi.

CAP. XXXI.

Cumque proponeret Regem Legio-

gionis truciori dispendio infestare, quidam guerræ periculum pavescentes, familiari consilio procurarunt, ut Rex Legionensis peteret à Rege Castellæ filiam suam Berengariam in uxorem. Et licet Rex nobilis hoc respueret, eo quod ipse et Rex Legionensis consanguinitatis linea essent vincti, Alienor Regina uxor nobilis Aldefonsi, cum esset prudentissima, sagaci providentia et sollerter rerum pericula attendebat, quibus per coniunctionem huiusmodi poterat [e] obviari; et Regi Legionis vallem Oleti cum suis magnatibus venienti dedit prædictam filiam in uxorem, et propter nuptias datis donationibus quæ tantæ dominæ competebant, et nuptiis sollemniter celebratis, traduxit eam in regnum suum. Rex autem Castellæ nobilis Aldefonsus omnia quæ abstulerat, nunc genero, olim hosti, dedit filiæ suæ nuptæ. Et sic pace quasi cum filio reformata, à vastationibus quieverunt.

(e) Tol. et Al. *obviare.*

De captione Victoriæ, [f] *Guipuscuæ, et Ibidæ.*

(f) Al. *Guipuschuæ.*

CAP. XXXII.

Post [g] hoc Rex nobilis Aldefonsus volens Regis Navarræ iniurias vindicare, cum Rege Aragonum fideli amico congregavit exercitum in Navarram, et obtinuerunt Ruchoniam et [h] Aivare, quæ Regi Aragonum provenerunt. Obtinuerunt etiam Inzuram et Mirandam, quæ Regi nobili remanserunt. Et sic uterque Regum, patratis variis vastationibus, ad propria est reversus. Iterum autem Rex Castellæ nobilis Aldefonsus cœpit Ibidam et Alavam infestare, et obsidione diutina Victoriam impugnavit. Interim autem Sancius Rex Navarræ, fortis viribus, armis strenuus, sed voluntate propria obstinatus, regno discrimini derelicto, cum paucis magnatibus migrationis comitibus ad Arabes transmigravit, et eis aliquandiu commorans, nuncios quos ad [i] Miramomeninum trans Tyrrhenum transmiserat, expectavit. Quibus pecunias et donaria reducentibus, Rex nihilominus deductionis causa peragrans Arabum civitates, et in eorum patria morabatur. Interim autem obsessi Victoriæ pugnis et laboribus fatigati, et defectu victualium macerati, in deditionis periculum inciderunt. Sed venerabilis Garsias Pampilonensis Episcopus, [j] liberalitatis studio gratiosus, cum famis periculum comperisset, ad Regem Sancium in terram Arabum cum obsessorum aliquo festinavit, qui, rei exposita veritate, à Rege obtinuit, ut Regi Castellæ Victoria [k] traderetur. Qui rediens tempore constituto cum eo milite [l] quem obsessi Victoriæ destinarant, Regis Sancii mandatum exposuit, ut Regi Castellæ Victoria redderetur. Obtinuit itaque Rex nobilis Aldefonsus Victoriam, Ibidam, Alavam, et Guipuscuam, et earum terrarum munitiones et castra, præter Trevennium quod fuit postea commutatione [m] Inzuræ datum sibi. Mirandam etiam dedit commutatione simili pro Portella. Sanctum Sebastianum, [n] Fontem Rapidum, [o] Beloagam, [p] Zeguitagui, Aircorroz, Asluceam, Arzorociam, Victoriam veterem, Ma-

(g) Compl. *hac.*

(h) Al. *Abivare.*

(i) Compl. *Amiramomeninum.*

(j) Tol. et Al. *libertatis studio.*

(k) Al. *redderetur.*

(l) Tol. et Al. *quoniam obsessi.*

(m) Tol. *Incuræ.*

(n) Tol. *Fontem rapitum.*

(o) Tol. non habet *Beloagam.*

(p) Compl *Zegiutagum, Ayzcorroz, Ayzluzeam, Ayzorozium, Victoriam veterem.* Al. *Zeguitati, Asluciam, Aicorroziam, Victoriam veterem, Muraimonem.*

Digitized by Google

(q) Compl. *Athagum.*

Maranionem, Aussam, [q] Athavit, Iruritam, et Sanctum Vincentium acquisivit. Verum Rex Navarræ rediit onustus muneribus Agareni, sed exoneratus prædictis omnibus et honore.

(r) Tol. et Al. *Castellæ.*

De discidio Didaci Lupi, et obsidione [r] Stellæ, et ædificatione monasterii regalis.

CAP. XXXIII.

His igitur consummatis, Didacus Lupi, Biscagiæ dominus, qui inter omnes magnates Hispaniæ præcipuus habebatur, à voluntate Regis nobilis familiari discidio discordavit. Unde feuda quæ tenebat, restituens, ad Regem se transtulit Navarrorum; indeque bellis et incursationibus frequenter insistens, damna plurima intulit Castellanis. Sed Rex nobilis Aldefonsus iniuriarum impatiens, adscito sibi genero suo Rege Legionis, fines ingressus est Navarrorum. Cumque Stellam nobilissimum [s] oppidum obsedissent, Didacus Lupi ex Biscagia, qui erat in oppido cum multis nobilibus Castellanis impugnantibus, [t] restitit violenter, et inter obices vinearum intercesserunt cædes et pericula prœliorum. Sed quia oppidum sui munitione vires impugnantium minorabat, nec spes victoriæ animos protrahebat, Reges ab obsidione oppidi recesserunt, et vastatione in circuitu damnosa incolis consummata, Reges ad propria redierunt. Postea autem inter Regem Castellæ et Regem Navarræ et Regem Legionis tregua per intervallum temporis intervenit. Rex enim nobilis Aldefonsus bellum de Alarcuris corde altissimo reponebat. Sed ut Altissimo complaceret, prope Burgis ad instantiam serenissimæ uxoris suæ Alienor Reginæ monasterium dominarum Cisterciensis ordinis ædificavit, et nobilissimis fabricis exaltavit, et multis reditibus et possessionibus variis sic dotavit, ut virgines sanctæ, Deo dicatæ, quæ ibi die ac nocte laudabiliter Deo psallunt, nec inopiam sentiant nec defectum, sed structuris, claustro, et Ecclesia, et ceteris ædificiis [u] regaliter consummatis, expertes sollicitudinis, in contemplatione et laudibus iugiter delectentur.

(s) Compl. et Al. *oppidum Navarrorum virtute maxima obsedissent.*

(t) Tol. *resistit.*

(u) Tol. et Al *regulariter.*

De constructione hospitalis, et institutione scholarum, et acquisitione Vasconiæ.

CAP. XXXIIII.

Construxit etiam hospitale iuxta monasterium ædificiis et domibus mirabiliter decoratum, quod tantis divitiis dilatavit, ut omnibus peregrinis, nullo patiente repulsam, omnibus horis diei necessaria ministrentur, et omnibus volentibus pernoctare lecti mirabilis apparatus continue præparentur. Infirmis autem usque ad mortem, vel restitutionem pristinæ sanitatis, per manus mulierum misericordium et virorum omnia necessaria erogantur, adeo ut opera pietatis in eodem hospitali quasi in speculo possit quilibet contemplari, et qui in vita propter excellentiam operum ab omnibus meruit collaudari, post mortem, multiplicatis intercessoribus, merebitur à Do-

Digitized by Google

(x) Tol. et Al. *fasciis.* Domino coronari. Sed ne [x] fascis charismatum quæ in eum à Sancto Spiritu confluxerunt, virtute aliqua fraudaretur, sapientes à Galliis et Italia [y] convocavit, ut sapientiæ disciplina à regno suo numquam abesset, et magistros omnium facultatum Palentiæ congregavit, quibus et magna stipendia est largitus, ut omni studium cupienti quasi manna in os aliquando influeret sapientia cuiuslibet facultatis. Et licet hoc fuit studium interruptum, tamen per Dei gratiam adhuc durat. Et postquam fere totam Vasconiam, præter Burdegalam, Regulam, et Vaionam, suæ subdiderat ditioni, finito termino treguarum quas cum Amiramomenino ad tempus inierat, postquam [z] et Moiam populaverat, idem Rex nobilis pro fide Christi mori desiderans, præteritum dedecus, licet prudenter, non tamen æquanimiter tolerabat. Et quia semper magnalibus inhiabat, noluit treguam ulterius protelari, sed strenuitatis proposito, et zelo fidei animatus, in nomine Domini movit guerram.

(y) Al. *collocavit.*

(z) Al. *etiam Moiam populavit.*

De captione Salvæ terræ.

CAP. XXXV.

[a] Quare nunciis incipientibus, inchoata est pugna inter Regem nobilem et Agarenos. [b] Post vastationem autem aliquam factam à nostris in terra Beatiæ, Endugari, et [c] Giennii, filius prædicti Regis Agarenorum, Mahomat nomine, collecto gentium suarum exercitu, castrametatus est in circuitu Salvæ terræ. Cumque eam fere tribus mensibus obsedisset, diversisque machinis impugnasset, multis de iis qui erant in castro, occisis, plerisque vulneratis, turribus et muro fere dirutis, de obsessis pluribus siti et impugnationibus interemptis, ad ultimum castrum occupatum est in opprobrium fidei christianæ, Æra MCCXL[d]VIII, mense Septembri. Castrum illud castrum salutis, et deperditio eius ademptio gloriæ. Super ipsum fleverunt populi, et solverunt vincula brachiorum: zelus illius excitavit omnes, et fama eius conspersit plurimos: in auditu eius surrexerunt iuvenes, et in zelo eius amaricati sunt senes: dolor illius ad gentes exteras, et compassio eius ad æmulantes. Eo tempore Adefonsus nobilis exercitum suum congregaverat circa confinia Talaveræ, et cum vellet dubiæ sorti belli se committere, præcipue ad instantiam filii sui primogeniti Fernandi, maturiori usus consilio, mandavit in sequentem annum belli dubia prorogari: utilior est enim dilata opportunitas, quam audaciæ præceps temeritas.

(a) Compl. et Al. *Prænuntiis autem incipientibus.*

(b) Al. *Post vastationes autem aliquas factas.*

(c) Al. *Giemini.*

Æ. 1248.

(d) Tol. et Compl. *IX.*

De condicto bello, et morte Infantis Fernandi.

CAP. XXXVI.

Agarenus autem adeptus præsidium Salvæ terræ, cum magna superbia ad propria est reversus. Adefonsus vero Rex nobilis, habito cum Archiepiscopo, Episcopis, et magnatibus consilio diligenti, ore eius, universis acclamantibus, est prolatum, melius esse in bello volun-

luntatem cœli sub discrimine experiri, quam videre mala patriæ et Sanctorum. Fecitque edictum per omnes provincias regni sui, ut milites et pedites, relictis superfluis vestium et aurificii et ornatus cuiuslibet, quæ ad rem non pertinent, armis utilibus se munirent, et qui prius in superfluis displicebant, nunc in necessariis et utilibus Altissimo complacerent. Omnes autem à minimo usque ad maximum voluntati regiæ paruerunt, ad hæc omnia dulcissimo Fernando filio primogenito nobilis Aldefonsi competentem suæ modestiæ operam impendente, qui eodem tempore febri correptus, finivit vitam, antequam belli terminus advenisset. In cuius morte fletus patriæ, luctus inconsolabilis genitori, quia in ipsum tamquam in vitæ speculum contemplabatur; erat enim spectatio populorum. Sic enim eum Dominus honestaverat, ut etiam ab omnibus amaretur, et quod ætas in adolescentibus non permittit, iam in ipso gratia dispensabat. Obiit itaque in oppido [e] Magerito in diœcesi Toletana, mense Octobri, Æra

Æ. 1249.

MCCXLIX, vacuus dierum, plenus gratia et virtute. Sepultus est in monasterio Sanctæ Mariæ Regalis prope Burgis à Roderico Toletano Pontifice, et multis [f] Episcopis, et magnatibus sæcularibus et religiosis, excellentissima sorore sua Berengaria Regina ad quam postea regnum Castellæ successione provenit, impendente liberaliter et decenter officia funeris et honoris et gemitus doloris: ubi virtutum eius sic plenitudo claruit, ut eius prudentia devoti sexus excederet pietatem, et eleemosynarum largitio Principum largitates. [g] Etiam pudica modestia inconsolabili luctui solatia procabatur, ut exinde famæ eius dulcorata suavitas in augmentum cresceret et dulcorem. Religionum et pauperum, et quorum titulos pauperies incrustabat, toto tempore vitæ suæ subventrix extitit et levatrix, præter opera magnifica quæ, regnante suo filio, mirifice claruerunt. Verum nobilis pater consolationem de morte filii nisi in magnalibus non admittens, collecto suorum exercitu, per ripam fluvii qui Sucaris dicitur, terram aggreditur Sarraceni, et obsedit castrum quod dicitur Alcala, et cepit illud, et [h] Surcariam, et Garadem, et Cubas, in quibus multi Agarenorum capti, multa etiam spolia sunt inventa; quibus occupatis, et munitis utiliter, feliciter ad propria est reversus, urgente instantia hiemali.

(e) Al. ut supra *Madrito.*

(f) Compl. *Coepiscopis.*

(g) Compl. *Curialitatis etiam pudica.*

(h) Tol. *Surcatiam.*

Digitized by Google

LIBER OCTAVUS.

De adventu Regum ad urbem [i] regiam.

CAP. I.

[j] Vertente autem anno, eo tempore quo solent Reges ad bella procedere, ab Aldefonso nobili [k] citatis gentibus, congregatis armis, victualibus [l] comportatis, necnon et omnium cordibus ad bellum erectis, factus est [m] occursus omnium apud Toletum, quæ sola potuit sui opulentia omnium necessitatibus non deesse. Interim, Roderico eiusdem urbis Pontifice et ceteris nunciis propter opus simile destinatis, [n] à diversis partibus redierunt. Et cœpit urbs regia repleri populis, abundare necessariis, insigniri armis, diversificari linguis, variari cultibus. Nam zelo belli ex omnibus fere Europæ partibus ad eam diversarum nationum varietas concurrebat. Nec erat qui posset alicuius rei causari defectum, cum et ipsa civitas sui abundantia occurreret, et prodiga manus nobilis Principis omnibus ad omnia necessaria ministraret. Concursus autem venientium à mense Februario particularis incepit, et multiplicationis paulatim incrementa suscipiens, per totum vernum tempus et amplius crevit turbarum [o] multitudine copiosa. Et quia diversarum nationum varietas diversitate morum, linguarum, et cultuum discrepabant, de voluntate Principis in eadem urbe eiusdem urbis Pontifex morabatur, ut dissidentium varietas per eius industriam sedaretur. Et sic factum est per omnipotentis Dei gratiam, qui solo nutu omnia disponebat, ut nulla seditio, nulla perturbatio exorta fuerit, quæ potuerit belli negotium impedire; licet per hostem humani generis fuerit sæpius attentatum. Et quia de die in diem crescebat numerus stigmata Domini in corpore suo portantium, ne intra urbis angustias arctarentur, Rex nobilis volens eorum commodis providere, extra urbem circa fluenta Tagi deliciosa viridaria, quæ ob regiæ gravitatis recreandam maiestatem coalita fuerant, eis exposuit, ut sub umbraculis arborum æstus iniurias evitarent; ibique ex fructiferis arboribus constructis tabernaculis, usque in diem processus ad bellum in Regis sumptibus permanserunt. Octavo itaque die post festum quo Christiana religio Pentecostem celebrat, Petrus Rex Aragonum, nobilis Aldefonsi fidelis amicus, secundum fœdus apud Concham initum, dietis plus fastu regio festinatis, die præfixa venit Toletum, ubi à Pontifice et toto clero processionaliter est receptus; ibique in viridario [p] regio fixis tentoriis, gentis suæ præstolabatur adventum.

(i) Tol. *Regum.*

(j) Tol. *Factum est autem eo tempore.* Compl. *Factum est autem, anno vertente, eo tempore.*

(k) Al. *cunctis.*

(l) Al. *portatis.*

(m) Compl. et Al. *concursus.*

(n) Tol. et Al. *adversis partibus.*

(o) Al. *multitudo.*

(p) Al. *Regis.*

De

Digitized by Google

De adventu ultramontanorum ad bellum.

CAP. II.

Cœperunt etiam venire magnates de partibus Galliarum, Burdegalensis, [q] et Nanatensis Episcopus, multique Barones de eisdem partibus, et Italia. Convenerunt et simplices milites, necnon et de pedestri ordine plurima multitudo. Advenit etiam venerabilis Arnaldus, qui aliquando [r] sollicitudine Cistercii functus, tunc regebat Ecclesiam Narbonensem. Hic paulo ante, æmulatione legis catholicæ provocatus, contra quosdam qui in Narbonensi et vicinis provinciis blasphemare nomen Domini et Ecclesiam ore nefario præsumpserunt, corda fidelium excitavit, ut signo crucis contra hæreticorum versutias armarentur. Et sic factum est per Dei gratiam, quod ubi contempta prædicatio non profecit, falce crucis putatis hæresibus, fides catholica de die in diem feliciter [s] coalescit; et destructis [t] Biteriis, et Carcassona, blasphemantium [u] sanguis ultrici gladio et flamma est con-
Æ. 1246. sumptus Æra MCCXLVI. Hic itaque Pontifex cum multitudine citerioris Galliæ vasis belligeris, signis, et armis honesta, urbem ingressus est Toletanam, in qua decenter à nobili Rege et eiusdem urbis præsule est receptus. Convenerunt etiam ad eamdem urbem plerique milites de partibus Portugallis, peditum vero copiosa multitudo, qui mira agilitate expeditionis onera facile sustinebant, et [x] audaci impetu impetebant.

(q) Al. *Archiepiscopus, et Nanatensis.* Al. habet *Narniensis.*

(r) Al. *aliquandiu sollicitudine Cistercienſi functus.* Compl. et Al. pro *Cistercienſi* legunt *Sistertii.*

(s) Al. *convalescit.*

(t) Al. *Bituris.* Compl. *Biterris.*

(u) Tol. et Al. *sanguine et vorace flamma, et ultrici gladio est consumptus.*

(x) Al. *audaci temeritate et impetu.*

De concursu Pontificum et magnatum Hispaniæ ad congressum.

CAP. III.

Ad hæc magnates Regis Aragonum, strenuitate incliti, apparatu insignes, armis et equis honesti, Toletum ad exercitum pervenerunt, inter quos fuerunt Garsias Romerii, Eximinus Cornelii, Michael de Lusia, [y] Aznarius Pardi, Guillermus de Cervaria, Comes Empurensis, Raimundus Fulconis, Guillermus de Cardona, et multi alii Principes, et Barones, et simplices milites, necnon ballistariorum et peditum copia gratiosa. Aderat in urbe regia cum nobili Rege magnatum suorum generosa societas, nobilitate, strenuitate, et multitudine approbanda, quos sic et morum elegantia, et curialitatis prærogativa, et strenuitatis supereminentia venustaverat, ut et in oculis hostium non solum terribiles, verum digni honoribus apparerent. Civitatum vero et oppidorum concilia sic copiosis phalangibus, et equis, et armis, et vehiculis, et victualibus, et omnibus ad bellum necessariis præmunita venerunt, [z] ut non esset inter eos qui aliquo indigeret, immo sua aliis liberaliter communicarent. Quamvis vero in oppidis et civitatibus sub uno degant Principis regimine, tamen à suæ principio gentis, et armorum [a] usum, et militaris dignitatis insignia habuerunt, et militare nomen sortiti sunt ab antiquo. Multa etiam contra Sarracenos et contra Christianos ipsi et eorum parentes decenter exer-

(y) Tol. *Azanarius Pardi.*

(z) Al. *ut non essent inter eos, qui aliquo indigerent.*

(a) Tol. et Al. *etiam et militaris.*

cuerunt. Fuerunt etiam ibi Pontifices qui se et sua, prout Deus dedit, in sumptibus et laboribus devote pro fidei negotio impenderunt, in sollicitudinibus vigiles, in officiis devoti, in consiliis providi, in necessitatibus largi, in exhortationibus seduli, in periculis strenui, in laboribus patientes. De regno Castellæ Rodericus Archiepiscopus Toletanus, Tellius Palentinus Episcopus, Rodericus Segontinensis, Menendus Oxomensis, Petrus Abulensis. De regno Aragonum Garsias Tyrasonensis, Berengarius Barcinonensis electus. De sæculari vero militia regni Castellæ Didacus Lupi de Pharo, Comes Fernandus de Lara, Comes Alvarus, et Comes Gundisalvus frater eius, Lupus Didaci de Pharo, Rodericus Didaci de [b] Camberis, Gunsalvus Roderici, et [c] frater eius, et multi alii nobiles, et magni, et strenui, quorum nomina longum esset enumerare. Fuerunt etiam fratres Calatravæ sub uno militiæ suæ magistro Roderico Didaci (grata Deo et hominibus fraterna societas): fratres militiæ templi sub uno magistro Gomitio Ramiri, qui post bellum feliciter expiravit. Hi sunt qui primi in novo testamento, signo crucis suscepto, superbiæ militaris fastum, strenuitate servata, caritatis et religionis vinculo arctaverunt. Fratres etiam militiæ hospitalis, qui fraternitatis caritati insistentes devote, zelo fidei et Terræ sanctæ necessitate accensi, defensionis gladium assumpserunt. Hi sub uno priore Guterrio Ermegildi. Fratres etiam militiæ Sancti Iacobi sub uno magistro Petro [d] Ariæ. Hi in partibus Hispaniæ multa opera militiæ decenter egerunt. Multi etiam christianæ religionis diversorum votorum et professionum, zelo et compassione [e] moti, insigniti signaculo [f] sanctæ crucis, inibi convenerunt.

(b) Al. *de Carrione.*

(c) Al. *fratres eius.*

(d) Tol. et Compl. *Ave.*

(e) Compl. et Tol. *moniti.*

(f) Al. *sanctæ crucis.*

De prærogativa virtutum et largitatis nobilis Aldefonsi.

CAP. IIII.

Licet [g] autem tam diversa, tam varia, tam extranea multitudo non esset facilis ad regendum etiam patienti, nobilis tamen Rex magnanimitate sua omnia pacifice [h] regebat, omnia æquanimiter et [i] tranquille tolerabat, ita ut tædium in virtutem mutaret, cum vultu hilari tædium superaret. Irreverenter prolata reverenti responso in reverentiam convertebat, ambitionis loquacem tristitiam larga manu in lætam facundiam commutabat, curiali applausu fastibus militaribus occurrebat, regalium morum gravitate servata. Id in ipso operabatur benignitas, ut præexcellentia videretur æqualitas: sapientia gravitate conspersa sic omnia [j] muniebat, ut his fieret eius curialitas in suspirium, et strenuitas in exemplum, ita quod de eo dici posset: Hic virtutis habet plus, quam possedimus omnes. Adolescentes, iuvenes, et quos virilis ætatis robur perfuderat, senes, et decrepiti, quid laudare, quid appetere si facultas suppeteret, quid mirari, quid diligere repererunt: eius industriam in agendis stupore attoniti mirabantur, quem doni et dati perfectio sic perfecit, ut

(g) Al. *enim.*

(h) In Compl. deest *regebat.*

(i) Al. *omnia tranquille tolerabat.*

(j) Tol. et Compl. *miniabat.*

Digitized by Google

ut gratiæ et naturæ charismatibus abundaret, adeo ut mundi circulus fateatur Aldefonsum nobilem Hispaniæ se debere. Iuvenes, et adolescentes, (k) quos avorum nobilitas præsentabat, præficiebat titulo militari, ut quos nondum propriæ virtutis extulerat gloria, et creantis manus et parentum magnalia magnalibus obligarent. Hos sic equorum tuta firmabat magnanimitate, armorum copiosa securitate, vestium speciosa varietate, ut in ipso invenirent et dominum quem diligerent, et munificum quem laudarent. Et quamvis diversus esset ritus alienigenarum, et in moribus ab indigenis dissiderent, quia mores omnes virtus magistra diiudicat, potuit omnibus satisfacere, qui virtutes omnium in se potuit conservare, et quasi non unius patriæ incola, sic mores omnium in se scivit assumere, ut nulli videretur à suis moribus dissidere. De largitate autem eius, quis loqui præsumeret? Cum id in ipso modicum fuerit, quod in aliis vix poterat reperiri. Sic enim ab infantia largitatem servavit, ut oblivisci non potuerit quod de matris utero secum traxit. Sic omnia largitatis suæ privilegio confirmavit, ut ore omnium promulgata sententia, omnibus munificis silentio imposito, prærogativam munificentiæ sententialiter obtineret. Et licet magnis magnifice distribueret, manum à minoribus non retraxit. Cum enim essent ultramontani plusquam decem millia equitum, et centum millia peditum, (l) unicuique militi dabantur omni die viginti solidi usuales, pediti vero quinque solidi: mulieres, parvuli, debiles, et ceteri ad bellum inepti non erant ab hac gratia alieni. Hæc erant quæ in communi et publice donabantur, præter donaria privata, quæ sui quantitate hunc numerum excedebant, quæ magnatibus non diurna distributione, sed potiori summa per nobilis Regis nuncios mittebantur. His muneribus cumulabatur equorum (m) numerosa generositas, parvulorum iucunda varietas, quæ omnia tenacitatis curva severitas vultu propitio non poterat intueri. His autem omnibus si iungantur Regibus oblata donaria, suis distributa stipendia, plus modus dantis et hilaritas meruit, quam his omnibus emi (n) posset. Et ad hæc omnia, ne gens alienigena expeditionis omnibus indigeret, omnibus tentoria et eorum vehicula est largitus. Addidit etiam gratiam gratiæ, et cibariorum vehicula cum ceteris necessariis sexaginta millia summas et ultra cum summariis erogavit.

(k) Tol. et Al. *quorum.*

(l) Tol. non habet *unicuique militi.*

(m) Al. *innumerosa generositas.*

(n) Compl. *possit.*

De processu ad bellum, et captione Malachonis.

CAP. V.

(o) Satisfacto itaque omnibus per omnia, duodecimo calendas Iulii exercitus Domini ab urbe regia est profectus: ultramontani per se, dato eis pro duce Didaco Lupi de Pharo: Petrus strenuus Rex Aragonum cum suis: (p) Aldefonsus nobilis cum suis. Et licet separatim procederent, modicum tamen spatium exercitus dividebat. Primo die castrametati sunt iuxta alveum (q) Guadararaz: secundo iuxta Guada-

(o) Tol. in ora *patefacto.*

(p) In Tol. MS. deest *Aldefonsus nobilis cum suis.*

(q) Compl. *Guadaxaraz.* Al. *Gradazaram.* Al. *Guadararaz.*

dacelèt : tertio iuxta Algodor. Ultramontani vero iuxta Daralferciam castra fixerunt. Et inde procedentes, obsederunt præsidium Malachonis, et signum in bonum divina gratia faciente, licet qui erant in arce satis viriliter se defenderent, instantia tamen ultramontanorum, quæ magna strenuitate fervebat, pro Christi nomine mori desiderans, virtutem resistentium et (r) munitionum præsidium in nomine Domini minoravit, cepitque Malachonem, omnibus qui inerant interfectis. Sequenti die exercitus Regum advenit, ibique substitit uno die, sed et aliquantulum victualia defecerunt; tamen occurrit industria Regis nobilis, et fecit exponi victualia copiose.

(r) Compl. *munitionis præsidium.*

De captione Calatravæ, et discessu ultramontanorum.

CAP. VI.

Inde igitur procedentes omnes pariter pervenimus Calatravam. Agareni autem qui inibi rebellabant, excogitaverunt tribulos ferreos fabricare, et per omnes transitus Anæ fluminis proiecerunt, et quattuor habentes aculeos, qualitercumque caderent uno eorum erecto, pedibus hominum et equorum ungulis (s) figebantur. Sed quia humana artificia contra Dei providentiam nihil valent, sic Deus voluit, ut paucissimi vel nulli fere illis tribulis læderentur; et gratiæ Dei manu supposita, transivimus flumen Anam, et castrametati fuimus in circuitu Calatravæ. Agareni autem oppidum illud sic in summitatibus turrium armis et vexillis et machinis munierant, ut volentibus impugnare satis difficile videretur. Præterea licet sit oppidum illud in plano, tamen ex una parte (t) muri eius per tactum fluminis inaccessibile invenitur: ex aliis partibus sic muro et antemurali, fossatis et turribus et propugnaculis est munitum, ut absque longa machinarum impugnatione inexpugnabile videretur. Erat autem ibi Agarenus quidam, nomine (u) Avencaliz, longa armorum assuefactione astutus, et bellorum exercitia frequenter expertus. De huius industria plus seipsis confidebat populus obsessorum, licet esset ibi in præsidio quidam Almohat, qui præsidii custodiæ præsidebat. Cumque in obsidione per dies aliquot moraremur, et Reges cum Principibus de impugnatione præsidii dubitarent, post longos tractatus placuit omnibus non relinquere oppidum intentatum, licet impugnatio difficilis videretur. Plerique autem melius iudicabant, cœpto itinere ad bellum procedere, quam impugnationibus castrorum insistere, præsertim cum in talibus et strenui periclitentur, et exercitus fatigetur, cum et ius acquisitionis et retentionis talium pendeat ex fine belli. Assumptis itaque armis, locisque oppidi specialiter (x) Regibus et Principibus assignatis, voce fidei elevata, (y) oppidum sunt aggressi. Sicque per Dei gratiam factum est, ut die Dominica post festum Sancti Pauli, expulsis Arabibus, fuit Calatrava Regi nobili restituta, quæ statim à fratribus qui dudum ibidem resederant, fuit munita, et christiano nomini re-

(s) Al. *figerentur.*

(t) Compl. *murus eius per tactum fluminis inaccessibilis.*

(u) Al. *Avencalis.*

(x) Compl. et Al. *regionibus et Principibus.*
(y) Al. *expugnaturi oppidum.*

Digitized by Google

redonata. Nobilis autem Rex de omnibus ibidem inventis nihil sibi retinuit, sed ultramontanis et Regi Aragonum cuncta [z] cessit. Sed quoniam humani generis inimicus non cessat christianis actibus invidere, misit Satan in exercitum caritatis, et corda æmulantium conturbavit, et qui ad certamen fidei se accinxerant, retrorsum à bono proposito abierunt. Omnes enim fere ultramontani communi proposito statuerunt, ut relictis crucis signaculis, omissis etiam belli laboribus, ad propria remearent. Rex autem nobilis suorum victualia compartitus, quantum necesse erat, omnibus est largitus. Sed nec sic [a] cœpta obstinatio potuit revocari. Immo passim omnes inglorii recesserunt, excepto venerabili Arnaldo Narbonensi Antistite, qui cum omnibus quos habere potuit, et multis nobilibus de provincia Viennensi, semper in bono constans, à bono proposito non recessit. Et erant circiter centum triginta milites, præter pedites, de quibus etiam aliqui remanserunt. Remansit etiam de partibus Pictaviæ Theobaldus de Blazon, homo nobilis et strenuus, et natione Hispanus, et genere Castellanus. Rex Aragonum cum omnibus suis usque ad finem permansit indissolubili dilectione Regi nobili fœderatus, et quia sicut dicit Salomon: *Si possides amicum, in tentatione posside illum*, hic probari potuit, quisque qualiter diligebat. Sed quoniam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum;* licet schismatis huius periculosus exitus timeretur, omnia tamen cœperunt de die in diem felicius prosperari. Recedentibus itaque his qui crucem Domini in angaria attulerunt, soli Hispani cum paucis ultramontanis superius nominatis proficisci cœperunt ad bellum Domini confidenter, et primo venerunt Alarcuris; ibique castrametati, municipium occuparunt, necnon et castella alia in vicino. In eadem mansione advenit Sancius Rex Navarræ, qui licet à principio simulasset nolle venire, cum ad discrimen perventum fuit, strenuitatis suæ gloriam à Dei servitio non subtraxit. Sicque Regum ternarius in Sanctæ Trinitatis nomine processerunt, et primo die castrametati sunt in circuitu Salvæ terræ. Dominica die sequenti visum fuit Regibus et Principibus, ut totus exercitus armaretur, et etiam omnia tamquam ad bellum disponerentur. Et per Dei gratiam talis apparuit multitudo, armis et signis et equis ornata, ut intuentibus nobilis hostibus et terribilis appareret, nobis amabilis, bello expediens, discessum absentium compensaret, ita quod etiam corda magnanimorum creverunt, pusillanimes confortati, dubii confirmati, et discedentium schisma quod multos terruerat, recessit à cordibus timidorum. Ibique etiam die altero spectantes, post pervenimus ad aliam mansionem quæ dicitur Fraxineda. Tandem pervenimus ad aliam mansionem eiusdem nominis. Tertio vero die ad aliam mansionem in radice montis de Muradal, quæ dicitur Guadalfaiar.

(z) Al. *cesserunt.*

(a) Compl. et Al. *propositi cœpta obstinatio.*

Eccl. 6. 7.

Rom. 8. 28.

De

De occupatione montis, unde ad prælium processit [b] *Christianorum exercitus.*

CAP. VII.

Interea dum hæc agerentur, [c] Mahomat Rex Agarenorum prope [d] Giennium in montanis congregaverat gentes suas, ibique præstolabatur exercitum [e] Christianorum. Nec erat ei cordi pugnare, quia verebatur auxilia peregrina, sed ut in reditu insiliret, ut forte Christiani fatigati laboribus, diminuti mortibus, ei resistere non valerent. Et ideo forte consilio Altissimi factum fuit, quod adventitii discesserunt: post discessum enim eorum quidam initiati diabolo clanculo de nostro exercitu se furantes, ad Arabes transfugerunt, eis statum christiani exercitus et defectum victualium detegentes; qui tamen cessaverat post discidium Calatravæ. Sicque, procurante providentia quæ in sui dispositione non fallitur, fuit factum, ut Agarenus, mutato consilio, assumpta audacia, præsumens gloriam, à partibus Giennii processit. Contra nos properans, Beatiam usque pervenit, et aliquos inde misit ad Navas [f] Tolosæ, ut in angustia transitus, ubi est rupis fere invia, alveique [g] vorago, Christianorum transitum impedirent. Et si Christiani summitatem montium non cepissent, in montis supercilio residerent, ut ascensum exercitus Domini prohiberent, sicut capti in bello postea narraverunt. Hac intentione observabant transitum, ut tandem deficientibus victualibus, affecti tædio et inedia rediremus. Domino autem aliter faciente, Didacus Lupi de Pharo, cui ducatus exercitus erat commissus, præmisit filium [h] Lupum Didaci, et duos nepotes eius, Sancium Fernandi et Martinum Munionis, ut præcederent ad montis supercilia obtinenda. Verum cum illi de strenuitate confisi, aliquantulum procederent improvisi, in summitate montis iuxta castrum quod Ferral dicitur, quosdam Arabes invenerunt, qui insultum facientes in eos, fere læsissent, nisi divina gratia operante, acceptis armis, prædicti Christiani cum suis Arabes viriliter [i] repulsissent: et summitatem montis per Dei gratiam observarunt, ita quod statim fixis tentoriis, inibi remanserunt. Quinta autem feria circa horam nonam venimus ad pedem montis, et eadem die plerique de nostris ad montis ardua conscenderunt. Maior vero pars circa Guadalfaiar alveum remanserunt. Sexta feria in mane tres Reges, Aldefonsus de Castella, Petrus de Aragonia, Sancius de Navarra, invocato nomine Domini, ascenderunt, ibique in quodam declivo montis fixis tentoriis, resederunt, et [j] ea die occupatum fuit à nostris castrum Ferral, sub quo sunt quædam voragines, et in rupe anfractus et scopulorum præcipitia iuxta Losam, et tanta est ibi angustia transitus, ut etiam expeditos impediat difficultas. Ibique quædam phalanges Agarenorum [k] per diem illum et partem sequentis Christianorum transitus observabant, ibique frequenter illo die inter nostros et ipsos quædam belli præludia intercesserunt, ita quod ex utraque parte aliqui, non ta-

(b) Al. *exercitus christianus.*

(c) Al. *Maphomat.*

(d) Compl. et Al. *Giennum.*

(e) Compl. et Al. *christianum.*

(f) Al. *Losæ.*

(g) Al. *origo.*

(h) Compl. *suum Lupum Didaci.*

(i) Compl. et Al. *repulissent.*

(j) Al. *eadem die.*

(k) Al. *per totum diem illum.*

tamen plurimi, ceciderunt. Dum hæc agerentur, Regum et Principum deliberatio eligebat, qua esset sine periculo procedendum; transitus enim Losæ non erat possibilis sine damno. Et cum iam exercitus Agareni vicinior nobis esset, necnon et eius tentorium rubeum appareret affixum, diversorum de processu exercitus diversæ sententiæ ferebantur. Aliqui enim attendentes impossibilitatem transitus, retrocedere consulebant, et per locum faciliorem ad Agarenorum campestria transmeare. Ad hoc nobilis Aldefonsus Rex Castellæ: "Et si hoc consilium »discretione fulgeat, periculum »secum portat; populus enim et »alii inexperti, cum nos retroce»dere viderint, non bellum quæ»rere, sed bellum fugere iudica»bunt, et fiet discessio in exercitu, »nec poterunt retineri. Sed ex quo »ex vicino hostes prospicimus, ad »eos necesse est ut eamus. Sicut »autem fuerit voluntas in cœlo, »sic fiat." Cumque hoc consilium nobilis Regis prævaluisset, Deus omnipotens qui negotium speciali gratia dirigebat, misit quemdam hominem plebeium, satis despicabilem et habitu et persona, qui olim in montanis illis pecora paverat, et cuniculorum et leporum ibidem captioni institerat. [(l)] Is ostendit facilem viam, omnino possibilem, per declivum lateris montis eiusdem; nec [(m)] oportere ab aspectu hostium occultari, et ipsis videntibus, nec impedire valentibus, venire ad locum pugnæ [(n)] congruum poteramus.

(l) Compl. *ostendit viam satis facilem omnino possibilem.*

(m) Compl. *oportet*. Al. *oporteret.*

(n) Al. *per gyrum poteramus.*

De processu ad locum pugnæ, et occursu Agarenorum.

CAP. VIII.

Sed quia in tanto discrimine tali personæ vix credi poterat, duo Principes præcesserunt, Didacus Lupi de Pharo et Garsias Romerii, ut si invenirent esse vera quæ pastor dixerat, montem quemdam in summitate sui habentem planitiem occuparent. Et dante Domino, sic evenit, ut ille tamquam Dei nuncius, qui [(o)] infima mundi eligit, verax inveniretur, et prædicti Principes montis planitiem occuparunt, et tres Reges die Sabbati, summo mane, suscepta benedictione pontificali et gratia sacramenti, ad prædictum montem cum suis agminibus pervenerunt. Castrum Ferral quasi omnino tunc inutile est dimissum. Ipsi tamen credentes nos à prœlio deviare, eo quod Losæ transitum non servavimus, prædictum castrum cum magna lætitia occuparunt. Reges itaque postrema exercitus observantes, cum toto comitatu ad suos Principes qui præcesserant, pervenerunt. Quod attendentes Agareni non esse [(p)] subterfugium, sed processum, graviter doluerunt, et prospicientes tentoria quæ in prædicti montis cacumine figebantur, catervam militum destinarunt, ut à metatione castrorum primos agminis cohiberent. Nos enim propter viæ angustias porrecto agmine procedere cogebamur: cum nostris autem diutius confligentes, Domino faciente, viriliter sunt repulsi, et nostri, occupata planitie montis per Dei gra-

(o) Al. *infirma mundi elegit.*

(p) Compl. et Al. *fugam sed processum.*

gratiam, castra feliciter locaverunt. Et tentoriis vix metatis, videns Rex Agarenorum quod in observatione transitus nihil ei proderant insidiæ neque doli, dispositis aciebus, eadem die processit ad campum, et præcipuam aciem quæ eius erat custodiæ deputata, super quodam promontorio, [q] ad quod difficilis erat ascensus, nobiliter collocavit, ceteris suis aciebus à dextris et à sinistris prudentissime ordinatis; et ibi ab hora sexta usque ad vesperum spectarunt, putantes nos eo die ad prœlium processuros. Sed consilii deliberatione habita, provisum fuit, ut bellum usque ad secundam feriam differretur, eo quod equi erant montium difficultate vexati, et exercitus fatigatus, et ut etiam statum eorum et processum possemus in isto medio contueri. Cumque intellexisset Agarenus, quod non procedebamus ad bellum, elatus in gloriam, non ex cautela, sed provenire credidit ex timore. Unde epistolas misit Beatiam et [r] Giennium, quod tres Reges obsederat [s] intra triduum capiendos. Tamen aliqui [t] de suis qui altius cogitabant, dixisse talia referuntur. "Videmus provide et sollicite collocatos, et plus videntur ad pugnam parari, quam ad fugæ subsidia anhelare." Sequenti die Dominica, summo mane, iterum egressus est Agarenus in campum ut pridie, et mansit in campo usque ad meridiem dispositis aciebus, et ad æstus iniuriam repellendam allatum fuit tentorium rubeum ad umbraculum Agareni diversis artificiis adornatum, sub quo [u] gloriosius debito residens, conflictum fastu regio expectabat. Nos vero, sicut pridie fecimus, eorum exercitum attendentes, observatis castris, deliberabamus, qualiter in crastino procedere deberemus. Toletanus autem et ceteri Pontifices per singularum civitatum et singulorum Principum mansiones verbum exhortationis et indulgentiæ devotissime proponebant. Eo die illustris Rex Aragonum consobrinum suum Nunium Sancii accingit cingulo militari. Agareni etiam in modum torneamenti circa ultimam partem castrorum quædam belli præludia attentabant. Tandem inter sextam et nonam post longam expectationem Agareni ad locum quo castra metati fuerant, sunt reversi.

(q) Compl. *ad quem.*

(r) Compl. hic et alibi *Giennum.*

(s) Compl. *infra triduum.*

(t) Tol. non habet *de suis qui.*

(u) Tol. et Al. *gloriosus debito.*

De dispositione acierum, et ordinibus bellatorum.

CAP. IX.

Sequenti vero die circa mediam noctem vox exultationis et confessionis insonuit in tabernaculis christianis, et per vocem præconis inclamatum est, ut omnes ad bellum Domini se armarent. Celebratis itaque Dominicæ passionis mysteriis, et facta confessione, sumptis sacramentis, acceptis armis, ad campi certamina processerunt. Dispositisque aciebus, sicut iam dudum fuerat pertractatum inter Principes Castellanos, Didacus Lupi cum suis habuit primos ictus: mediam aciem Comes [x] Gundisalvus Nunii cum fratribus templi, et hospitalis, et Uclesii, et Calatravæ: [y] collateram habuit Rodericus Didaci de Camberis, et Al-

(x) Compl. et Al. hic et alibi *Gonsalvus.*

(y) Compl. *collateralem.*

Digitized by Google

Alvarus Didaci frater eius, et Ioannes Gundisalvi, et alii nobiles cum eisdem: in ultima acie nobilis Rex Aldefonsus, et Rodericus Archiepiscopus Toletanus cum eo, et alii Episcopi supradicti. De Baronibus, Gundisalvus Roderici [z] et frater eius, Rodericus Petri de Villa luporum, Suerius Telli, et Fernandus Garsiæ, et alii. In qualibet autem istarum acierum erant communia civitatum, sicut fuerat ordinatum. Strenuus autem Petrus Rex Aragonum exercitum suum disposuit in totidem aciebus: primos ictus habuit Garsias Romerii: secundam aciem Eximinus Cornelii et Aznarius Pardi: in ultima fuit ipse cum aliis magnatibus regni sui: similiter et in collaterali acie alios de suis nobilibus collocavit. De communibus etiam civitatum Castellæ habuit ipse secum. Rex Navarræ Sancius, speciali prærogativa strenuitatis perspicuus, cum suis à dextris Regis nobilis procedebat, et in comitatu suo communia civitatum Secobiæ, Abulæ, et Medinæ. Dispositis [a] itaque aciebus, elevatis ad cœlum manibus, directis ad Deum oculis, cordibus ad martyrium excitatis, protensis vexillis fidei, et nomine Domini invocato, ad belli discrimina omnes pariter pervenerunt. Primi autem qui primos ictus dederunt in acie Didaci Lupi de Pharo, fuerunt suus filius et nepotes superius nominati, strenui et audaces. Agareni vero in summitate quadam præsidium instar atrii firmaverunt de scriniis sagittarum, infra quod erant præcipui peditum collocati; ibidemque Rex eorum resedit, habens iuxta se ensem, induens [b] cappam nigram, quæ fuerat Abdelmumi, qui fuit principium Almohadum, et librum etiam sectæ nefariæ Mahometi, qui dicitur Alchoranus. Extra atrium erant etiam aliæ acies peditum, quorum quidam tam de interioribus, quam de exterioribus [c] sibi adinvicem colligatis, ut quasi de fugæ præsidio desperarent, constanter belli instantiam sustinebant. Erat autem exterius ante atrium acies Almohadum militaris, equis et armis et infinita multitudine terribilis in aspectu: à dextris autem ipsorum et à sinistris erant Arabes velocitate et lancearum agilitate nocui inexpertis, qui et fugiendo impetunt, et fugati acrius insolescunt. In planitie vero, ubi volubilitati non [d] obest angustia, nociviores reperiuntur. Hi similes Parthis, sagittarum insistunt negotiis, et in clavarum ponderibus vasa ferunt vertiginis, et hi et illi, extraordinariis vagationibus intenti, acierum ordinem non observant, ut adversarios incursionibus turbent, et suis ordinatim venientibus, ruptis agminibus ex adverso, grassandi tribuant facultatem. Sed et istorum et aliorum innumerabilem multitudinem nullum credo de nostris potuisse veraciter extimare, nisi quod postea ab Agarenis audivimus, quod erant octoginta millia militum, [e] peditum vero turbæ non poterant numerari. Ad hæc dicebantur adesse quidam Agareni de partibus [f] Azdoræ prope Marrochos, [g] minus accepti in oculos Regis sui. Hi, equis relictis, Regi suo, ut eius gratiam compararent, pedites astiterunt, et ex his omnibus nullus creditur evasisse. Astabat

Aa etiam

(z) Compl. et Al. *fratres eius.*

(a) Tol. *atque aciebus.*

(b) Al. *cappam magnam, quæ fuerat Abdelmum.*

(c) Compl. *aciebus adinvicem colligatis.*

(d) Al. *abest.*

(e) Al. *peditum vero multitudo non poterat numerari.*

(f) Compl et Al. *Azgoræ.*

(g) Al. *merius accepti.*

etiam Regi eorum quædam acies, stupenda multitudine obstipata, et militaribus insignibus mirabiliter adornata.

De victoria Christianorum, et strage Sarracenorum.

CAP. X.

Agareni autem fere immobiles in loco manentes, cœperunt repellere primos nostrum qui ascendebant per loca satis congressui importuna, et in his [h] repulsibus aliqui ex nostris congressoribus, difficultatibus fatigati, aliquantulum substiterunt. Tunc etiam aliqui ex mediis aciebus Castellæ et Aragoniæ in unum agmen ad primas acies convenerunt, et fuit ibi commotio magna, et res dubio periculosa, ita ut etiam aliqui, non tamen de [i] magnis, viderentur fugæ præsidio inhiare; sed primi et medii ex Aragonia et Castella coniunctim congressui insistebant: collaterales etiam acies cum Agarenorum aciebus acriter dimicabant, adeo quod quidam eorum terga vertentes, fugere videbantur. Quod attendens Aldefonsus nobilis, vidensque quosdam plebeia vilitate, quid deceat, non curare, dixit, omnibus audientibus, Pontifici Toletano: "Archiepiscope, ego et vos "hic moriamur." Qui respondit ei: "Nequaquam, immo hic prævalebitis inimicis." Rex autem invictus animo, "Festinemus, inquit, "primis succurrere in periculo constitutis." Tunc Gonsalvus Roderici et fratres eius processerunt ad primos. Fernandus vero Garsiæ, vir strenuus, et in militia industrius, retardavit ipsum Regem, consulens ut observato moderamine procederent ad succursum. Tunc Rex inquit iterum: "Hic, Archi"episcope, moriamur. Tâlis enim "in tali articulo mors [j] non de"decet." Et ille: "Si Deo placet "corona victoriæ, non mors [k] in"sistat: sin autem aliter Deo pla"cuerit, [l] vobis commori omnes "communiter sumus parati." In his autem omnibus (testificor coram Deo) nobilis Rex non mutavit vultum, nec gestum solitum, nec loquelam, immo viriliter et constanter, ut leo imperterritus, aut mori, aut vincere firmus erat, nec diutius valens tolerare primorum periculum, festinato gressu, usque ad atrium Agareni, dante Domino, hilariter vexillorum insignia pervenerunt. Crux vero Domini quæ coram Toletano Pontifice consueverat baiulari, præferente eam Dominico Paschasii Canonico Toletano, per Agarenorum acies miraculose transivit, et ibidem, illæso baiulo, sine suis usque ad finem belli, sicut Domino placuit, perduravit. Erat autem in vexillis Regum imago beatæ Mariæ Virginis, quæ Toletanæ provinciæ et totius Hispaniæ semper tutrix [m] extitit et patrona. In cuius adventu acies illa mirabilis, et turba innumerabilis, quæ hactenus satis [n] immobilis permanebat, et rebellis nostris obstiterat, cæsa gladiis, fugata lanceis, victa ictibus, terga dedit. Tunc etiam ad instantiam germani sui qui [o] Zeit Avozechrit vocabatur, Rex Agarenus iumento varii coloris insidens, fugæ præsidio se commisit, et cum quattuor militibus periculi sociis Bea-

(h) Tol. et Al. *repulsis.*

(i) Al. *de magnatibus.*

(j) Compl. et Al. *nos decet.*

(k) Compl. *instat.*

(l) Al. *vobiscum mori.*

(m) Al. *erat, et patrona.*

(n) Compl. *immobiles permanebant, et rebelles nostris obstiterant.*

(o) Compl. *Zeyt abozecri.*

Beatiam usque venit, et Beatiensibus, quid facerent, sciscitantibus, dicitur respondisse: "Nec mihi, nec vobis possum consulere: Dominus sit vobiscum." Ibique mutato iumento, Giennium ea nocte pervenit. Interea Aragonensibus ex sua, Castellanis ex sua, Navarris ex sua parte instantibus, cæsa sunt multa millia Agarenorum. Quo viso, et audito, Toletanus Pontifex hæc verba dixit nobili Regi: "Estote memor gratiæ Dei, quæ omnes defectus in vobis supplevit, et opprobrium aliquandiu toleratum hodie relevavit. Estote etiam memor vestrorum militum, quorum auxilio ad tantam gloriam pervenistis." His et aliis in hunc modum dictis, ipse Toletanus et alii Pontifices qui simul aderant, cum lacrimis devotionis in laudis canticum, elevatis vocibus, [p] proruperunt dicentes: *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.* Erat etiam ibi Tellius Palentinus Episcopus, Roddericus Segontinensis, Menendus Oxomensis, Dominicus Placentinus, Petrus Abulensis, multi etiam alii clerici Domino cantica decantantes. Campus autem sic strage Agarenorum plenus erat, ut etiam in robustissimis equis vix super eorum cadavera absque periculo transiremus. Erant autem Agareni [q] qui supra prædictum atrium inventi sunt, statura proceri, pinguedine dilatati, et (quod mirabile est dictu) licet iacerent in omnibus partibus corporis detruncati, et iam à pauperibus spoliati, in toto campo nec signum sanguinis poterat inveniri. Quibus peractis, nostri gratiæ Dei terminum nolentes imponere, per omnes partes usque ad noctem eos infatigabiliter sunt secuti, et secundum extimationem creduntur circiter biscentum millia interfecta. De nostris autem vix defuere viginti quinque.

(p) Al. *prorumpunt.*

(q) Compl. et Al. *qui iuxta supradictum atrium.*

De magnalibus bellatorum.

CAP. XI.

Quæ autem specialiter facta sunt à magnatibus, neminem credo sufficienter posse dicere, cum nemo potuerit omnia particulariter intueri; scilicet, qualiter Aragonensium audax strenuitas operam dedit stragi, qualiter agilitate facili prævenerit fugientes: quam viriliter [r] Eximinus Cornelii cum turba suorum advenerit agentibus primos ictus: qualiter Garsias Romerii et Aznarius Pardi cum aliis magnatibus Aragoniæ et Cataloniæ belli dubia magnifice peregerunt: qualiter Navarrorum bellicosa agilitas belli [s] instantiæ se obiecit, et persecuta sit fugientes: qualiter et ultramontani qui remanserant, [t] occursu magnanimi, Agarenorum incursibus restiterunt: qualiter Castellanorum magnifica nobilitas et nobilis magnanimitas largis copiis supplevit omnia, manu strenua compressit pericula, victrici gladio prævenit velocia, felici victoria complanavit aspera, et crucis impròperia in gloriam commutavit, et hostis blasphemias laudum canticis dulcoravit. Sed si singulorum magnalia vellem prosequi, citius in scribendo manus deficeret, quam dicendi materia mihi deesset. Sic enim omnes præventrix armaverat gratia, ut nullus de iis qui esse ali-

(r) Al. *sæpe Ximenius Cornelii.*

(s) Al. *instantiis.*

(t) Tol. et Al. *in occursum magnanimi.*

Digitized by Google

aliquid videbantur, aliud appeteret, nisi aut pati martyrium, aut obtinere. His itaque omnibus peractis feliciter, iam circa solis occasum in Agarenorum tentoriis sedimus fatigati, satis tamen pro victoriæ lætitia recreati, neque ex nobis ad castra [u] aliqui redierunt, nisi famuli ad sarcinas deportandas. Tanta autem fuit in campo Arabum multitudo, quod medietatem spatii vix potuimus occupare. In campo autem qui voluerunt rapere, plurima invenerunt, aurum scilicet, argentum, vestes pretiosas, supellectilia serica, et multa alia pretiosissima ornamenta, necnon et pecunias multas, et vasa pretiosa, quæ omnia pro maiori parte pedites et aliqui milites de Aragonia habuere. Maiores enim, et quos fidei zelus, et Regis [x] reverentia, et amor strenuitatis nobilitaverat, hæc omnia contemnentes, usque ad noctem persecutioni viriliter intenderunt, præsertim cum præcedenti die Pontifex Toletanus sub interminatione anathematis inhibuisset, ne quis prædæ campi insisteret, si divina providentia victoriam concedere dignaretur. Camelorum autem, et ceterorum animalium, necnon et victualium quæ inibi sunt inventa, vix posset, [y] quantumlibet subtilis discretio æstimare. In eodem itaque loco illo die et sequenti moram fecimus fatigati. Homines, et vehicula, et res, et sarcinæ, quæ fuerant ob belli instantiam [z] postposita, vel neglecta, famulorum studio sunt advecta. Et quod vix videtur credibile, licet verum, in illis duobus diebus ad usus omnes nulla alia ligna combussimus, nisi hastas lancearum et sagittarum, quas secum duxerant Agareni: vix tamen in illo biduo potuimus consumere medietatem, quamvis ex industria, non ad necessitatem ignem apponerent, sed ad eorum multitudinem consumendam.

(u) Tol. et Al. qui redierunt.

(x) Compl. *legis reverentia.*

(y) Tol. *quamlibet subtilis.*

(z) Tol. et Al. *proposita.*

De captione Beatiæ, et Ubetæ, et aliorum castrorum, et reditu exercitus.

CAP. XII.

Exinde procedentes quidam ex nostris castrum de Bilche fortissimum obsederunt. Nos vero die tertia post bellum, quarta scilicet feria, venientes, cepimus castrum Bilche, necnon et alia tria, scilicet Ferral, et Balnea, et Tolosam, quæ usque hodie per Dei gratiam à fidelibus incoluntur; ibique moram per unum diem fecimus: et procedentes ex nostris ad civitatem Beatiam, vacuam invenerunt, fugientibus Agarenis, et suorum periculo iam comperto, se in Ubetam receperunt, præter quosdam inexpeditos qui in eorum oratorio, quod Mezquita dicitur, incendio perierunt. Hoc audito, Reges et Principes communi consilio decreverunt Ubetam obsidere. Hoc factum fuit feria sexta post bellum. Igitur secunda feria, [a] octavo scilicet die post bellum, aggressi sunt civitatem, invocato nomine christiano; et sicut Domino placuit, ex ea parte ubi instabant Aragonenses, quidam armiger Lupi Ferrencii de Luna murum adscendit, et in eius ascensu corda resistentium languerunt, et se Regis

(a) Al. *septimo.*

gis gratiæ spoponderunt. Super hoc itaque habito frequenti tractatu, primo obtulerunt Sarraceni mille millia aureorum, ut civitas eis integra remaneret, quod et aliqui acceptarunt, dolentibus admodum Regibus, dissimulantibus tamen propter instantiam [b] magnatum. Demum Toletano, Narbonensi, et ceteris Pontificibus auctoritate pontificali pacta huiusmodi prohibentibus, factum est, ut civitas funditus everteretur, Sarracenis ad vitam servatis, captivitati nihilominus mancipatis. Et iam Dei gratia propter luxum hominum tepescente, Christiani cupiditate illecti, intendebant iniuriis et rapinis: unde et Dominus imposuit frenum ori eorum, et percussit eos infirmitatibus, et iumenta, et vix erat in tabernaculis, qui commilitoni posset socio, vel domino ministrare. Et necessitate compulsi, redivimus Calatravam, ibique invenimus Ducem Austriæ de partibus [c] Teutoniæ, qui satis in magno venerat apparatu. Indeque cum Rege Aragonum, cui erat consanguinitate coniunctus, in Aragoniam est reversus. Nos vero cum nobili Rege Aldefonso ad urbem pervenimus Toletanam, ibique cum Pontificibus et clero et universo populo in Ecclesia beatæ Mariæ Virginis processionaliter est receptus, multis Deum laudantibus, et in musicis instrumentis acclamantibus, quod eis Regem suum reddiderat sanum et incolumem, et corona victoriæ coronatum. Inde, diviso exercitu, unusquisque ad propria est reversus. Hic finis belli, quod fuit Æra MCCL, feria secunda, decimo sexto calendas Augusti. Æ. 1250.

(b) Compl. hic et alibi *magnatorum*.

(c) Compl. *Theotboniæ*.

De captione Alcaratii, et Alcantaræ, et aliorum castrorum, et fœdere cum Rege Legionensi.

CAP. XIII.

Post hæc autem, licet Christianorum populi essent laboribus et infirmitatibus fatigati, Rex tamen nobilis à magnalibus non poterat abstinere; et congregato exercitu, eodem anno, mense Februario, castrum Dominarum impugnatum machinis occupavit, et restituit, quorum fuerat, fratribus Calatravæ. Et inde procedens, cepit castrum quod [d] Eznavexore dicitur, et militiæ Sancti Iacobi dedit illud. Et inde [e] procedens ad castrum famosum quod Alcaratium dicitur, obsidione diutina impugnavit, et in die Ascensionis Domini eiusdem anni cepit illud, Domino faciente, et à Roderico Toletano Pontifice, et clero qui aderat, processionaliter est receptus in Ecclesia Sancti Ignatii, quæ Mezquita fuerat, divinis [f] sollemniter celebratis. Cepit etiam aliud castrum quod Rivus oppæ dicitur, expulsis Arabibus ab eodem. Et sic reversus in terram suam, in villa Ecclesiæ Toletanæ, quæ Sanctus Torquatus dicitur, festum Pentecostes, præsente uxore sua Regina Alienor, et filio suo Enrico, et filia sua Berengaria Regina Legionensi, et nepotibus suis Fernando et Alfonso, cum gratiarum actionibus et gloria celebravit. Accidit autem eo anno, ut Dei iudicium Hispaniam visitaret; nam sic in omnibus regni finibus victualia defecerunt, ut homines panem petentes, cum non esset qui porrige-

(d) Al. *Eznanexo*.

(e) Compl. *perveniens*.

(f) Compl. *sollemniis*.

geret, in plateis et compitis famis exitio morerentur, licet ipse Rex nobilis largissime eleemosynas erogaret, et Pontifices, et magnates, milites, et populares supra posse studerent, quæ habere poterant, pauperibus impartiri. Nec tantum sterilitas in fructu terræ, sed etiam in volucribus, gregibus, et armentis, quæ conceptu et fetu eo anno sterilitate simili caruerunt, et equituraræ et equi (g) multi defectu palearum et hordei perierunt. Et licet tanta pestis patriam infestaret, Rex nobilis ab ascensionibus corde conceptis non potuit retineri, et cum Aldefonso Rege Legionensi, olim genero, fœdus initum innovavit, et restituit ei Rex Castellæ Carpium et Montem regalem, ut diruta de cetero non starent. Et dato ei in auxilium Didaco Lupi de Pharo, magnate nobili et potente, Reges pariter condixerunt, ut uterque per confinia regni sui exercitum duceret contra Mauros: et Rex Legionensis in eo introitu cepit Alcantaram, munitionem nobilem, quam dedit postea fratribus Calatravæ.

(g) Compl. *plurimi.*

De obsidione Beatiæ, et tregua cum Arabibus, et populatione Miraculi, et peste famis.

CAP. XIIII.

Æ. 1251. Aldefonsus autem nobilis Rex Castellæ, Æra MCCLI., octavo calendas Decembris, congregato exercitu, urbem ingressus est Toletanam, et per Consocram et Calatravam transiens, circa Beatiam fixit castra, et sic invaluit fames ibi, ut exercitus carnes humano generi insuetas edere cogerentur; ibique advenit prædictus Didacus Lupi cum magno militum comitatu. Rex enim Legionensis post captam Alcantaram reversus fuit in terram suam. Cumque diu Beatiæ obsidio traheretur, nec à patria victualia portarentur, omnibus fere fame deficientibus, suorum consilio Rex nobilis, tregua cum Arabibus reformata, rediit Calatravam, et cum fratres et sæculares qui inibi morabantur, fame et inedia laborarent, magnates et milites et ceteri populorum, prout unusquisque potuit, subvenerunt, sicut tanta adversitas tolerabat. Rodericus etiam Toletanus Pontifex attendens verbum Ioannis Apostoli: *Qui viderit fratrem suum necessitatem habentem, et clauserit viscera misericordiæ suæ, quomodo Dei caritas est in illo?* Et item dicit Scriptura: *Pasce fame morientem, quem nisi paveris, occidisti:* totum argentum quod apud se potuit invenire, fratribus erogavit; et ne castra frontariæ remanerent habitatoribus destituta, elegit ipse cum indigentibus indigere, et cum fratribus in terræ solatium et subsidium eo tempore remanere. Rege itaque cum exercitu ad patriam redeunte, prædictus Pontifex omnibus sæcularibus remanentibus Calatravæ à festo Epiphaniæ usque ad octavam Sancti Ioannis omni die edulium ministravit. Sed in quadragesima ad tantæ necessitatis angustias pervenerunt, quod ipse Pontifex cum fratrum capitulo potius carnes comedere, quam terram deserere decreverunt, nisi Dominus aliter provi-

1. *Ioan.* 3. 17.

Apud Gratianum 1. *p. Decreti, dist.* 86. *cap. Pasce.*

vi-

Digitized by Google

videret. Sed Dei abundantia [h] pietatis misericorditer sic providit, [i] ut prædicto Pontifici alimonia non deesset, et fratrum indigentiam supportaret usque in diem, qua terra Domini divitibus et pauperibus fructum dedit. Eo tempore idem Pontifex in via publica per quam Toletum Arabes gravius infestabant, castrum quod Miraculum dicitur, populavit: ubi cum aliquandiu consedisset, pluviis et inundationibus impeditus, castri fabrica non crescebat, tamen in eo quod fieri potuit, relictis militibus et aliis bellatoribus qui novæ populationis ambitum custodirent, imminente sollemnitate Ramis palmarum venit ad Ecclesiam Toletanam. Ubi processione sollemniter celebrata, cum clamor insurgeret egenorum, idem Pontifex verbum exposuit caritatis, et sic Omnipotens corda audientium inflammavit, ut ipso incipiente, ceteri qui verbum Domini audiebant, usque ad tempus fructuum [j] cunctos pauperes receperint: et sic [k] caritas gratiarum numerum augmentavit, ut in [l] tota urbe vix remanserit qui exhibitorem proprium non haberet. Et eadem die [m] qua fuit hæc distributio caritatis, septingenti milites et mille quadringenti pedites Arabum castro Miraculi advenerunt, et eos qui intus aderant, unius diei concertatione fortiter impugnarunt, adeo quod aliquis de intrinsecis sine morte, aut effusione sanguinis vix remansit. Agareni autem inclusorum constantiam formidantes, multis ex suis sagittis, gladio, et lapidibus interfectis, gressu retrogrado recesserunt, et tanta fuit cæsio obsessorum, quod nullus ex eis in castro potuit remanere. Sed post [n] abcessum Arabum, Roderico Pontifici, cuius erant, nuncio destinato, successores fortes et incolumes receperunt, et ipsi Toletum vehiculis sunt advecti, ubi commoditate debita recreati, usque ad sanitatis gaudium sub chirurgico remanserunt. Rodericus autem Pontifex, his dispositis, ivit Burgis ad Regem nobilem Aldefonsum, qui opera eius commendans in Domino, dedit ei viginti aldeas in possessionem perpetuam Ecclesiæ Toletanæ.

(h) Tol. *pietati misericorditer.*

(i) Al. *ut et prædicto.*

(j) Tol. et Compl. *ceteros pauperes.*

(k) Tol. et Al. *caritatis gratiarum.*

(l) Al. *tanta urbe.*

(m) Al. *quæ.*

(n) Tol. et Compl. *accessum.*

De morte Regis nobilis Aldefonsi.

CAP. XV.

Consummatis autem quinquaginta tribus annis in regno, Rex nobilis Aldefonsus generum suum Regem Portugalliæ ad colloquium convocavit. Cumque esset in procinctu itineris eundi Placentiam, ultimam sui dominii civitatem, in aldea quadam Arevali, quæ dicitur Guterrius Munionis, cœpit graviter infirmari, ubi demum febre correptus, vitam finivit, et secum gloriam Castellæ sepelivit, facta prius confessione Roderico Pontifici, et sumpto summi viatici sacramento, assistentibus Episcopis Tellio Palentino et Dominico Placentinensi. Sequenti die in præsentia Alienor uxoris suæ carissimæ, et Reginæ Berengariæ filiæ suæ dulcissimæ, cum Enrico filio, et Alienor filia, et nepotibus suis Fernando et Alfonso in ætate consistentibus puerili, Æra MCCLII, in Æ. 1252.
die

Digitized by Google

die (o) Fidis Virginis, secunda feria, decimo calendas Octobris, non plenus dierum, sed virtutibus et honore, beatum spiritum suo, qui dederat, restituit creatori. Et factus est luctus omnium, et desolatio magnatum, necnon et omnium populorum. Et corpore eius in decenti sarcophago collocato, ea die pervenimus (p) Vallem oletum. Deinde ex omnibus regni partibus Pontifices et Abbates, religiosi et sæculares, milites et magnates, humiles et maiores ad exequias tanti funeris convenerunt. Sic enim corda (q) omnium vulneravit relatio mortis eius, quasi quilibet improvisæ sagittæ iaculo feriretur. Sic enim strenuitas, largitas, curialitas, sapientia, et modestia eum sibi ab infantia vindicarant, ut post mortem eius sepulta credantur omnia cum sepulto. Omnes enim non tantum in suis, sed in aliis Hispaniæ finibus, effrenatis studiis, et laxatis habenis licentiæ, quo libuit, abierunt, et nihil sibi retinuerunt, cum thesauros verecundiæ amiserunt. Sepultus est autem in regali monasterio prope Burgis à Roderico Toletano, Tellio Palentino, Roderico Segontinensi, Menendo Oxomensi, Girardo Segoviensi Episcopis, et aliis religiosis, officiosa obsequia funeris filia eius Regina Berengaria impendente, quæ tanto dolore eius exequias consummavit, quod fere dilaceratione et lacrimis se extinxit. Et sicut in vita regnum virtutibus adimplevit, sic in morte totam Hispaniam, immo mundum lacrimis madefecit. Sepultus et autem in prædicto monasterio à Pontificibus supradictis, ubi laudum eius præconia nec invidia nec oblivio poterit abolere.

(o) Al. *Fidei Virginis.*

(p) Compl. et Al. *Vallem oleti.*

(q) Tol. et Al. *hominum.*

LIBER NONUS.

De regno Regis Enrici, et quod fuit Comiti Alvaro deputatus.

CAP. I.

Eo igitur iam sepulto, continuo filius eius Enricus, (r) parvulus et heres, à Pontificibus et magnatibus, universo clero, *Te Deum laudamus,* cantante, ad regni fastigium elevatur. Undecim annorum erat cum regnare cœpisset, et duobus annis et decem mensibus regnavit. Verum post mortem Regis nobilis, viginti quinque diebus transactis, Alienor uxor eius fuit rebus humanis exempta. Hæc erat Enrici Regis Angliæ filia, pudica, nobilis, et discreta, et sepulta est in prædicto monasterio iuxta virum, et custodia (s) pueri Regis, et regni gubernatio remansit penes Berengariam Reginam, (t) sororem eius. Cuius diligentia sic apparuit toto tempore sui regiminis, ut pauperes, divites, ecclesiastici, sæculares, sicut tempore Regis nobilis fuerant, in suis statibus servarentur, licet Baronum varietas zelo invidiæ circumacta discidia procuraret. Cum autem essent tres Co-

(r) Compl. et Al. *parvulus, successor, et heres.*

(s) Al. *parvuli.* Compl. et Al. *puelli.*

(t) Compl. et Al. *nobilem sororem eius.*

Digitized by Google

Comites, Fernandus, Alvarus, Gundisalvus, filii Comitis Nunii supradicti, cœperunt ad custodiam Regis pueri inhiare, ut concepta odia possent in his quos oderant, vindicare, sicut pater eorum fecerat tempore pueritiæ patris eius. Aliqui etiam, quibus Regina Berengaria se credebat, eorum studiis consenserunt, mediante quodam milite Palentino, qui Garsias Laurentii dicebatur, et de mandato Reginæ erat custodiæ Regis pueri deputatus. [u] Hic, promissa sibi à Comite Alvaro in hereditatem villa quæ dicitur Tabulata, Regi suasit, ut ad Comitis Alvari custodiam se transferret. Quod cum sollers Regina Berengaria percepisset, animo gratanti concessit; sed timens insolentias quæ venerunt, fecit iurare Comitem Alvarum et magnates, ut sine ipsius Reginæ consilio, nec aliquibus terram auferrent, nec aliquibus terram darent, nec vicinis Regibus guerram moverent, nec mulctam, quæ Hispaniæ pecta dicitur, imponerent in aliqua regni parte: et iuramento et [x] hominio in manu Roderici Toletani Pontificis firmaverunt, et si contrarium facerent, proditionis infamia tenerentur. Sed quia Regina propter importunitates militum et maiorum tædio erat affecta, timebat ne regnum in sui custodia turbaretur, et ideo Comiti Alvaro dedit puerum conditionibus supradictis. Qui cum Gundisalvo Roderici et fratribus suis tunc sibi faventibus in continenti Burgis egrediens, cœpit exterminia procurare, magnos humiliare, et vulgi divites exhaurire, religiones et Ecclesias ancillare, et decimarum tertias quæ ad Ecclesiarum fabricas pertinebant, cœpit similiter infiscare; sed excommunicatus à Roderico Toletano Decano, qui vices Archiepiscopi tunc gerebat, coactus fuit restituere, et iurare ne de cetero attentaret: et Ecclesiarum homines qui privilegiorum regalium immunitate gaudebant, cœpit angariis et exactionibus subiugare.

(u) Al. *Huic promissa est à Comite.*

(x) Al. hic et alibi *homagio.*

De contubernio Regis Enrici, et dominæ Mafaldæ.

CAP. II.

Verum cum apud Vallem oleti curiam celebrassent magnates alii, Lupus Didaci de Pharo, Gonsalvus Roderici et fratres eius, Rodericus Roderici, et Alvarus Didaci de Camberis, Alfonsus Tellii de Menesis, et alii nobiles, regni exterminio condolentes, curaverunt tantis cladibus obviare, et Reginæ Berengariæ prudentiam [y] adeuntes, humiliter supplicarunt, ut regni miseriis condoleret. Comes autem Alvarus cœpit Reginam nobilem [z] infestare, adeo ut ea quæ sibi pater suus dederat, occuparet, et ei etiam ore temerario demandavit, ne in regni finibus remaneret. Tunc Regina nobilis cum sorore sua Alienor, quæ fuit postea Regina Aragonum, et erat tunc temporis domicella, in castrum Gunsalvi Roderici quod Aptellum dicitur, se recepit, ibique deguit usque ad mortem fratris. Sed prædicti magnates tamquam naturali dominæ fideliter adhærentes, Regi parvo fidelitatis debitum in omnibus servaverunt. Cæterum

(y) Al. *attendentes.*

(z) Compl. *etiam infestare.*

prædictæ Reginæ sollers industria omnia sic provide ordinavit, ut magnates sibi faventes, et Comitis Alvari insolentias [a] refrenarent, et [b] Regi puero iura sua conservarent. Verum cum Rex tenellus intentionem Comitis sagaci indole iam sentiret, libenter volebat ad sororis custodiam se transferre. Sed Comes Alvarus per suos complices ita cavit, quod Rex puer, quod volebat, non potuit [c] effectui mancipare. Nam Comes callide cogitavit uxorem ex Portugallia sibi dare, qua mediante posset puerum in suo beneplacito retinere. Sed in contrarium res evenit. Nam cum Mafaldam filiam Regis Portugalliæ adduxisset, et puer non esset in ætate nubili, remansit domina coniugali commercio defraudata, et quia se consanguinitatis linea attingebant, de mandato Innocentii [d] Papæ fuit contubernium separatum. Et post (ut fertur) inter se et dominam voluit Comes Alvarus connubium procurare. Sed ipsa, cum esset pudica, verbum respuit indignanter.

(a) Tol. et Al. *refrenaret.*
(b) Tol. et Al. *Regi parvo conservaret.*
(c) Tol. et Al. *effectum.*
(d) Tol. *tertii Papæ.* Compl. *Papæ tertii fuit.*

De morte nuncii, et captione Montis alacris, et obsidione Villæ albæ.

CAP. III.

Post curiam Vallis oleti Comes Alvarus cum suis complicibus et cum Rege extrema Dorii peragravit, maiorum animos sibi concilians, ut eorum favore posset aliis imperare, et habentium divitias exhaurire, et inde se transtulit ultra Serram. Et cum venisset Maquedam, quæ est oppidum in diœcesi Toletana, Regina nobilis misit nuncium de fratris statu clanculo percunctari. Erat enim sollicita, eo quod à Comite Alvaro negligentius servabatur. Et cum Comes Alvarus de nuncio comperisset, [e] fecit scribi litteras imposturæ, et falso sigillo Reginæ nobilis intercludi, in quibus continebatur, quod Regina nobilis scribebat aliquibus de consilio [f] magnatum de campis, ut cum toxico sibi misso fratri suo exitiale poculum propinarent, ut sic puerum ad sororis odium gravius provocarent, et hominem continuo suspenderunt. Sed cum labia malignorum sibi [g] velut ebria mentiantur, qui Susannam à falso testimonio liberavit, Reginam nobilem et innocentem ab imposturæ mendacio liberam declaravit, et ut in suis mendaciis caperentur iniqui, communis et fidelis assertio omnium sine dubio affirmabat Reginæ nobilis veritatem, detestans maledictis et conviciis, quod iniquitas adinvenit. Et licet è fronte superbia Comes Alvarus niteretur, tanta tamen efferbuit subsannatio populi contra eum, ut cogeretur recedere à partibus diœcesis Toletanæ; et Optam veniens, ibi aliquandiu fecit moram. Advenit autem miles nobilis Rodericus Gundisalvi de Valle viridi, qui beneplacitum Regis pueri iam habebat, ut ad sororem suam inscio Comite Alvaro se transferret. Sed cum Fernandus Munionis, Comitis Alvari fautor et nepos, adventum prædicti nobilis comperisset, ei ex improviso, assumptis militibus, supervenit, et captum duxit ad Alarconem. Tunc Comes Alvarus, ut in regno [h] discidia excita-

(e) Tol. *secum scribit litteras.*
(f) Compl. et Al. *magnatorum de campis.*
(g) Compl. *viru ebria.*
(h) Tol. et Al. *excidia.*

Digitized by Google

taret, fautoribus Reginæ nobilis movit guerram, et assumptis quos habere potuit, cum Rege ad Vallem oleti in sequenti quadragesima pervenerunt, et [i] Paschate Resurrectionis Dominicæ celebrato, cum militibus Castellanis et de extremis Dorii Vallem triticariam vastaverunt, et domos magnatum qui Reginæ favebant, hostiliter dissiparunt. Deinde in castro quod Mons alacer dicitur, Suerium Tellii obsederunt. Sed cum Gonsalus Roderici, et fratres eius, et Alfonsus Tellii pluribus militibus præeminerent, Regis præsentiam reverentes, noluerunt obsesso fieri in succursum. Sed ipse Suerius Tellii Regi petenti protinus castrum dedit. Exinde Comes cum Rege procedens, in campis plurima devastavit, et apud Carrionem per dies aliquos fecit moram. Deinde ad Villam albam de Alcor contra Alfonsum Tellii properavit, et quidam milites ex agmine præcurrentes, extra munitionem Alfonsum Tellii repererunt, et captis equis et armis, ipsum etiam vulnerarunt, et vulneratus, in municipio se recepit, ubi per aliquot dies obsessus, viriliter se defendit.

(i) Compl. *Pascha Resurrectionis.*

De morte Regis Enrici.

CAP. IIII.

Ab obsidione vero Comes recedens, Pallentiam festinavit. Regina autem et sui nobiles in Aptello et castro Cinisario morabantur, et nesciebant quid agerent, eo quod in exercitum, Rege præsente, non poterant insilire, [j] nec illatas iniurias sustinere. Unde communiter decreverunt Regi restituere terram suam, et de cœlo auxilium expectare. Cum igitur terra (ut dictum est) variis incursionibus vastaretur, et Comes cum parvo Pallentiam advenisset, contigit eum in domo Episcopi hospitari, et res Ecclesiæ ut hostem consumere, et devastare. Quadam autem die, cum Rex puer instaret ludicris cum coætaneis domicellis, minus provide custoditus, domicellus quidam, è turre casu tegulam proiiciens, Regem in capite vulneravit, ex quo ictu post dies paucos fuit mors lugubris subsecuta. Sed antequam rumorem loquacitas divulgasset, Regina sapiens misit Lupum Didaci et Gundisalvum Roderici magnates pro filio suo Fernando, qui apud Taurum cum patre tunc temporis morabatur. Qui [k] euntes, rumorem de morte Regis pueri sumpserunt, et Regi Legionis causam aliam suadentes, cum Infante Fernando ad Reginam Verengariam redierunt. Interim autem Comes Alvarus tulit Regem à Pallentia, ut in [l] castro quod Tarecum dicitur, celaretur. Sed quia res non potuit occultari, soror eius Regina, funestis rumoribus concitata, Pallentiam cum magnatibus properavit, ubi à venerabili Tellio Episcopo civitatis cum processione sollemniter sunt recepti; et inde ad castrum quod Doniæ dicitur, procedentes, continuo vi ceperunt. Tunc magnates cum Comite Alvaro de concordia tractaverunt, sed nihil voluit Comes Alvarus acceptare, nisi Infans Fernandus, Rex futurus, suæ custodiæ, ut avunculus, traderetur. Cui pactioni Regina nobilis et magnates, ve-

(j) Tol. *ne illatas.*

(k) Al. *venientes, mortem Regis pueri suppresserunt.*

(l) Tol. *castrum quod Tarecum.*

Digitized by Google

verentes præterita, nullatenus consenserunt: et procedentes, ad Vallem oleti venerunt, et consilio habito, ad extrema Dorii processerunt. Et cum venissent ad villam quæ [m] Cauca dicitur, habitatores villæ eos recipere noluerunt; sed ad aldeam quamdam quæ Sanctus Iustus dicitur, secesserunt, et ibidem nuncios receperunt, ne [n] Secobiam, vel Abulam, vel ad aliquam extremorum Dorii accederent civitatem. Nunciatum est etiam quod Sancius Fernandi, frater Regis Legionensis, contra Reginam et filium eius magna cum multitudine adveniret. Unde et Regina nobilis et filii sui cum his qui aderant, ad Vallem oleti protinus redierunt.

(m) Al. *Coca.*

(n) Tol. et Compl. *Socobiam.*

Quod Infans Fernandus factus est Rex Castellæ.

CAP. V.

Cum autem audisset Regina potiores extremorum Dorii et de ultra Serram Secobiæ convenire, misit nuncios qui eis fidelitatis debitum suaderent. Cumque viri extremorum Dorii hoc audissent, venire ad Reginam nobilem continuo consenserunt, et cum ad Vallem oleti communiter convenissent, ibidem tam extremorum Dorii potiores qui pro omnibus venerant, quam etiam magnates et milites Castellani communi consensu [o] regnum Castellæ fidelitate debita Reginæ nobili obtulerunt. Ipsi enim, decedentibus filiis, cum esset inter filias primogenita, regni successio debebatur, et hoc ipsum patris privilegio probabatur, quod in armario Burgensis Ecclesiæ servabatur, et etiam totum regnum antequam Rex haberet filium, bis iuramento et hominio hoc firmarat. Ipsa autem intra fines pudicitiæ et modestiæ supra omnes mundi dominas se coarctans, regnum sibi noluit retinere. Sed extra portam Vallis oleti, educta multitudine extremorum Dorii et Castellæ, ubi forum agitur, convenerunt, eo quod tantam multitudinem domorum angustia non ferebat; et ibidem filio regnum tradens, Infans Fernandus de quo diximus, omnibus approbantibus, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ ducitur, et ibidem ad regni [p] solium sublimatur, anno ætatis suæ decimo octavo, clero et populo decantantibus, *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.* Et ibidem omnes ei fecerunt hominium, et fidelitatem Regi debitam iuraverunt, et sic honore regio ad regale palatium est [q] reductus. Cum autem audisset Regina nobilis Aldefonsum Regem Legionensem ad villam quæ [r] Airoium dicitur, advenisse, modestiæ suæ insistens pudori, per Mauricium Burgensem et Dominicum Abulensem Episcopos humiliter supplicavit, ut se ab inquietatione filii temperaret. Sed ipse Rex elatus superbia quam cordi eius Comes Alvarus instillarat, supplicationi et precibus contradixit, eo quod imperio inhiabat. Immo transivit Pisoricam, et venit Lacunam, ubi cum diebus aliquot permansisset, direxit faciem contra Burgis; et cum loca plurima et domos militum devastasset, et alias incendio concremasset, ad villam quæ Arcus dicitur, superve-

(o) Al. *Regi Castellæ fidelitatem debitam.*

(p) Tol. et Al. *salutem.*

(q) Al. *adductus.*

(r) Al. *Arroyum.*

Digitized by Google

venit, sperans civitatem Burgensem se capturum. Sed cum audisset in eadem urbe Lupum Didaci et multos [s] milites congregatos, frustratus spe vacua et inani, contra consiliarios indignatus, in terram suam propere remeavit.

(s) Compl. nobiles congregatos.

De tumulatione Regis Enrici.

CAP. VI.

Regina autem, in Regem filio sublimato, dum hæc fierent, Pallentiæ morabatur, et ibi venerunt ad eam ex Secobia, et Abula, et aliis oppidis extremorum Dorii milites copiosi,[t] conciliorum suorum servitia offerentes. Et tunc Regina duos venerabiles Pontifices, Tellium Pallentinum et Mauricium Burgensem misit Tarecum, ut Enrici Regis corpus reciperent cum suis parentibus tumulandum, præsertim cum et hoc ipsum Comes Alvarus iam mandasset; et præfati Pontifices, recepto corpore, Pallentiam redierunt. Et inde Rex novus cum matre sua Regina nobili ad castrum quod Munio dicitur, advenerunt, et dum Rex oppidum impugnaret, Regina nobilis fratrem suum Enricum Regem in sarcophago nobiliter præparato detulit ad monasterium prope Burgis, et ibidem iuxta fratrem suum Fernandum Infantem, cum planctu magno exequiis celebratis, regaliter sepelivit. Inde vero Regina veniens Munionem, invenit castrum à Rege Fernando et suis fidelibus occupatum, militibus qui inerant, captivatis. Post hæc ad Lermam et Laram quas Comes Alvarus detinebat, cum Burgensi concilio procedentes, invasas fortiter occuparunt, et rebellantes milites vi ceperunt. Inde ad urbem Burgensem redeuntes, à Pontifice, clero, et populo honorifice et processionaliter sunt recepti, gaudentibus omnibus, quod liberati ab hostibus in dominæ naturalis dominio remanserunt.

(t) Tol. et Al. consiliorum suorum.

De largitate Reginæ [u] Verengariæ, et de captione Comitis Alvari.

(u) Al. Berengariæ.

CAP. VII.

Verum quia perturbatione huiusmodi obsistente, regales reditus ad stipendia defecerunt, et Regina nobilis, quidquid habuerat, in largitionibus dispensarat, ad argenti et auri et gemmarum donaria misit manum, et quæque ex talibus reservarat, in auxilium filii liberaliter erogavit; et de consilio magnatum qui secum aderant, ad partes Belli foraminis, Anagari [x](Naiaræ)processerunt, et receptis villis quas sibi incolæ gratissime reddiderunt, Burgis iterum sunt reversi: munitiones enim quas Comes [y] Gonsalus Nunii detinebat, non potuerunt propter sui fortitudinem expugnare. Et dum Rex et Regina nobilis essent Burgis, Comes Alvarus cum fratribus et complicibus per aggerem [z] Alliorum, et Quintanam fortunii transierunt, et in Belli foramine hostiliter irruentes, nec ætati nec sexui pepercerunt, sed cuncta cæde et incendio consumpserunt. Quod cessit novo Regi et Reginæ nobili in amaritudinem et dolorem. Et hac vastatione peracta, Comites ad

(x) Al. non habet Naiaræ.

(y) Compl. Gunsalvus Nunii.

(z) Compl. Alleorum.

Digitized by Google

ad propria redierunt, et Rex novus cum matre Regina nobili et suis magnatibus à Burgis Pallentiam cœpit ire. Et dum ad villam quæ Pallentiola dicitur, pervenissent, Comes Fernandus in ripella vallis [a] Guiariæ, aciebus dispositis, subsistebat. Comes Alvarus cum suis militibus Ferrariolam se recepit, et quarta feria quattuor temporum mensis Septembris, cum Rex Fernandus et Regina nobilis ituri Pallentiam, iuxta Ferrariolam pertransirent, collateralem aciem cùm Alfonso Tellii et Suerio Tellii separavit, ne agmen exercitus [b] transeuntis à militibus Comitis læderetur. Et cum Comes Alvarus extra villam cùm aliquibus militibus resedisset, in villam ceteris intromissis, [c] ut posset exercitum contemplari, remansit cum paucis, in villam colligi dedignatus. Sed cum Alfonsus Tellii, et Suerius Tellii, et Alvarus Roderici, et quidam alii eum eminus agnovissent, contra eum equorum impetu processerunt, et videns multitudinem præeminere, iam exanimis, quamvis superbus, recolligere sese cœpit. Sed cum prædicti milites advenissent, Comes Alvarus de equo descendit, et iacens in terra, clypeo se obtexit. Sed illi [d] manibus eum trahentes, captum cum duobus militibus concaptivis Regi et nobili Reginæ præsentarunt. Et qui multos offenderat, qui nulli pepercerat, qui naturali dominæ [e] eius dominium abnegarat, divino iudicio nunc prostratus, suorum militum et fratrum intuentium auxilio destitutus, capitur inglorius et confusus. Tunc Regina nobilis gaudio et lacrimis Deum laudans, diu gratiarum institit actioni, quod inimicum suum et regni et filii sibi tradidit tam facili captione.

(a) Compl. *Guijariæ*.

(b) Tol. *transeuntes*.

(c) Compl. *ut ipse posset*.

(d) Al. *per manus*.

(e) Tol. et Compl. *jus dominii abnegarat*. Al. *abnegavit*.

Quod Comes Alvarus et Comes Fernandus restituerunt quædam castra novo Regi.

CAP. VIII.

Videntes igitur cuncti qui aderant, quod Deus omnipotens Reginæ nobilis opera dirigebat, cum gaudio et actionibus gratiarum Pallentiam intraverunt, et inde ad Vallem oleti iverunt, ubi fuit Comes Alvarus in captione et vinculis custoditus. Cumque ibidem de compositione aliquandiu tractaretur, ea conditione fuit pactio acceptata, ut Comes Alvarus restitueret castra omnia quæ tenebat, scilicet Cannetum, et Alarconem, Amaiam, et Tarecum Cæsareum, et Villamfrancam, Turrim Belli foraminis, Anagarum, [f] (Naraiam) et [g] Pandicurgum, et his deditis, solveretur. Castrum Xoriz et Orzeionem detinebat Comes [h] Fernandus frater eius, et ad eorum captionem tenebatur Comes Alvarus cum centum militibus Regem sequi, donec ea suæ potentiæ subiugaret. Comes autem Alvarus Gundisalvo Roderici fuit commissus, donec compleret superius prænotata. Rex autem duxit exercitum versus Castrum, et licet Comes Fernandus fultus copia victualium et multitudine armatorum inibi rebellaret, ea conditione restituit Castrum et Orzeionem, ut eius vasallus fieret, et ab eo ut vasallus proprius castra teneret. His per-

(f) Al. non habet *Naiaram*.

(g) Compl. *Pandicurvum, et his redditis, solveretur*.

(h) Compl. hic et alibi *Ferrandus*.

peractis, Domino disponente, quievit perturbatio novi Regis, et sex mensium spatio fuit seditio sic sedata, quæ credebatur perpetuo duratura, quod Rex Fernandus susceptus ab omnibus, cœpit (i) ubique iurisdictionem regiam exercere.

(i) Tol. et Al. *ibi iurisdictionem.*

De Comitum morte Alvari et Fernandi.

CAP. IX.

Post hæc autem Comites videntes in regno potentiæ suæ gloriam minoratam, immo potius annullatam, in Valle iuniperi territorii Pallentini cœperunt iterum rebellare, et prædas in campis Gothicis exercere. Sed Rex Fernandus cum Regina nobili matre sua et aliqua parte magnatum venit ad aggerem Fumorum, et (l) Medinam de rivo sicco, et sic Comitum insolentiæ pro parte maxima cessaverunt. Sed videntes Comites in Valle iuniperi non posse resistere, Regis Legionensis dominio se dederunt, et, ut moveret guerram filio, suaserunt. Cumque utrimque exercitus convenissent, et quidam nobiles ex Castella versus partes Salmanticæ intravissent, videntes Regem Legionis sibi cum suo exercitu occurrentem, in aldea Medinæ del Campo, quæ Castellio dicitur, intraverunt. Cumque Rex Legionensis eos inibi obsedisset, et Comes Alvarus cœpisset caligis ferreis calceari, percussus à Domino, cœpit gravissime infirmari, et firmata tregua inter patrem et filium, ab invicem discesserunt. Comes autem Alvarus morbi et (k) treguæ dolore vexatus, Taurum semianimis est delatus, ubi mortis anxietate coactus, militiæ Sancti Iacobi sese dedit, et ibidem vitam finivit, et Uclesii est sepultus. Et post modicum temporis Comes Fernandus frater eius, (l) cui non, ut voluit, in regno Castellæ desideria provenerunt, in Africam transfretavit, et ab Amiramomenino susceptis muneribus, varia iactitavit; et dum ibi longa mora, ut moris est Arabum, traheretur, eum contigit infirmari, et fecit ad vicum prope Marrochos, qui Elbora dicitur, se transferri. Vicus enim à christianis dumtaxat incolis colebatur. Et dum percepit ex incurabili morbo interitum imminere, à Gundisalvo fratre hospitalis, qui Innocentii Papæ tertii familiaris extiterat, suscepit habitum hospitalis, et universæ carnis viam ingressus, cum aliis qui ibidem obierant, ad domum hospitalis, qui Pons Fiterii dicitur, in diœcesi Pallentinensi, in sarcophago est delatus, et ibidem ab uxore sua Comitissa Maiore, et filiis suis Fernando et Alvaro, et multis aliis est sepultus.

(l) Al. *Methymnam Rivisicci.*

(k) Compl. *treugæ.*

(l) Compl. *quia non, ut voluit, in regno Castellæ ei desideria provenerunt.*

De laude Regis Fernandi, et eius uxore Beatrice.

CAP. X.

Adversariis itaque sic à Domino iudicatis, Rex Fernandus regnum obtinuit pacifice et quiete, Regina nobili omnia disponente, quæ (m) adeo sollicite filium educavit, ut regnum et patriam iuxta morem avi sui nobilis Aldefonsi (n) in pace et modestia gubernaret usque ad re-

(m) Tol. *adeo sollicite eum educavit.*

(n) Al. *Aldefonsi modeste, et pacifice gubernaret.*

Digitized by Google

regni sui vicesimum quintum annum. Sed quia indecens erat, ut tam magnus Princeps extraordinariis petulantiis traheretur, mater sua quæ semper voluit eum ab illicitis custodire, (o) procuravit ei uxorem nomine Beatricem, quæ fuit filia Regis Philippi, in Romanorum Imperatorem electi, et Mariæ filiæ Corsac Constantinopolitani Imperatoris, quæ fuit optima, pulchra, sapiens, et pudica; missique pro ea nuncii Mauricius Burgensis Episcopus, vir laudabilis et discretus, Petrus Abbas Sancti Petri de Aslantia, Rodericus Abbas de Rivo sicco, Petrus Odoarii Prior hospitalis, ad Fredericum Romanorum Regem, sub cuius custodia erat tunc temporis domicella, in Teutonia accesserunt, (p) et ab ipso Rege honorabiliter sunt recepti. Cumque legationis causam, ut iniunctum fuerat, explicassent, prædictus Rex et sui principes responsionem aliquandiu suspenderunt, et fere per menses quattuor prædicti nuncii expectarunt. Tandem Rex Federicus, in Imperatorem electus, consobrinam suam Beatricem, domicellam nobilem, pulchram, compositam, et prudentem, Regi Fernando per dictos nuncios cum apparatu nobili destinavit. Et cum Parisios advenissent, Rex Francorum, Philippus nomine, qui tunc Galliis præsidebat, eam honeste recepit, per terram suam honorifice dans (q) ducem. Ad regnum Castellæ felici itinere pervenerunt. Et Regina nobilis Berengaria cum comitatu nobili religiosorum, et sæcularium, magnatum, et dominarum ultra burgum qui Victoria dicitur, occurrit nobili domicellæ; et Burgis exinde venientes, invenerunt Regem Fernandum cum magnatibus et nobilibus et civitatum primoribus expectantem, qui domicellam et nuncios honore quo decuit, receptavit. Et tertia die ante festum Sancti Andreæ in regali monasterio prope Burgis celebrata Missa à venerabili Mauricio Burgensi Episcopo, et armis militaribus benedictis, ipse Rex, suscepto gladio ab altari, manu propria se accinxit cingulo militari, et mater sua Regina nobilis ensis cingulum deaccinxit. (r) Tertia die, in festo scilicet Sancti Andreæ, Beatricem dulcissimam domicellam duxit sollemniter et legitime in uxorem, Missam venerabili Mauricio in Cathedrali Ecclesia celebrante, et benedictionem nubentibus largiente. Et fuit ibi curia nobilissima celebrata, assistentibus totius regni magnatibus, dominabus, et fere omnibus regni militibus, et primoribus civitatum.

(o) Al. legit *procata est ei.*

(p) Tol. et Compl. non habent *et.*

(q) Compl. *ducatum, et ad regnum.*

(r) Compl. *et tertia die.*

De rebellione quorumdam magnatum, et morte Comitis Gundisalvi.

CAP. XI.

Post modicum vero temporis, propter iniurias quas Rodericus Didaci de Camberis in terra sibi credita exercebat, licet esset cruce signatus in subsidium Terræ sanctæ, Rex Fernandus citavit eum, ut ad curiam veniens, satisfaceret de obiectis. Cumque ille ad Vallem oleti curiam advenisset, cum naturaliter iræ inconstantia duceretur, à falsis amicis suasus, inviso et insa-

Digitized by Google

salutato Rege, recessit. Rex autem pro huiusmodi indignatus, abstulit ei terram [s] suam. Et cum prædictus Rodericus Didaci nollet restituere munitiones, tandem restituit eo pacto, ut Rex daret ei quattuordecim millia aureorum; et cum pecuniam suscepisset, tunc demum reddidit castra Regi. Anno postea iterum revoluto, Gonsalus Petri, [t] Molinæ dominus, consilio Comitis Gundisalvi cœpit contra Regem minus provide rebellare, et partem [u] regni Molinæ vicinam rapinis et vastationibus molestare. Cumque monitus, nec desistere, nec satisfacere voluisset, Rex Fernandus super eum exercitum congregavit; sed supervenienti nobili Regina Berengaria matre sua, cum Rex non posset castrum [x] Zaphare expugnare, concordiam [y] procuravit, et certis pactionibus Rex, soluto exercitu, à Molina recessit. Et diebus aliquot interpositis, Comes Gundisalvus Nunii qui ad Arabes se transtulerat, cum à Rege Castellæ beneficia non posset assequi, ut optabat, iterum se restituit Agarenis, et dum in partibus Cordubæ moraretur, in villa quæ [z] Beatia dicitur, infirmitate gravissima contigit ipsum mori, et delatus à suis, sepultus est in Cephinis, ubi habent oratorium fratres templi.

(s) Compl. non habet *suam.*

(t) Tol. non habet *dominus.* Al. *de Molina dominus.*

(u) Tol. et Al. *Reginæ, Molinæ vicinam.*

(x) Al. *Capbare.*

(y) Tol. et Al. *procuraverat.*

(z) Al. *Baena dicitur.* Compl. *Beana*, sed inter utramque lineam legitur *Baena.*

De filiis Regis, et primis vastationibus contra Mauros.

CAP. XII.

Suscepit autem Rex Fernandus ex uxore sua gratissima Beatrice filios hic notatos: Aldefonsum primogenitum, [a] Federicum, Fernandum, Enricum, Philippum, qui oblatus à domina Berengaria Regina nobili avia sua Deo et Roderico Toletano Pontifici, per manus eiusdem Pontificis ad titulum Ecclesiæ Toletanæ in sortem Domini est vocatus; et in continenti idem Pontifex præbendam et alia beneficia in prædicta Ecclesia assignavit. Habuit alios filios, Sancium, qui oblatus Roderico Toletano Pontifici, à quo cum clericali tonsura Psalmistæ officium est adeptus, præbendam et beneficium in Toletana Ecclesia est consecutus: Emmanuelem, et duas filias, Alienor, quæ decessit parvula, et Berengariam, quæ in regali monasterio degit virgo Domino consecrata. Verum Regina nobilis Berengaria, mater Regis, volens eum à Christianorum iniuriis alienum, militiæ suæ primitias voluit Domino [b] dedicare, et treguam cum Arabibus noluit ulterius protelari; sed exercitu congregato, assistentibus sibi Roderico Toletano Pontifice et aliis magnatibus regni sui, per Beatiam et Ubetam vastationes exercens, aggressus est [c] Caseatam, et captis et interfectis multis millibus Sarracenorum, quia castrum variis impugnationibus erat dirutum, tunc noluit retinere. Rex autem, Caseata, ut diximus, occupata, per ripam Bætis magni fluminis ad partes pervenit Giennii, et destructis quibusdam munitionibus, urgente instantia hiemali, ad propria est reversus. Post hæc autem iterum exercitum congregavit, et tradente eas sibi Avomahomat, qui erat Arabum Princeps nobilis, filius Avoabdellæ filii

(a) Al. *Fredericum, Frenandum.*

(b) Al. *immolare, et treugam.*

(c) Compl. ubique *Cascatam.*

Digitized by Google

Abdelmumi, cepit Beatiam, Andugarum, atque Martos, et castrum istud nobilissimum dedit fratribus Calatravæ, et destructis aliis castris et municipiis, ad sua feliciter est reversus. Et tertio ingressus terram Arabum, cepit Seviot, (d) Xolarum, et Gartiez, et bellatoribus obfirmavit, aliisque vastationibus peractis, ad urbem reversus est Toletanam. Eo tempore erat in Hispaniis legatus Romanæ Ecclesiæ Ioannes de Abbatis villa, quæ est in Comitatu Pontini, Sabinensis Episcopus Cardinalis, vir bonus, sapiens, litteratus, qui celebratis in singulis regnis Conciliis, postquam monita salutis proposuit, ad Sedem Apostolicam est reversus, tribus annis legationis expletis. Post hæc iterum Rex Fernandus terram Arabum est ingressus, et cepit (e) Eznatoraph, turrem de Albep, Sanctum Stephanum, et Chicranam, et alia vice duxit exercitum per (f) Giennium circa festum Sancti Ioannis, quod propter sui fortitudinem non potuit expugnari; et inde procedens, cepit Pegum, et captis incolis, et occisis, munitionem funditus desolavit: et veniens ad oppidum quod Alhama dicitur, captis habitatoribus, et occisis, locum destructione simili dissipavit. Post quod ad propria cum exercitu remeavit. In hac expeditione non interfuit Rodericus Pontifex Toletanus, qui (g) Guadalphaiare remanserat, febris acumine fatigatus, ubi finis periculum vix evasit; sed misit cum exercitu (h) Dominicum, Capellanum suum, virum venerabilem, Episcopum Placentinensem, qui in exercitu loco eius pontificalia exerceret.

(d) Compl. *Xodeirum.*

(e) Tol. *Oznatoraph.*

(f) Compl. ubique *Giennum.*

(g) Tol. *Guadalfaianæ.*

(h) Al. *Domini Capellanum suum.*

De captione Capellæ, et fundatione Ecclesiæ Toleti, et Abenhut.

CAP. XIII.

Et procedens iterum contra Mauros, obsedit Capellam, castrum munitissimum in diœcesi Toletana, et diutinis impugnationibus tandem cepit, et expletis quattuordecim hebdomadibus expeditionis, ad urbem regiam est reversus. Et tunc iecerunt primum (i) lapidem Rex et Archiepiscopus Rodericus in fundamento Ecclesiæ Toletanæ, quæ in forma Mezquitæ à tempore Arabum adhuc stabat, cuius fabrica opere mirabili de die in diem, non sine grandi admiratione hominum, exaltatur. In diebus huius Regis Fernandi surrexit quidam, nomine Abenhut, in castro Rechoc in territorio Murciensi, et cœpit contra Almohades rebellare, qui cismarinos Arabes adeo crudeli dominio opprimebant, quod de facili Abenhuti proposito consenserunt; et obtenta Murcia et finitimis oppidis et castellis, omnes Almohades, quos habere potuit, capite detruncavit, et omnes Mezquitas præsentia Almohadum iudicans inquinatas, aspersione aquæ fecit à suis sacerdotibus expiari, et armorum suorum insignia fecit nigra, quæ in bellis et alibi præferebat, quasi luctu præsignans gentis suæ excidium: et in modico tempore obtinuit Vandaliam Hispanorum, præter Valentiam et confinia, in quibus Zaen de gene-

(i) Tol. *lapides.*

nere regio rebellavit. Erat autem Abenhut de genere Abohaget, olim Regis Cæsaraugustæ, et cum fere Monarchus in cismarina Vandalia haberetur, audacia, largitate, iustitia, veritate, prout gentis eius infidelitas, seu versutia tolerat, præeminebat. Sed à quodam suorum, qui Abenromam dicitur, invitatus ad epulas et delicias familiares, quas gentis illius colit voluptas, factione hospitis et vasalli occiditur in conclavi apud præsidium Almariæ. Et tunc invaluit Arabs quidam, dictus [j] Mahoma Alienalaginar, qui paulo ante bovis et aratri vestigia sequebatur. Hic Arionæ, et Giennii, Granatæ, Vastæ, et [k] Accii, et locis aliis adhuc hodie principatur: et post interitum Abenhuti Vandalia cismarina in plures Regulos est divisa, et ab Almohadibus separata, quod [l] Christianis utile invenitur.

(j) Al. *Mahomat Avenalegiginar, qui paulo ante bovem et aratri*. Ita Compl. sed legit *Avenaloginar*.

(k) Compl. *Accio*.

(l) Compl. *Christianorum proposito utile invenitur*.

De morte Aldefonsi Regis Legionensis, et successione Regis Fernandi.

CAP. XIIII.

Post hæc iterum obsedit Giennium, et machinis validis impugnavit, sed videns quod civitas tanta fortitudine præeminebat, quod non posset humano ingenio expugnari, habito suorum magnatum consilio, inde recessit, [m] et cum Abdaralfertiam pervenisset, rumor advenit patrem suum in Villa nova de Sarria ab hoc sæculo migravisse, et in Ecclesia beati Iacobi traditum
Æ. 1268. sepulturæ, Æra MCCLXVIII, et quod etiam regnum legaverat, quas ex Regina Tarasia susceperat, filiabus. Propter quod mater eius Regina nobilis domina Berengaria [n] ad eum materna sollicitudine veniebat, ut ad recipiendum [o] regnum paternum quantocius festinaret, quod ei de mandato patris Pontifices, magnates, et civitatum concilia [p] iurarant, ne forte in mora perturbatio aliqua oriretur. Erant autem cum eo Rodericus Pontifex Toletanus, Lupus Didaci, Alvarus Petri, Gonsalvus Roderici, Garsias Fernandi, Alfonsus Tellii, [q] Guillermus Gonsalvi, Didacus Martini, et alii nobiles, et magnates, et plures milites civitatum, qui cum Rege inclito venientes, Reginam nobilem in pago qui [r] Orgatium dicitur, invenerunt, et inde communiter urbem regiam intraverunt, à qua, mora [s] postposita, omnes continuo recesserunt, et ad oppidum quod Agger Sellarum dicitur, pervenerunt; indeque ad castrum Sancti Cypriani de Mozoth cum matre et comitatu veniens, castrum ei ut domino reddiderunt. Sequenti die eum similiter in villa Lalii receperunt, ubi ad Regem, tamquam ad dominum, ex Tauro, nobilissimo oppido, milites advenerunt, qui Regem [t] sui et oppidi naturalem dominum cognoverunt, et, ut sequenti die Taurum adiret, instantissime supplicarunt, nobili Regina hæc omnia [u] procurante. Altera vero die Taurum intravimus, ubi omnibus annuentibus, Rex Fernandus, facto sibi hominio, in Regem et dominum est receptus. Indeque per castra dominæ Reginæ aliquandiu incedentes, recepimus ex aliis civitatibus milites et nuncios venientes,

(m) Al. *et cum ad Doralfeciam pervenisset, rumor advenit patrem suum ab hoc sæculo decessisse, et in Ecclesia*. Al. legit *Doral Fertiam*.

(n) Compl. *versus eum*.

(o) Tol. et Al. *bonum paternum*.

(p) Compl. in ora *his iurarant*. Tol. *iurarent*.

(q) Al. *Guillinus*.

(r) Al. *Orgacim*.

(s) Tol. et Al. *proposita*.

(t) Al. *suum et oppidi*.

(u) Compl. et Al. *sagacissime procurante*.

Digitized by Google

tes, qui videbantur de receptione Regis aliquantulum dubitare. Sorores enim domini Regis, Sancia et Dulcis, de quibus diximus, rebellionem cum complicibus præparabant. Sed tamen regni Prælati, quorum interest regnum et sacerdotium contueri, in auditu auris Regem Fernandum in Regem illico receperunt, scilicet, Ioannes Ovetensis, Nunius Astoricensis, Rodericus Legionensis, Michael Lucensis, Martinus Salamantinus, Martinus [x] Mindonensis, Michael Civitatensis, Sancius Cauriensis. Hi omnes cum suis civitatibus, patre mortuo, filio se dederunt, nec rebellio cogitata potuit invalere. Nam quam cito venimus Maioricam et Mansellam, Regi se protinus reddiderunt.

(x) Tol. *Mintomensis.*

De ingressu Legionensi, et concordia Regis cum sororibus.

CAP. XV.

Sequenti vero die intravimus Legionem, quæ in regno illo sedis regiæ præeminet dignitate, ibique ab Episcopo et universis civibus ad regni Legionis fastigium elevatur, clero et populo, *Te Deum laudamus*, cantantibus concorditer et iucunde, et ex tunc Rex Castellæ et Legionis pariter est vocatus. Ibique nuncii advenerunt ex parte Reginæ [y] Tarasiæ super compositione internuncia referentes, et licet verbum magnatibus displiceret, tamen Regina nobilis in tantum [z] timuit regni et pauperum vastationem, quod procuravit, ut Rex subsisteret Legioni, et ipsa iret Valentiam de concordia cum Regina Tarasia tractatura. Cumque ambæ Reginæ Valentiæ convenissent, sic sollertia Reginæ nobilis Berengariæ procuravit, ut Regis sorores Regi restituerent omnia quæ tenebant, et ipsæ essent provisione contentæ, quam eis Rex et Regina nobilis assignarent; si quid iuris in regno habebant, simpliciter resignarent. Et pacto huiusmodi confirmato, Rex advenit, et inde omnes ivimus Beneventum, quo etiam Infantes filiæ Reginæ Tarasiæ advenerunt, [a] ubi Rex Fernandus et Regina nobilis eis reditus triginta millium aureorum in locis competentibus [b] assignarunt percipiendos toto tempore vitæ suæ: et sic obtinuit omnes munitiones et omnia castra quiete et pacifice Rex Fernandus. Et in hoc enituit quamplurimum Reginæ nobilis sollers cura, qua non minori gratia Regi filio dedit hoc regnum, quam Regnum Castellæ, quod ad eam iure hereditario pertinebat. Sic enim scivit omnia ordinare, ut licet regnorum unio fere omnibus displiceret, ipsa studuit taliter providere, ut sine sanguinis effusione regnorum unio proveniret, et utrumque regnum pace perpetua lætaretur. Indeque Rex ivit Zemoram, Salamanticam, [c] Letesmiam, Civitatem Roderici, et Albam, et per ceteras regni partes, in quibus honore regio et hominio ab omnibus est susceptus. Tunc Rex Fernandus dedit Caseatam iure hereditario Roderico Archiepiscopo Toletano, quæ tamen [d] aliquantulum reparata, à Sarracenis incolis tenebatur. Sed Ro-

(y) Compl. *Thoresiæ*: infra legit *Tharasia.*

(z) Al. *timuit de regni vastatione.*

(a) Al. *ut.*

(b) Al. *resignarent.*

(c) Al. *Letbesimam.* Compl. *Letesimam.*

(d) Compl. *iam aliquantulum.*

Digitized by Google

Rodericus Archiepiscopus, evolutis à donatione tribus mensibus, exercitu congregato, ivit contra Caseatam cum multitudine armatorum, et expulsis Mauris qui ruinas oppidi reparabant, illud retinuit, et ad honorem Regis qui illud dederat Ecclesiæ Toletanæ, custodivit hactenus, et custodit cum aliis castris, scilicet, Pilos, Toyam, Lacra, Agosmo, Fonte Iuliani, [e] Turribus de Lacu, Ficu, Alaulula, Areola, duobus Germanis, Villa Montini, Nubila, et Castorla, Concha, et Chelis. Post hæc iterum Rex Fernandus obsedit Ubetam, oppidum populosum, bellatoribus et munitione magna tutatum, sed adeo fortiter impugnavit, ut conclusi, salvis corporibus, oppidum resignarent. Et tunc Rex, oppido acquisito, ad urbem regiam est reversus, Æra
Æ. 1272. MCCLXXII. Obiit Regina Beatrix in oppido quod Taurum dicitur, et ducta ad regale monasterium prope Burgis, iuxta Regem Enricum regaliter est sepulta.

(e) Tol. et Al. *Turribus Dela, cum Ficu.*

De obsidione et captione Cordubæ.

CAP. XVI.

Cæterum elapso biennio à morte patris sui Regis Legionensis, obsedit Cordubam, regiam et patriciam civitatem, ad cuius obsidionem hoc modo venit. Sarraceni quidam, offensi primoribus civitatis, venerunt ad quosdam milites Christianos, spondentes se daturos unum ambitum [f] *el Axarquia* civitatis. Hi autem milites, qui Almogaveres dicuntur Arabice, verbum gaudii audientes, licet non crederent, periculo sese dederunt, et in noctis silentio ad murum Cordubæ pervenerunt; et cum vocem vigilum non audissent, quia [g] soporis ignavia tenebantur, appositis scalis quas secum tulerant, ad muri altitudinem ascenderunt, et turres aliquas occuparunt, in quibus vigiles occiderunt, et ambitum qui [h] Axarquia dicitur, invaserunt, multis ex Arabibus interfectis qui in hoc ambitu habitabant, et ipsi, metu postposito, in turribus resederunt, licet ex alio ambitu Arabes sagittis, fundis, iaculis, et lapidibus fortiter impugnarent; et successum huiusmodi nunciarunt Christianis qui in frontaria morabantur. Quod cum audisset miles quidam de familia Regis, qui Ordonius Alvari dicebatur, statim omnes quos habere potuit, Cordubam secum duxit, et statum obsidionis domino Regi continuo intimavit. Interim autem advenit Alvarus Petri de regni magnatibus potens et nobilis, et obsidentibus se adiecit, et Rex Fernandus qui in regno Legionis eo tempore morabatur, recepto nuncio, convocatis civibus et militibus, licet non expectatis, vix cum centum militibus cœpit continuo proficisci, sed imbrium et fluviorum inundationibus aliquantulum impeditus, non potuit tam cito occurrere, ut volebat; advenit tamen tempore opportuno, et [i] quotidie, tam ex Castella, quam ex Legione veniebant milites, et magnates, et communia civitatum. Cœpit Corduba gravius coarctari: tandem af-

(f) Compl. inter utramque lineam legit *el Arxerquia*: à Tol. abest.

(g) Al. *corporis ignavia dormitabant.*

(h) Compl. *Xarquia.*

(i) Al. *continue.*

affecta pugnis et inedia, victa redditur et invita, et vitæ tantummodo conservati inclusi Arabes exierunt, et in festo Apostolorum Petri et Pauli à sordibus Machometi patricia civitas expurgatur. Sed Rex in turri maiori, ubi solebat nomen perfidi invocari, præcepit lignum crucis vivificæ exaltari, et cœperunt omnes cum gaudio et lacrimis, *Deus adiuva*, conclamare, et subsequenter regale vexillum iuxta crucem Dominicam collocari, et cœpit in iustorum tabernaculis gaudii et lætitiæ vox audiri, clero cum Pontificibus acclamante, *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.*

De restauratione et dote Ecclesiæ Cordubensis, et campanis relatis ad Sanctum Iacobum.

CAP. XVII.

Et tunc venerabilis Ioannes Oxomensis Episcopus, regalis aulæ Cancellarius, cum Gundisalvo Conchensi, Dominico Beacensi, [j] Adamo Placentinensi, Sancio Cauriensi Episcopis Mezquitam ingressus est Cordubensem, quæ cunctas Mezquitas Arabum ornatu et magnitudine superabat. Et quia venerabilis Ioannes, de quo diximus, Roderici Toletani Primatis vices gerebat, qui tunc temporis apud Sedem Apostolicam morabatur, eliminata spurcitia Machometi, et aqua lustrationis perfusa, in Ecclesiam commutavit, et in honore beatæ Virginis erexit altare, et Missam sollemniter celebravit, et sermonem exhortationis [k] divinæ proponens secundum sapientiam sibi datam, et gratiam suis labiis instillatam, diffudit in cordibus auditorum, adeo ut pœnitentiali gaudio recreati, contriti cordis sacrificia et labiorum vitulos [l] immolarent. Et Rex Fernandus novæ Ecclesiæ dotem obtulit competentem. Postea consecrato ibi Episcopo magistro Lupo, [m] Roderico Primate et Pontifice Toletano, aliquos reditus privilegio confirmavit, et Lucenam insuper dedit ei. Et tanta est urbis illius abundantia, amœnitas, et ubertas, quod, audito præconio tantæ urbis, ex omnibus Hispaniæ partibus habitatores et futuri incolæ, relictis natalibus sedibus, quasi ad regales nuptias cucurrerunt, et sic incolis continuo est repleta, quod domus habitatoribus, non habitatores domibus defecerunt. Et cum in opprobrium populi christiani campanæ Sancti Iacobi, quas, ut diximus, Almanzor detulerat in Cordubæ Mezquitam, dependerent functæ officio lampadum, Rex Fernandus easdem campanas fecit ad Ecclesiam beati Iacobi reportari, et Ecclesiæ beati Iacobi restitutæ sunt. Cum ceteris cymbalis bene sonantibus in Sanctis suis peregrinorum devotio laudat Deum. Stabilita igitur incolis et bellatoribus civitate, Rex Fernandus Toletum ad Reginam nobilem est reversus, quæ pari victoria iucundata, utpote quæ consilio et subsidio, licet absens, omnia procurarat, gratias cum lacrimis egit Deo, quod antiqua dignitas, ignavia Principum liturata, sui sollertia et studio

(j) Compl. et Al. *Adam.*

(k) Tol. et Al. *diem.*

(l) Compl. *Domino immolarent.*

(m) Compl. et Al. *à Roderico Primate et Pontifice Toletano aliquos reditus.* Tol. legit *Rodericus Primas, et Pontifex Toletanus.*

Digitized by Google

dio filii fuit Hispaniæ restituta. Hæc enim Regina nobilis Berengaria sic filium in bonis operibus enutrivit, quod bona studia quæ Regina nobilis, nullius virtutis oblita, nullius charismatis expers, ut lac mellifluum gratiis circumfusum, cordi eius influere non cessavit, nec umquam ab ubere pleno virtutibus ablactavit: et licet vir factus, in ætate roboris confirmatus, mater eius numquam cessavit, nec cessat, quæ Deo et hominibus sunt accepta, studio vigili suadere, quia nec umquam feminea, sed semper magnificentiæ opera persuasit. Hæc enim Regina nobilis tanto studio conservavit, et adeo dilatavit recepta charismata gratiarum, ut omnis ætas, omnis sexus, omnis conditio, omnis professio, omnis natio, omnis lingua affectum sentiat cum effectu, et virtutum fasciculo non partito, omnibus misericordiæ opera compartitur, et paternorum operum provida executrix, plus invenitur regni et rerum prodiga, quam virtutum, quam merito nostra tempora admirantur, [n] cui numquam similem, nec [o] moderna, nec patrum nostrorum tempora habuerunt. Pro qua Dominum exoremus, ut eam dignetur diutius conservare, et sibi profutura concedat, et bonis operibus abundare, donec felicem spiritum suo restituat Redemptori.

(n) Al. *cum.*
(o) Al. *nostra.*

De traductione secundæ uxoris Reginæ Ioannæ.

CAP. XVIII.

Et ne Regis pudicitia alienis commerciis læderetur, Regina nobilis mater sua domicellam nobilem, generosam, [p] proneptem Regis Francorum illustrissimi Ludovici, filiam Simonis illustris Comitis de Pontino, et Mariæ illustris Comitissæ eiusdem, Ioannam nomine, procuravit in coniugem sibi dari, [q] Æra MCCLXXV. Burgis adveniens, more regali curia et nuptiis celebratis, ad Reginæ assumitur dignitatem. Hæc vero Regina pulchritudine, præstantia, et modestia sic floruit, ut in conspectu viri virtutibus gratiosa, coram Deo et hominibus sit accepta. Et suscepit ex ea filium qui dicitur Ferdinandus, et filiam parvulam quæ à proavia Alienor est vocata, et alium parvulum Ludovicum. Verum Rex Fernandus cum filiis suis Aldefonso et Fernando, qui tunc in flore adolescentiæ lætabantur, Cordubam est reversus, et in adventu suo multa castra Sarracenorum, [r] quæ Christianorum incursibus et intestinis cædibus longo tempore tabescebant, volentes colere pacifice terras suas, pactis interpositis, se Regis dominio tradiderunt. Tunc datæ sunt ei civitates et castra, quorum præsidia Christianis (ut diximus) investivit, et ab Arabibus tributa suscepit, et eorum nomina hic notantur: [s] Ecija, Almodovar, Luc, [t] Luxcena, Stepa, [u] Sede, et Fila, et multa alia, quorum nomina longum esset enumerare.

Æ. 1275.

(p) Al. *proneptam.*
(q) Compl. et Al. *quæ Æra MCCLXXV. Burgis adveniens.*
(r) Al. *quæ eo tempore tabescebant, volentes pacifice terras possidere, pactis interpositis, se Regis dominio reddiderunt.*
Tol. legit *supradictis interpositis.*
(s) Al. *Oceya.*
(t) Compl. *Lurcena.*
(u) Al. *Site, et Filia.*

Hoc opusculum, ut scivi, et potui, consummavi, anno Incarnationis Domini MCCXLIII, Æra MCCLXXXI, anno vicesi-

Æ. 1281.

simo sexto regni Regis Fernandi, quinta ſeria, pridie calendas Aprilis, anno pontificatus mei tricesimo tertio, Sede Apostolica adhuc vacante anno uno, mensibus octo, diebus decem, Gregorio Papa nono viam universæ carnis ingresso.

EXPLICIT HISTORIA DE REBUS HISPANIÆ.

RO-

Digitized by Google

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI *HISTORIA ROMANORUM.*

PROLOGUS.

Quia direptiones Herculis, quas gens misera pertulit Hesperorum, in superioribus capitulis declaravi, quæ Romani, Vandali, et Suevi, Alani, et Silingui, et Arabes Mahometi, et qualiter Hispanias invaserunt, et quæ ei multiplicata supplicia addiderunt, prosequi dignum duxi. Romani quippe à Remo et Romulo, qui à Latinis exordium habuerunt, ab ipsis et urbe [a] *dominari Latio inchoarunt: quorum Reges successionibus prosecutus usque ad eos qui Hispaniæ calamitatibus adiecerint, genealogiæ eulogià* [b] *supputavi, ut discat Hispania quæ Dei misericordiam perfunctorie vix attendit, à tot tempestatibus iam respirans, quantum debeat divinæ gratiæ inclinare: sed proh dolor! nec præterita memoratur, nec quæ accidere poterint, pertimescit. Principes etenim et potentes volitis et libitis involvuntur, et perturbato ordine rationis, enervant iudicii veritatem: et procuratis iniuriis, consuetudines violente pro iustitia inducuntur: et in partes iustitiæ advocati, id iustum iudicant, quod aures mulceat præsidentis, et à summi Iudicis intuitu alieni, oculos suos in terram statuunt declinare: nec est qui pauperi condescendat, nisi familiari debito inducatur. Sed utinam Altissimus videat, et permittat, et non Hispaniæ miseræ, sed facientibus imputetur: et non luat universitas oppressorum, quod meretur iniquitas dominorum, et* [c] *cesset indignatio Maiestatis, compatiens clamoribus paupertatis, qui faucibus præsidentium ingeri non sinuntur, mediatorum rabie* [d] *præglutitis. Cum enim ceteræ mundi provinciæ certis angariis, seu* [e] *pangariis deducantur, Hispania misera incertis oppressionibus cruciatur, semper remanens inconsumpta, ut possit sæpius deperire, et consumptionis periculo reservari; et tot vulneribus sauciatur, quod à summis capitibus successiva voragine absorvetur: nec est* [f] *quo possit vocem attollere, cum inimici iudices dominentur, nisi quod ut bestia agri et area sitiens vociferatur, et vim patiens, sabaoth Domini pulsat aures: et utinam videat, et ut ceteras mundi partes Hispaniam iudicet, et prospiciat de excelso.*

(a) Tol. *dominati.* Al. legit *quia latini exordium habuerunt ab ipsis, et urbem dominari Latio inchoarunt.*

(b) Tol. *supputam.*

(c) Tol. *cessit.*

(d) Tol. non habet *præglutitis.* Al. legit *damni.*

(e) Al. *perangariis.*

(f) Tol. *quæ.*

CAP. I.
De Regibus Latii.

Principium autem Regum Latii istud fuit. Ante initium regni Romani primus in Italia Ianus regnavit, cui ob magnæ providentiæ meritum duas facies depingebant, eo quod futura et præsentia prævidebat. Unde Persius:

O Iane, à tergo, quem nulla ciconia [a] *pinsit.*

Et inde Romani ei primum mensem in anni mensibus adscripserunt, eo quod in eo mense sol incipiat ascendere post solstitium hiemale, ut quasi medius inter tempora, bina facie tempus præteritum respiciat et futurum: et ideo est in computo Romanorum Ianuarius primus mensis, sicut Ianus principium [b] fuit Regum. Post Ianum regnavit Saturnus, qui primus regnaverat super Creta; sed inde expulsus à filio suo Iove, in Italia est iactatus. Hunc gentiles primum Deorum, licet mendaciter, fabulantur; primus enim in hominibus Ninus Rex Assyriorum patri suo Belo Dei vocabulum usurpavit. Hic itaque Saturnus filium fugiens, aliquandiu latuit apud Tuscos, et ideo à latendo pars illa Tusciæ Latium dicta fuit. Unde Lucanus:

Quis furor, ò cives, quæ tanta licentia ferri,
Gentibus invisis Latium præbere cruorem?

Et à Latio Latini dicuntur. Verum incolæ Tusciæ degebant non ut homines, sed ut bestiæ, sine domibus sine urbe, contenti solummodo caveis, tuguriis, et casellis, quas utcumque de frondibus et foliis arborum factitabant, et de fructibus silvestrium arborum ut bestiæ victitabant: ipse vero se ruditati hominum postmodum manifestans, humani convictus docuit rationem et agriculturæ: commercium utile persuasit, effossionem etiam docuit metallorum: et ideo dicitur fabulose aurea sæcula ordinasse. Unde et Virgilius:

Iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna.

[c] De eo alius Poeta:

Primus Cretæis Saturnus venit ab oris,
Aurea per cunctas disponens sæcula terras.

Et pro tantæ utilitatis beneficio incolæ bestiales, iam facti homines, eum super se Regem et Principem statuerunt. Ipse vero ex multitudine iam edocta construxit urbem in rupibus [d] sempiternis, quam à suo nomine Saturniam appellavit, quæ nunc Sutrium esse fertur: et eum post mortem patrem Deorum omnium vocaverunt. Unde et Poeta:

(a) Tol. et Compl. *pinxit.*

(b) Tol. *regni fuit.*

(c) Compl. *Et de eo.*

(d) Tol. *septiternis.*

Ipso

Ipso gaudet avo Superum generosa propago.

Post Saturnum regnavit Picus filius eius. Post Picum regnavit Faunus filius eius, à quo Dii bicornes, ut ponit Ovidius, processerunt, de quibus dicit:

(a) Tol. *Antiquas.*

[a]*Aut quas Semideæ Dryades, Faunique bicornes*
Numine contactas attonuere suo.

Huius tempore Troia, à Græcis obtenta, incendio est consumpta. Horum itaque regnum [b] Laurentum hactenus dicebatur, de quibus Virgilius:

(b) Tol. hic et infra *Laurentium.*

(c) Compl. *is.*
(d) Tol. et Compl. *mores composuit.*
(e) Compl. *totus.*

[c]*Hic genus indocile, sparsumque in montibus altis*
[d]*Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari*
Maluit, his quoniam latuisset [e] *tutus in oris.*

Post hunc regnavit Latinus, filius eius, à Latio sic vocatus. Huius mater fuit Carmentis quæ vulgare Latii emendavit, et Latinis litteras adinvenit, et ab isto, cessante Laurenti vocabulo, cœpit regnum vocari Latinum.

CAP. II.

De adventu Æneæ in Italiam, et regno eius, et de Didone.

Verum quoniam post Latinum ab Ænea Reges Italiæ descenderunt, adventum eius in Italiam breviter prosequemur. Troia destructa, Æneas filius Veneris et Anchisæ, cum patre Anchise et Ascanio filio fuga navali ad Siciliam applicavit, ibique Anchise mortuo, cum Ascanio filio, Niso et Eurialo [f] vernis nobilibus, et Achate armigero, et Palinuro nauclero cœpit in Africam navigare; sed infestæ periculo tempestatis naufragium vix evasit, nec damno caruit, una ex navibus cum Palinuro submersa, quorum interitu Æneas timuit interire; sed inter iniurias procellarum in Africa cepit portum, et dum dormiret, audivit in somnis: "Prius Didoni coniugio "sociaberis, et post in Italiam re-"verteris." Cuius adventum cum Dido novisset, egressa obviam, datis muneribus, honoravit, et mirata Ascanii pulchritudinem, in concupiscentiam Æneæ exarsit, quem viderat in armorum decore præclarum; [g] et utriusque beneplacito accedente, mox in coniugem est assumpta, et Æneas Didonis coniugium, et Carthaginis dominium est adeptus, pollicens se cum ea perpetuo permansurum. Dido vero ante adventum Æneæ in templo quod fecerat, historiam descripserat Troianorum, quam Æneas intuens, doluit suæ gentis interitum divulgatum; et picturæ memoriam reputans verecundum, disposuit à Carthagine aberrare: [h] quod Dido præsentiens, inquit illi:

(f) In Tol. deest *vernis.*

(g) Tol. non habet *et.*

(h) Tol. *et ideo præsentiens.*

 Cer-

Certus es ire tamen, miseramque relinquere Dido,
Quæque ubi sunt nescis, Itala regna sequi.
Quando erit ut condas instar Carthaginis urbem?
Et videas populos altus ab arce tuos?

Sed fide et fœdere violatis, iidem venti, neglecta Didone, [a] fidem et verba cum viro et navigio detulerunt, et in [b] Siciliam remeans, patris anniversarium celebravit. Dido autem, incauto amore succensa, Æneam epistolari alloquio salutavit, sicut Ovidius in Heroidibus metrice declaravit, dicens:

(a) Tol. *fide.*

(b) Tol. *Sicilia.*

Sic ubi fata vocant, [c] udis abiectus in herbis,
Ad vada Mæandri concinit albus olor.
Nec, quia te nostra sperem prece posse moveri,
Alloquor, adverso [d] vovimus ista Deo.

(c) Compl. *et cetera*: et subiungit: *Nec quia.*

(d) Tol. et Compl. *movimus.*

Deinde amoris incendium nequiens sustinere, eidem prætulit incendium actuale, et lignorum congerie comportata, ad pedem turris pyram vastissimam fecit accendi, et his verbis habitis ad sororem:

Anna soror, soror Anna meæ male conscia culpæ,
[e] Nunc dabis in cineres ultima dona meos.

(e) Al. *Iam dabis.*

His dictis, à summo arcis in pyram igneam se proiecit, et consumpta, illico expiravit. Carthago Didonis tempore David, Carthago Hispaniæ tempore Amasiæ regis [f] Iuda conditæ [g] feruntur. Æneas vero à Sicilia in Portuam civitatem Lavinii enavigavit, et civibus sciscitantibus quisnam esset, respondit se esse Æneam, qui è Troia veniens, iactatus fluctibus, applicarat: addidit etiam [h] se esse generum Priami, qui Rex fuerat Troianorum, seque Deorum oraculo accepisse se in Italia regnaturum. Cives autem verbum ut impossibile reputarunt, Latini Regis potentiam opponentes. Cumque his aliquantulum turbaretur, præ tristitia factus segnis, decubuit dormiturus, et accepit in somnis, ut Evandri auxilia precaretur, qui in septem montibus, ubi fuit post Roma condita, habitabat, ut eius auxilio et Pallantis filii posset Latini et [i] generi sui Turni potentiæ obviare: et ut credas, sicut nuncio, sic futurum, invenies sub ilice albam suem cum triginta filiis [j] sui coloris.

(f) Tol. *Amasie.*

(g) Compl. *referuntur.*

(h) Compl. et Tol. *sese generum.*

(i) Compl. *generis.*

(j) Tol. *suis.*

CAP. III.

De victoria Æneæ contra Latinum.

Surgens autem à [k] somnio, à Portua cœpit proficisci, et ut revelatum fuerat, sic invenit, et ibi postea civitatem condidit Albanorum. Evander autem Æneam audiens advenire, se ad prœlium, æstimans inimicum, præparavit: sed Æneas ramum olivæ pertulit manu sua, [l] pacem præferens, quæ tali ramo il-

(k) Compl. *sompno.*

(l) In Tol. deest *pacem.*

illis temporibus signabatur: et cum Evander pacis signaculum prospexisset, in occursum profectus est venientis, et amico gaudio amplexati, fœdera firmaverunt, et simul etiam iucunda convivia peregerunt; quod Latinus audiens, ægre tulit: et vocavit generum suum Turnum, de quo se amplius confidebat, et misit eum contra Ascanium, qui in castello cum parte exercitus residebat; sed videns Ascanius Turni potentiam præeminere, percunctatur, si quis adesset, qui patri suo periculum nunciaret. Tum Nisus et Eurialus familiares Æneæ, qui unum de paribus amicitiæ fuisse dicuntur, se legationis discrimini obtulerunt, et noctu [a] egredientes, Turni exercitum intraverunt; et cum viri exercitus sopore [b] ebrio tenerentur, Nisus et Eurialus plures ex eis furtiva audacia occiderunt, et galeam auream quæ cassis dicitur, abstulerunt: et diei nuncia apparente, cœpto itinere abierunt. Et cum in via Latini exercitum prospexissent, qui in Turni auxilia veniebat, ad silvæ densissimæ latebras confugerunt; sed cum [c] splendor aureæ galeæ, quam Eurialus gestabat in capite, opacas latebras [d] illustrasset, quos densitas occultarat, claritas revelavit, et à venientibus comprehensi, pœnali gladio decollantur, et Turno capita obtulerunt, qui præcepit ea proiici in municipium obsessorum; et tunc cœpit Ascanius aliquantulum desperare. Dumque ad Æneam fatali relatu rumor obsidii pervenisset, assumptis suo et Evandri exercitu, [e] direxit acies contra Turnum, [f] et consertis agminibus, vicit eum; et Turnus fugiens, ivit Laurentum, ubi socer eius Latinus tunc temporis consistebat. Æneas autem cum Pallante Evandri filio Laurentum obsessurus advenit. Latinus autem videns se victo genero minoratum, Mezentium et Camillam Reginam Amazonum [g] suscitavit, ut eum in casu discriminis adiuvarent: et precibus non frustratus, habuit in infelici [h] exitu adiutores, et cum Ænea et Pallante prœlio restaurato, succubuit pars Latini: et dum Æneas et Mezentius sese congressu obvio [i] percussissent, Mezentius vulneratus, divertit ad fluvium, plagæ sanguinem lavaturus. Lausus autem, Mezentii filius, Æneæ se obtulit, ut paterni vulneris fieret vindicator: cui Æneas dicitur sic dixisse: "Quo periture venis?" et percussum, [j] continuo interfecit. Quod Mezentius non sustinens tolerare, cum Ænea iterum [k] congressum mutuum restauravit; sed Æneas primo equum, postea Mezentium [l] interfecit. In ipso etiam prœlio occubuit regina Camilla. Ex parte autem Æneæ mortuus fuit Pallans, pro quo Æneas fuit inconsolabiliter contristatus; et campi victoria iam obtenta, fecit corpus Pallantis nobili funere deportari, et cum eo centum de prudentioribus [m] comitatus, qui Evandrum de morte filii solarentur. Videns Latinus sibi noxia, Æneæ prospera successisse, misit ad Diomedem Regem Græciæ, ut in eius auxilium adveniret. Sed Diomedes petitionem renuens, sic respondit: "Æneam de quo loqueris, ipse novi, nam cum ad [n] expugnandum Troiam ex Græcia venissemus, Æneas et Hector fortiter restiterunt,

(a) Tol. *egredientes.*
(b) Tol. *ebrius teneretur.*
(c) Tol. *splendore.*
(d) Tol. *confugerant: quos densitas occultavit, claritas revelavit.*
(e) Tol. *duxit.*
(f) Tol. *cumque consertis.*
(g) Compl. *sciscitavit.*
(h) Tol. *exercitu.*
(i) Compl. *petiissent.*
(j) Tol. *omnino.*
(k) A Tol. absunt hæc: *congressum mutuum restauravit; sed Æneas primo equum, postea Mezentium.*
(l) Tol. *iter fecit.*
(m) Tol. *comitatis.*
(n) Compl. *expugnandam.*

Digitized by Google

»runt, et si tertium comparem ha»buissent, Troia forsitan non per»iisset." His auditis, Latinus de auxilio iam desperans, ad Æneam pro pace nuncios destinavit. Et Æneas dicitur respondisse: "Non »[a] meo consilio, nec meo proposi»to huc adveni, sed voluntas Supe»rum me advexit." Occiso Turno, et Latino mortuo, Æneas Laviniam, Turni sponsam et Latini filiam, duxit uxorem, et Latino successit in regno, et in Latio tantum tribus annis regnavit, et ædificavit civitatem quam Albanum à nomine suis albæ, ut diximus, nominavit.

CAP. IIII.

De Ascanio et Regibus Albanorum.

Ænea mortuo, Ascanius, filius eius ex Creusa, successit in regno. Albanenses autem super Æneæ tumulum acervum politorum lapidum magnæ altitudinis erexerunt, quem memini me vidisse. Ascanius autem civitatem inceptam sollicita diligentia ampliavit. Hic Ascanius dictus fuit Iulus, à quo descendit Iulia familia Romanorum. Lavinia autem, uxor Æneæ, post mortem eius peperit filium quem Posthumum appellavit, quia, mortuo patre, natus; quem Ascanius fraterno amore dulciter enutrivit. Post hæc Ascanius genuit filium, quem Iulium appellavit. Mortuus autem est Ascanius, cum regnasset annis XXXVIII, et [b] dimisit regnum Posthumo fratri suo; et quia iste Posthumus in silva nutritus, Silvius fuit dictus, et ab eo Reges alii Albanorum fuerunt Silvii nominati. Post hunc Æneas Silvius filius eius regnavit annis XXXI. Post mortem eius Latinus Silvius filius eius annis L. Post mortem eius Alba Silvius filius eius regnavit annis XXXVIII. Post hunc Ægyptus Silvius filius [c] eius regnavit annis [d] XXIII. Capys Silvius filius eius regnavit annis XXVIII. Iste à nomine suo ædificavit in Campania [e] Capuam civitatem. Carpentus Silvius filius eius regnavit annis XIII. Tiberius Carpentarius filius eius regnavit annis IX. Hic cadens in flumen qui Albula dicebatur, fuit extinctus, et fluvius ab eo [f] Tiberis fuit dictus postea. Unde Virgilius:

. . . . *Tunc perdidit Albula nomen.*

Hic condidit Tibur, satis modicam civitatem, quæ XII. ab urbe milliario adhuc exstat. Agrippa Silvius filius eius regnavit annis XL. Huius tempore fuit Homerus Poeta. Aremulus Silvius Agrippæ filius regnavit annis XVIII. Aventinus Silvius filius eius regnavit annis XXXIV. Iste fuit in monte sepultus, qui ab eius nomine dicitur [g] Aventinus. [h] Procas Silvius filius eius regnavit annis [i] XXIII. [j] Amulius Silvius filius eius regnavit annis XLIII. Iste fratrem suum Numitorem à regno expulit, et privatis rebus providere coegit. Rhea Silvia, quæ Ilia dicta fuit, Numitoris filia, in templo Vestæ virgo est dedicata, quam postea Mars arripuit à ludis

(a) Tol. *nostro.*
(b) Tol. *divisit.*
(c) In Tol. deest *eius.*
(d) Tol. *XXXVII.*
(e) Tol. *Capyam.*
(f) Tol. *Tiberius.*
(g) Compl. *Aventinus.*
(h) Compl. *Procax.*
(i) Tol. *XXXIII.*
(j) Tol. non habet *Amulius Silvius filius eius regnavit annis XLIII.*

Digitized by Google

dis consularibus Sabinorum, et ex ea Remum et Romulum generavit: quos, eo quod sacrilego concubitu genuisset, in ripa Tiberis abiecerunt; matrem vero incendio consumpserunt, ut iustitia eius temporis exigebat. Pastor autem de gregibus Regis, Faustulus nomine, cum parvulos expositos in ripa fluminis invenisset, ad Accam Laurentiam uxorem suam detulit nutriendos. Verum quia Acca erat pulcherrima, et sui corporis liberalis, infami lucro pecuniis abundabat: et ob impudentiam Lupa ab indigenis dicebatur, et tuguria quæ turpi commercio faciebat, à Lupa lupanaria fuerunt dicta. Cum autem Remus et Romulus adolessent, prædæ et latrocinii crudelibus studiis se dederunt, et similium conciliabula adsciscentes, cœperunt cum sua multitudine prævalere; et Albanorum civitatem ingressi, Regem Amulium qui Numitorem, avum eorum maternum, de regno expulerat, peremerunt, et Numitorem regno restituerunt. Remus autem et Romulus, cum essent annorum octodecim, civitatem modicam ædificaverunt in monte qui dicitur Palatinus. Cumque ad eos adveniret multitudo maxima populorum, ut in populos crescerent potiores, cogitarunt templum immunitatis construere, ad quod veniens quilibet, salvaretur, et propter tantæ impunitatis asylum ad hoc templum iniuriosi et rei ex omni Italia veniebant: cumque in tanta multitudine non conclusa nullius ordo iudicii servaretur, statuerunt urbis ambitum dilatare, ut muro quantumlibet modicum elevato, qui alias quam per portam præsumeret introire, mortis sententiæ subiaceret. Primo igitur anno Achaz Regis [a] Iuda, undecimo calendas Maii, Remus et Romulus Romæ urbis primarium [b] lapidem posuerunt, et usque ad [c] apoditionem muris in circuitu vix erectis, Remus plebiscitum fratris et populi non attendens, ut agilitatem ostenderet, [d] per murum interius insilivit, et scandalo in populo excitato, [e] omnes transgressionis iniuriam causabantur; sed Favius qui erat dux Romuli, eius consilio persuasus, Remum morti, concione habita, condemnavit, et pastorali rastro distractus, continuo expiravit, anno tertio ab urbe condita: cui prævaricatio et fraterna factio causam dedit, de quo Poeta [f]:

(a) Tol. *Iudæ.*

(b) In Tol. deest *lapidem.*

(c) Compl. *apodiationem.*

(d) Tol. *murum inscius insiluit.*

(e) Tol. *omnis.*

(f) Tol. *Lucanus.*

Fraterno primum maduerunt sanguine muri.

CAP. V.

De creatione Senatorum et militum, et Regibus Romanorum.

Tum Romulus centum senes elegit, quorum consilio crescentis urbis negotia procuraret; et quia senes, dicti fuerunt exinde Senatores: et alii eos Patres vocabant. Post hæc, quia bellis indesinentibus à vicinis gentibus tentabantur, elegit mille de his qui clariores in populo habebantur, ut inimicis insultibus militari resisterent apparatu; et quia à millenario inceperunt, tali officio deputati, milites ap-

appellantur: cumque tam ipsum, quam urbis populum uxorum inopia minoraret, Sabinis festivitatem agentibus, et uxores et filias ad gaudia deducentibus, in eas [a] insiliit Romulus cum suæ populo civitatis, et iuxta placitum apprehensas, iocunda spolia reduxerunt. Tunc omnes principatus Italiæ, Sabinorum dedecus proprium reputantes, cœperunt contra Romanorum potentiam dimicare; sed Romulus cum sceleratorum multitudine superavit. Cumque ex vicino Romanis et Sabinis insidiæ pararentur, et Romulus plus quieti, quam periculis inhiaret, [b] amicitias cum Sabinorum duce Tito Tatio procuravit, ita ut in Sabinis Romulus cum Tatio conregnaret, et Sabini unus essent populus cum Romanis, et ut Romani sibi agnomen imponerent à Sabinis, et Sabini similiter à Romanis; et quia longa hasta lingua Sabinica quirita dicitur, Quirites Romulus fuit dictus: à quo et alii Romani Quirites. Hic Romulus sceleratorum manum, promissa impunitate, collegit: Numitorem avum maternum, quem regno restituerat, ut regnum arriperet, interfecit: Amulium fratrem avi extinxit: Remum fratrem parricida occidit: socerum in templo vita privavit: Titum Tatium, amicitia fœderatum, fallax peremit. Itaque regnum avi, murum fratris, templum soceri, fidem amici sanguine maculavit. Regnavit autem annis XXXVIII. Et cum ad [c] quamdam paludem, quæ Capra dicitur, abiisset, quo interitu absumptus fuerit, ignoratur. Hic templa et muros urbis extruxit. Post mortem eius Senatores [d] quinis diebus usque ad unum annum rexerunt populum civitatis, et iste annus dictus est interregnum. Post hunc annum regnavit Numa Pompilius. Iste fuit vir sapiens, et in regimine circumspectus: cumque vidisset homines à iustitia aberrare, et post vitia [e] evagari, cum intellectu naturæ invisibilia [f] percepisset, et intellexisset divinam essentiam á loco aliquo non abesse, docuit homines locum quemlibet proprio Deo regi, ut præsentiam numinis metuentes, ubique à vitiis abstinerent: quod tamen fuit ad idololatriæ incrementum. Exinde enim dicti fuerunt [g] Deus horti, Deus nemoris, et cetera numina [h] ruris specialia vocabula habuerunt. Hic [i] primus invenit monetam, et numos à suo nomine appellavit; et expletis in regno quadraginta uno annis, vitam finivit. Eius tempore Pythagoras Philosophus celebris habebatur. Post hunc [j] Tullus Hostilius regnavit annis XXXII. Hic inter reges Romanos [k] primus purpura et fascibus fuit usus: et urbem, addito monte Cœlio, ampliavit. Hic cum domo sua ictu fulminis fuit ustus. Huius tempore Pausanias Rex Spartanorum condidit Byzantium civitatem, quæ à Constantino Imperatore postea ampliata, Constantinopolis fuit dicta. Post hunc regnavit Ancus Martius annis [l] XXXIII. Post hunc Tarquinius Priscus annis XXVII. Huius tempore Massilia fuit condita. Post hunc Servius Tullius annis [m] XXXIV. Huius tempore Nabuchodonosor cepit Ierusalem, et templum incendit. Post hunc regnavit Tarquinius Superbus an-

(a) Tol. *insiluit Romulus cum suo populo civitatis.*

(b) Tol. *amicitiam cum Romanorum duce Tito Tatio procuravit, ut in Sabinis ita Romulus cum Tatio conregnaret, et Sabinorum unus essent.*

(c) Tol. *quintum paludem quæ Caprea.*

(d) Tol. *quivis.*

(e) Tol. *evagare.*

(f) Tol. *præcepisset.*

(g) Compl. et Tol. *Diis horti, Diis nemoris.*

(h) Tol. *certis spiritualia vocabula.*

(i) Tol. *prius.*

(j) Tol. *Tullius Hostilius.*

(k) Tol. *fascibus et purpura fuit usus.*

(l) In Tol. desunt ista: *XXXIII. Post hunc Tarquinius Priscus annis.*

(m) Tol. *XXIV.*

annis XXXV: et fiunt per Reges ab urbe condita anni CCXLI.

CAP. VI.
De creatione Consulum Romanorum.

Et cum propter insolentiam Tarquinii Superbi, Regis Romani, senatui populoque Romano Regum præeminentia displiceret, Consules elegerunt, qui sua sapientia statum Reipublicæ gubernarent: quorum regimen CCCC[a]LXIII. annis legitur durasse. Primi Consules fuere Brutus et Collatinus: post [b] hos Decemviri constituti. Post [c] hos Camillus Consul: post hunc Quintius Dictator: post hunc [d] Papirius: post hunc Manlius, et Regulus: post hos P. Cornelius Scipio: post hunc Fabius Maximus Dictator: post hunc L.[e] Æmilius Paulus, et P. Varo: [f] post hos Lævius, et Marcellus: post hos Claudius Nero, et Marcus: post hos Publius Scipio: post hunc Publius Scipio Africanus filius eius: post hunc Publius Scipio Nasica: post hunc Posthumus, et Marcellus: post [g] hos Marius, et [h] Cneus Mallius: post [i] hos Sylla: post hunc M. Tullius Cicero: post hunc Pompeius, et Brutus, et Crassus: post hos C. Cæsar solus. Hi singulis annis Reipublicæ providerunt per annos CCCC[j]LXIII: et hi omnes insignia aliqua peregerunt, et suis temporibus multa alia sorte varia acciderunt. [k] Temporibus Papirii Consulis acciderunt prœlia Alexandri: temporibus Scipionum bella Punica cessaverunt: temporibus Marii Iugurthinum: temporibus M. Tullii Catilinarium, de quo Iuvenalis:

Claudius accuset mœchos, Catilina Cethegum.

Res ergo publica CCCCLXIII. annis felici regimine adolevit, et plurima bella gessit. Anno CCCI. ab urbe condita, potestas Consulum fuit tradita Decemviris, et censu habito, inventa sunt CXVIII. millia, et CCXIX. capita civium Romanorum. Anno ab urbe condita CCCXLIV, Galli Senones [l] Romam duce Bremio invaserunt, et totam, excepto capitolio, incenderunt, et plurimos trucidantes, sex mensibus vastaverunt, et eos qui ad capitolium [m] confugerant, obsederunt, eosque fame, peste, desperatione, et formidine [n] subegerunt, et mille libras auri pro quolibet pretium statuerunt. Anno ab urbe condita CCCC, Philippus filius Amyntæ, pater Alexandri, regnum Macedonum est adeptus, et XXV. annis regnavit. Tum clarissimus Alexander, gurges excidiorum, Philippi filius, fuit natus. [o] Aristoteles ætatis annum XVIII. tunc agebat. Anno ab urbe condita CCCCXXVI, Alexander patri Philippo successit in regno.

CAP. VII.
De Annibale et Asdrubale Regibus Pœnorum, et destructione Seguntiæ, et strage Romanorum.

Anno autem ab urbe condita DXXXIII, à creatione vero Consulum anno CCXCIII,

(a) Tol. *XLIII.*

(b) Tol. *hac.*

(c) Tol. *hoc.*

(d) Compl. *Paupirius.*

(e) Tol. habet *et.*

(f) In MS. Tol. desiderantur sequentia: *post hos Lævius, et Marcellus: post hos Claudius Nero et Marcus: post hos Publius Scipio: post hunc Publius Scipio Africanus filius eius: post hunc Publius Scipio Nasica: post hunc Posthumus et Marcellus.*

(g) Tol. *hunc.*

(h) Compl. *Gneius.*

(i) Tol. *hunc.*

(j) Tol. *XLIII.*

(k) Tol. non habet *temporibus Papirii Consulis acciderunt.*

(l) Tol. *duce Brevio.*

(m) Tol. *confugerunt.*

(n) Tol. *subiecerunt.*

(o) Tol. *Aristotelis ætate.*

Digitized by Google

Amilcaris Rex Afrorum, qui de genere Annæ sororis Didonis processerat, antiquum dedecus reminiscens, filium suum [a] Annibalem, nonum annum ætatis agentem, fecit iurare, ut cum primum ad ætatem potentiæ perveniret, Romanos pro viribus infestaret, nec umquam pacificus illis esset: qui cum ad ætatis suæ [b] annum vicesimum pervenisset, cœpit Hispanias infestare, et multis cædibus laceratas, fere suo imperio subiugavit, et [c] Seguntiam, nobilem Hispaniæ civitatem, Romani populi tunc amicam, quæ nunc Medina Cœlim vulgariter appellatur, in odium Romanorum obsidione diutina coarctavit; et tamdiu oppugnationibus laceravit, ut cogerentur cibos vetitos attentare, quibus fere deficientibus, fame, non prœlio lacessiti, patres imbelles, mulieres, et parvulos peremerunt, ne vitæ servati, servi fierent, quos libertatis titulus hactenus adornarat. Demum ipsi prœlio se dederunt, et plures ex obsessoribus occiderunt, et extincti ab hostibus, cum extinctis patribus liberi decesserunt: de quibus Tullius in Paradoxis: "Numquid Segontini parricidæ fuerunt, qui patres suos liberos emori, quam servos vivere maluerunt?" De hoc et Iuvenalis:

Pugna Seguntina [d] fervet commissa lagena.

[e] Segontia itaque iam eversa, montes transgreditur Pyrenæos, [f] et novem diebus inter gentes ferocissimas Galliarum labore maximo ad plana Italiæ pertransivit, multo exercitu circumseptus, cui occurrit Consul Scipio cum exercitu Romanorum. Iste fuit Scipio genitor Magni Scipionis. Cumque iuxta Ticinum [g] cœpissent exercitus dimicare, pugna inferior, cæsus est fere totus exercitus Romanorum. Postea autem Scipio Romam rediens, restaurato exercitu, infaustis prœliis sæpius iteratis, cum Annibale est congressus; sed in omnibus inferior est inventus: primo, ut dixi, apud Ticinum: secundo apud flumen Ticinum: tertio circa idem: quarto apud fluvium Sarnum, in quo oculum ictu amisit: quinto apud Trasymenum lacum: sexto apud Cannas Apuliæ vicum, ubi ex Romanis quinquaginta quattuor millia ceciderunt, et [h] Varro Consul cum quinquaginta equitibus [i] Venusium fugiens, vix evasit.

CAP. VIII.

Item de victoriis Annibalis et Asdrubalis, deque victoriis Scipionis.

Anno ab urbe condita DXL, ætatis vero [j] suæ vicesimo sexto, Annibal Rex Pœnorum in signum victoriarum tres [k] modios annulorum, quos ex digitis præciderat Romanorum, Carthaginem destinavit: et tunc Roma bellis plurimis intercepta, quinque principaliter sumpsit bella: unum in Macedoniam contra Philippum: aliud in Sardinia contra Sardos: aliud in Sicilia, in quo Claudius Marcellus obtinuit Syracusam: aliud contra Annibalem, à qua Italia premebatur: aliud contra Asdrubalem fra-

(a) In Tol. deest *Annibalem.*

(b) In Tol. deest *annum.*

(c) Compl. hic et alibi *Segontiam.*

(d) Tol. non habet *fervet commissa lagena.*

(e) In Tol. deest *Segontia.*

(f) In Tol. deest *et.*

(g) Tol. *cepisset.*

(h) Compl. *Varo.*

(i) Tol. *Venusium.*

(j) Tol. *vicesimo septimo.*

(k) Tol. *modulos.*

Digitized by Google

fratrem eius, qui illud modicum quod in Hispaniis vix evaserat ab Annibale omnia devastante, quasi erucæ, [a] bruci, attelabi, et locustæ pestilentia consumebat. Contra quem Consules exercitum repararunt, et missis fratribus Scipionis cum exercitu, Asdrubali advenerunt. Ille autem, ut erat pertinax, illis occurrens, [b] victos prœlio, interfecit, cæsis ab exercitu multis millibus Romanorum. Hi autem qui evadere potuerunt, fugerunt ad municipia Romanorum, quæ iam in Hispaniis possidebant. Asdrubal autem in Hispania [c] residens, ut locusta, quod residuum fuerat, devastabat. Cives autem Romani, desperationis voragine iam absorpti, de auxilio desperabant, eo quod Roma sic áb Annibale esset pressa, ut potius cedere, quam resistere cogitarent. Verum Scipio adolescens, viginti quattuor [d] habens annos, patrem et patruos cupiens vindicare, ab urbe ad mare meatus subterraneos fecit fodi, per quos Romani improvisis in statione navium advenerunt; et de exercitu custodiæ navium deputato pluribus interfectis, cum apparatu et navibus in Hispaniam navigavit, et [e] applicatis ad litus citerioris Carthaginis, eam cepit, et procedens contra Asdrubalem, victum strenue effugavit, et usque ad octoginta civitates et oppida, aut deditione, aut bello, Romano dominio acquisivit: et fere tota Hispania suis victoriis incurvata, Romam rediit cum triumpho, ubi ad consulatus apicem elevatus, continuo disposuit in Africam transfretare, ducens secum exercitum copiosum, vexillis et insigniis gloriosum.

(a) Tol. *bruti.*

(b) Tol. *victas.*

(c) Tol. *desidens.*

(d) Tol. *annos natus.*

(e) Compl. et Al. *applicant.*

CAP. IX.

De destructione Carthaginis per Scipionem.

Cumque Carthaginenses vela venientia eminus prospexissent, iocundo occursu, demum flebili occurrerunt, putantes Annibalem, Romanis domitis, cum victoria advenire; sed re votiva in contrarium accidente, Hanno qui vice Annibalis præerat Africanis, capescere cœpit arma, ut resisteret venienti: sed bello acerrimo interceptus, ipse cum cæsis occubuit interfectus, et prostratis incolis, pluribus interfectis, pluribus captivatis, obsidione Scipio Carthaginem circumclusit. Obsessi autem verentes eversionem, Asdrubali nunciarunt, ut fratris copiis iungeretur, et ambo fierent obsessæ Carthagini in succursum. Asdrubal autem, procuratis auxiliis Hispanorum et aliquibus [f] Galliarum, cœpit ad Annibalem proficisci, sed à Romano exercitu, Annibale ignorante, in Liguria est præventus, et capite mutilatus. Caput autem eius Romani ferentes, ante castra Annibalis proiecerunt. Quod videns Annibal, et Pœnorum cognita tempestate, deliberavit Africæ subvenire, et eiulans, et [g] invitus, reliquit Italiam anno [h] XXII, quo eam cœperat obtinere; et navigans in Carthaginem, Scipioni se obtulit improvisus. Et bello gravissimo inchoato, pars Annibalis est prostrata, cæsis et interfectis fere omnibus qui cum Annibale adventarant. Annibal autem inter discrimina concertantium vix evasit, et in Bithyniam fugax venit: ubi à Romanorum exercitu ite-

(f) Tol. *Gallorum.*

(g) Tol. *iuratus.*

(h) Compl. *XVII.*

Digitized by Google

iterum impetitus, desperatis rebus, veneni poculo se necavit. Scipio vero post totam fere Africam subiugatam, immo verius devastatam, iteratam obsidionem Carthagini reparavit, et eam diutinis [a] cædibus impugnavit, et tot incursibus laceravit, ut deposito principatu, potius eligeret destrui, quam redivivis calamitatibus reservari. Cepit itaque civitatem, et solo, dirutam, adæquavit, et incensam, redegit in cinerem et favillam, habentem à conditione sua DCCXXXVII. annos, et dies XVII: et sic [b] evertit, ut non tantum præsentia, sed in ea futura bella deleret; et exinde dictus fuit Scipio Africanus: et regno deleto, facta est Africa provincia Romanorum: et bello duplici gloriosus, Pœnico videlicet et Hispano, Romam revertitur, de nobilioribus Carthaginis secum ducens, quos libertati donatos, in regionem trans Tiberim collocavit, et in cives Romanos à senatu et populo sunt recepti: quorum progenies adhuc hodie suam originem [c] recognoscit. Duxit etiam Terentium Comicum, qui libertatis adeptæ, suscepto pileo, titulum præferebat. Verum quia gens Hispana, quiescere nescia, rebellionem contra Romanos denuo suscitavit, iterum veniens Scipio Africanus, maiora prioribus exterminia restauravit, et iterata rebellio iterata supplicia degustavit, et cædibus et incursibus sic totam Hispaniam devastavit, [d] ut excidia Herculis pro dulcedine memorarent. Demum cum per omnes Hispaniarum angulos discurreret consumendo, in finibus Gallæciæ morte propria est consumptus, et ibi sepultus in tumulo, qui adhuc exstat inscriptus: *Tumulus Scipionis*. De laudibus Scipionis Tullius [e] in libro de Amicitia prosequitur eleganter: eum commemorans virum multarum fuisse virtutum, et à C. Lælio Scævolæ socero multipliciter commendatum, et præcipue in liberalitate et curialitate, in iustitia et pietate, in fide amicitiæ, et studio Reipublicæ; et inter ceteras eius laudes dicit: quod Consularis dignitas ei accidit ante tempus, sed Reipublicæ [f] sero venit: et quod duas Carthagines inimicas Reipublicæ evertisset.

(a) Tol. *seditibus oppugnavit.*

(b) Tol. *evenit.*

(c) Tol. *recognoscunt.*

(d) Tol. *et cædibus Herculis.*

(e) Tol. *libro de Amicitia eleganter.*

(f) Tol. *post sero.*

CAP. X.

De Pompeio et Iulio Cæsare.

Demum cum Pompeius consulari præeminentia [g] fungeretur; nolens [h] Hispaniam, obductis cicatricibus, respirare, profectionem in Hispaniam procuravit, et quod evaserat à gladio Scipionis, [i] consumptrix feralitas dissipavit, obtentisque munitionibus, et incolis subiugatis, Sextum et [j] Cneum Pompeium filios cum aliis nobilibus Romanorum præfecit reliquiis Hispanorum. Ipse vero Romam rediens, pro obtenta Hispania gloriosus, parem non poterat sustinere. Unde et Lucanus:

Nec quemquam sufferre potest Cæsarve priorem,
Pompeiusve parem.............

Ex adverso autem C. Iulius Cæsar eius gener, qui ab Ænea per Iuliam

(g) Tol. *fulgeret.*

(h) Tol. *Hispania.*

(i) Tol. *consumens.*

(j) Tol. et Compl. non habent *Cneum.*

Digitized by Google

liam familiam descendebat, priorem non poterat tolerare: et hoc discidio Respublica conturbata, variis studiis trahebatur: et quia Pompeius iam Hispaniam subiugarat, cœpit aspirare ad imperium Orientis. Iulius autem, cum multis fautoribus abundaret, cœpit Pompeii propositum impedire, et [a] sibi singulare dominium procurare; sed moderatione aliqua mediante, Iulio Cæsari quattuor provinciæ fuerunt specialiter adsignatæ, videlicet Gallia Transalpina, [b] et Gallia Cisalpina, in qua sunt Mantua, et Verona, Brixia, [c] Bergomum, atque Cuma: quæ olim à Gallicis occupatæ, Cisalpina Gallia [d] sunt vocatæ: necnon et Gallia Comata, quæ à Gallis Gothicis et Vasconibus habitatur. Verior tamen antiquorum historia protestatur, non ab alpibus Cæsaris, sed ab alpibus quibus Lugdunia et ulterior Gallia separantur, Cisalpinam et Transalpinam provincias esse dictas: et videtur esse probabile, eo quod Cæsar Iulius Gallos, et Germanos, et etiam Britones quibus incognitum nomen extiterat Romanorum, tributarios fecit esse: et inde Romam rediens, gloriosis acclamationibus est receptus; sed audiens Pompeio accrescere prospera in partibus Orientis, ipse Tyrrhena litora penetravit, ut [e] Pompeii prospera perturbaret. Cumque [f] Dyrrhachium advenisset, quæ iam Pompeii imperio serviebat, adventus Pompeii accidit ex adverso: et cum, collatis signis, bella mutua efferverent, Iulius inferior est repertus, ut Paulus Orosius attestatur: qui cum pedis [g] retrograda vestigia ignoraret, ad eam quæ Thessalia dicitur, provinciam se convertit, in qua Pompeii potentia specialius efflorebat: et reparato exercitu, cum his qui in [h] Syriam navigarant, cum Pompeio iterum in campis Emathiis concertavit; sed quia Pompeius ante ista in Ierusalem templum Domini profanarat, qui hactenus fuerat victor, miserabiliter fuit victus: et inde fugiens in Thessaliam, anno duodecimo ante Æram conditam, scilicet nono anno ante regnum Octaviani Augusti, reparato exercitu, bellum etiam reparavit, et in hoc exercitu Gothi, Æthiopes, [i] Indi, Persæ, Medi, Græci, Armeni, Scythæ, ac reliquæ Orientis gentes in Pompeii auxilium advenerunt. Cumque adinvicem decertassent, Gothi ceteris fortius restiterunt; quorum Cæsar virtute et copia conturbatus, fertur fugæ ignominiam cogitasse, nisi noctis subsidium timori [j] et prœlio succurrisset, et sequenti die metu in invicem compartito, exercitus ab invicem recesserunt. Tunc Cæsar ait: Nec Pompeium scire vincere, nec Cæsarem posse vinci. Nam si Pompeius [k] vincere nosset, hodie cum tam asperrimis [l] viris Cæsarem superasset. Sed paucis diebus postmodum interiectis, impatientia cupidæ potestatis bella civilia reparavit, et victus Pompeius, à solita victoria alienus, et à Thessalia effugatus, ivit ad Ptolemæum Dionysium Regem Ægypti, auxilium petiturus: sed ut erat versutus, timuit quod si tantum Principem liberaret, posset in sui exterminium redundare. Romani enim, quos primo amicitia allexerunt, in servitutem postmodum re-

(a) Tol. *seculi singulare*.

(b) Tol. non habet *et Gallia Cisalpina*.

(c) Compl. *Bergomum*.

(d) Tol. *ert vocata*.

(e) Tol. *Pompeius*.

(f) Compl. *Duratium*.

(g) Compl. *retrogradi*.

(h) Tol. *Scythiam*.

(i) Tol. *Iudæi*.

(j) In Tol. deest *et*.

(k) Tol. *vicem*.

(l) Tol. *raris*.

Digitized by Google

redegerunt; et cum Pompeium ad convivium invitasset, inter epulas interfecit. Iulius autem Cæsar, Pompeii fugam magnanimiter insecutus, regnum adiit Ptolemæi, et audiens Ptolemæus, timore sollicitus, prætendebat se causa Cæsaris hoc fecisse, et regnum Cæsari promittebat, et ad familiares delicias invitabat, ut [a] sicut Pompeium, sic dolo Cæsarem faceret interire. Sed Cæsar oblatæ fidei fœdera recusavit, suspicione calumnians [b] Ptolemæum. Ptolemæus autem intelligi se coniiciens, contra Cæsarem movit bellum: sed Cæsaris victoria comprehensus, mortem sustinuit, [c] quam pararat. Hic Ptolemæus habuit filiam Cleopatram, et filium Ptolemæum. Cleopatra autem, patre occiso, [d] proprio fratri nupsit, ut regni particeps conregnaret. Sed cum Cæsar Alexandriam obsedisset, occurrit ei, fratrem virum moliens defraudare, et per speciem [e] et stuprum regnum sibi, et necem fratri à Iulio Cæsare impetravit. Cæsar autem, negotiis [f] Syriæ ordinatis, et nepotes Pompeii, et filiam [g] Pompeiam iussit occidi, et Alexandriæ intrans mare, aura placida venit Romam, et factus est Consul [h] quarta vice. Ubi aliquandiu demoratus, et statu Reipublicæ ordinato, in Hispaniam est profectus, contra Cneum et Sextum Pompeii filios pugnaturus, et septima die qua urbem exierat, pervenit [i] Seguntum, Hispaniæ oppidum, quod, nomine mutato, dicitur nunc Almanarum; et patet ex eo, quia vallis eiusdem oppidi vallis Segunti ab antiquo nomine nuncupatur: quia si de Seguntia civitate [j] quæ extat, vel Medina Cœlim, quæ creditur fuisse Seguntia propter magnitudinem et ædificiorum vestigia quæ apparent, quantumlibet veloci navigio, possibile vix videtur. Tamen [k] aliqui libri habent decimo septimo die pervenit Seguntum; [l] inde Hispanias plurimis cædibus discurrebat, ut dicit Lucanus:

Cæsar in arma furens, nullas, nisi sanguine fuso,
Gaudet habere vias. . . . .

Et Bruto sub eo Massiliam impugnante, cum Iulius Cæsar venisset Ilerdam, qui intus inerant, restiterunt. Petreius enim et Afranius, sub Pompeio in Hispania conregnantes, eam armis communibus tuebantur: sed plurimis hibernarum inundationibus pluviarum Sicoris intumescens latitudine non sueta, distulit diu bellum. Ut autem [m] verna serenitas densitatem nubium effugavit, et fluvius [n] nominatus intra fines alvei se recepit, Cæsar amnem classe viminea pertransivit, et dictos duces ad opes finium montanorum fuga celeri festinantes, cursu promptissimo præpedivit, et eosdem cum suis exercitibus universis intra cuiusdam arentis vallis angustias coarctavit, [o] ubi siti acerbissima tam duces, quam exercitus perurgente, vitam propriam abhorrentes, Martem lacessere tentaverunt, ut sitis acerbitatem mortis compendio terminarent. Quod Cæsar intelligens, eis honestam mortem sagaciter deviavit, suos ab omni conflictu pertina-

(a) Tol. *sic.*
(b) Compl. semper *Ptolomæus.*
(c) Tol. *quoniam paratam.*
(d) Tol. *fratri nupsit.*
(e) Al. *et per stuprum.*
(f) Tol. *Scythiæ.*
(g) Tol. *Pompeii.*
(h) Tol. *quartum.*
(i) Compl. hic et infra *Segontum.*
(j) Tol. non habet *quæ extat.*
(k) Tol. *antiqui libri.*
(l) Tol. *in Hispaniis.*
(m) Tol. *tertia serenitas.*
(n) Tol. *rursus intra fines.*
(o) Tol. *ut isti*

Digitized by Google

naciter cohibendo, donec hostibus tepesceret iræ fervor, et animis languentibus, arma dimitterent, et submissis signis, imperio Cæsaris se offerrent. Quo peracto, duces miserabiles meruerunt à Cæsare impetrare, ne in partes de cetero traherentur, sed solum essent bellorum civilium spectatores: quod etiam in eiusdem Lucani lib. 6. tangitur, ubi dicit:

Non Uticæ, Libyæ clades, [(a)] Hispania Mundæ Flesset. . . . .

(a) Tol. *Hispania ne...*

Inde procedens adversus filios Pompeii, et T. Labienum, et Accium Varum, plurima varia sorte bella gessit. Interim autem infelix Hispania, quidquid Principes delirabant, misera plectebatur. Ultimo autem Cæsar cum Pompeianis iuxta Mundam fluvium est congressus, et adeo fuit acriter dimicatum, ut imminentis mortis prævenire supplicium cogitaret, cum videret exercitum cedere Pompeianis, et qui iam quinquaginta sex annis victor extiterat, in manus hostium non veniret: sed populo suo ad se reverso, pugnam fortius restauravit, et Sextus filius Pompeii maior [(b)] fuit fugiens interfectus: Cneus cum centeno milite vix evasit. T. Labienus et Accius Varus vita et fugæ subsidio caruerunt. Faustus et Sylla, iubente Cæsare, trucidantur. Semetipsos T. Torquatus et Scipio iugularunt. Cato fautor Pompeii, ne Cæsari subiaceret, audita strage, apud Uticam se occidit. Munda civitas immensa cæde hominum cruentata, oppugnante [(c)] Cæsare, vix est capta. [(d)] Quæ fuerit Munda civitas ignoratur: ab aliquibus dicitur esse Conimbria, quæ à Mundego fluvio dicta Munda, postea à Cæsare Conimbria fuit dicta, eo quod incolæ, [(e)] acti pugna, civitatem Cæsari connive-runt: unde et à conniventia Conimbria nomen habet, et Mondego dicitur, quasi Mundam agens. Alii relationibus inhærentes, dicunt Mundam eum fluvium quem nunc dicimus Durationem, et Septempublicam esse Mundam: [(f)] quæ postmodum à septem publicis mulieribus, quæ eam primitus habitarunt, Septempublica fuit dicta. Lector eligat quibus credat. Cæsar itaque, [(g)] bellis civilibus quattuor annis in Hispania gestis, Romam rediit, in isto reditu à Senatoribus occidendus; et Hispania flebilis remansit omnium [(h)] transeuntium pedibus conculcata, et variorum præsidum tyrannide lacerata.

(b) Tol. non habet *fuit.*

(c) Tol. non habet *Cæsare, vix est capta.*

(d) Tol. *Quod.*

(e) Tol. *acri.*

(f) Compl. et Tol. *quæ primo dum à septem publicis mulieribus.*

(g) Tol. *de bellis.*

(h) Tol. *transeuntium.*

EXPLICIT ROMANORUM HISTORIA.

OSTRO-

Digitized by Google

RODERICI
ARCHIEPISCOPI TOLETANI
OSTROGOTHORUM HISTORIA.

PROLOGUS.

Cum Gothorum causa olim in Athanaricum et Fridigernum fuisset divisa, ea lege in concordiam redierunt, ut Fridigernus Ostrogothis, et Athanaricus Vesegothis Regali excellentia praeminerent. Hi autem qui ab Oriente tabernacula metabantur, dicti sunt Ostrogothi, quasi Orientales Gothi. [(a)] *Oster enim vocant in lingua Gothica Orientem, et inde* [(b)] *Osteric, id est, Orientale regnum. West autem Occidens interpretantur, et inde Westgothi, quasi Occidentales Gothi.* [(c)] *Unde alia pars Teutoniæ Westſalia nuncupatur, quasi Occidentalis campus. Et ex tunc usque ad Fridigerni interitum regni divisio perduravit. Post cuius mortem Athanaricus solus obtinuit principatum; sed et eo mortuo, in Alaricum et* [(d)] *Redagarsum* [(e)] *iterum sunt divisi. Unde Redagarso in Tuscia interfecto, Alaricus solus obtinuit curam regni; et sic postea res mansit, donec Ostrogothi seiuncti ab aliis, sedes proprias metabantur, et in Mysia et ripa Danubii morabantur. Vesegothi autem Pannoniam, Gallias, et Hispanias invaserunt, in quibus etiam sedes ultimas posuerunt. Unde quasi prophetice dicti sunt Vesegothi, id est, Occidentales Gothi. Ostrogothi autem,* [(f)] *qui Hunnis, Pannoniis, et Romanis gravia bella gesserunt. Sed quia successiones et acta Vesegothorum in alio libro digessimus, in hac parte Ostrogothorum successiones et prœlia prosequemur.*

(a) Tol. *Ost enim.*
(b) Tol. *Osteric.*
(c) Tol. *Inde.*
(d) Tol. *Redagayrum iterum sunt divisi. Verum Redagayro.* Al. legit *Rhadagasius.*
(e) Al. *interim.*
(f) Compl. *cum Hugnis.*

CAP. I.
De Regibus Ostrogothorum, et de actibus Theodorici.

Mortuo Attila, Valamer Rex Ostrogothorum, et Ardaricus Rex Gepidarum contra [(g)] Hunnos qui remanserant, processerunt. Hunni autem ex adverso venientibus occurrerunt, et conserto prœlio, Hunni cesserunt, et tot ex Hunnis cæsi fuerunt, quod deinceps Ostrogothorum potentiam metuerunt. Post hæc Leo Imperator cum Ostrogothis pacem firmavit, et Valamer Rex eorum dedit obsidem nepotem suum Theodoricum, filium fratris sui Theudemiri. Mortuo Valamer, frater eius Theudemirus regnum suscepit Ostrogothorum, cui Leo Imperator statim restituit suum filium Theodoricum, quem obsidem receperat à Valamer. Mortuo Theudemiro, successit in regno Ostrogothorum filius eius [(h)] Theodoricus. Huius boni-

(g) Compl. ubique *Hugnos.*
(h) Compl. hic et supra legit *Theudoricus*; infra vero *Theodoricus.*

Digitized by Google

nitas ita enituit, cum esset obses, ut tam ab Imperatore, quam à Romanis carissimus haberetur, adeo ut famæ eius pura sinceritas ad aures Zenonis relatu celeri perveniret. Unde et Zenon qui Constantinopoli imperabat, Theodoricum ad se venire suis epistolis invitavit, et recepit iucundo applausu et congruis honoribus venientem, et in Consulem et Patricium exaltavit, et ei æream statuam ante palatium collocavit. Cumque ibidem aliquanto tempore imperialibus deliciis teneretur, cœperunt Ostrogothi aliquantulum murmurare, eo quòd defectu victualium vexarentur, nec licebat eis propter pacis fœdera à vicinis gentibus aliquid attentare. Unde et pacem initam causabantur: et Theodorico talia nunciarunt. Quæ audiens, Zenoni continuo revelavit. Zenon autem de Ostrogothorum penuria contristatus, quia nolebat Theodoricum à se fieri alienum, quem tantis virtutibus compererat abundare, tradidit ei Italiam, ut ciborum inopiæ subveniret, et commendavit ei senatum populumque Romanum. Egressus igitur à Zenone, venit ad Ostrogothos, nuncians eis, ut se pararent ad obtinendam Italiam sibi datam. Cumque pergere incepissent, Gepidæ et Bulgari se illis in itinere obiecerunt, sed ex eis plurimi ceciderunt: et victor Theodoricus, exiens de Mysia, et transiens per Pannonias, Italiam est ingressus.

CAP. II.

De [a] *Odoacre, et morte eius.*

Odoacer autem Rex [b] Herulorum et Thuringorum, fugato Oreste Patricio, et obtenta civitate Ticini, deposuit ab imperiali purpura [c] Augustulum, qui imperialem usurpaverat potestatem, et Romam obtinuerat, et totius Italiæ principatum. Hic, cum audisset adventum Theodorici, prope [d] Aquileiam occurrit Theodorico, ibique pugna inita, Odoacer victus extitit et fugatus: Theodoricus autem usque Veronam eum persequi non cessavit. Præsumptione denuo restaurata, bellum iterum innovavit; sed eadem infelicitate qua prius, pluribus de sua multitudine interfectis, ipse iteratæ fugæ subsidio est relictus; sed Theodoricus impetu persequens fugientes, etiam Veronam locum refugii occupavit. Odoacer autem in urbem fugiens, à civibus est abiectus, et ei introitus denegatus. Ipse vero, quæ attingere potuit, gladio et incendio devastavit, et Ravennam veniens, ibi se clausit, gestiens rebellare. Theodoricus autem, obtenta Verona, venit Mediolanum, et eam obtinuit. Ibique dimissis matre et sororibus, supellectili familiari Ravennam ivit, Odoacrem profugum obsessurus: et cum obsidione diutina arctaretur, Odoacer sub fide se dedit Theodorico. Qui demum volens iterum rebellare, à Theodorico morte crudelissima est peremptus. Mortuoque Odoacre, frater eius Onoulphus cum residuis Odoacris Theodoricum voluit infestare, sed victus ab eo, trans confinia Danubii est fugatus.

(a) Compl. *Odoacar* hic et infra absque declinatione.

(b) Tol. et Compl. *qui in Pannonia residebat, cum multitudine Herulorum et Thuringorum.*

(c) Compl. *Augustudulum.*

(d) Tol. *Aquilegiam.*

Digitized by Google

CAP. III.
De Regno Theodorici in Italia.

Post hæc autem Theodoricus pacifice obtinuit Italiæ principatum, et Romam veniens, à Romanis omnibus voluntarie est receptus. Ipse vero, ut erat vir gratiæ et virtutum, sic se scivit omnibus conformare, ut carus ab omnibus haberetur. Et quia tunc temporis stipendia victualium fuerant minorata, assignavit Romanis, singulis annis, CXX. millia modiorum, pro quo Romanis carior est effectus: et quamvis tot favoribus redundaret, numquam voluit [a] Imperatorum dominio derogare, sed omnia quiete, omnia pacifice gubernabat; et per totam Italiam regalia habitacula opere nobili fabricavit: cuius virtutes et acta Sidonius et Ennodius latius prosequuntur. Cum itaque in Italia annis decem et octo victor regnasset, audiens extinctum Regem Gothorum Gisaleicum, cœpit in Hispaniam proficisci, et in via Francorum superbiam domuit, et prostravit, et partem regni quam manus hostium occupaverant, Gothorum restituit potestati. Et intrans Hispanias, regnum tenuit annis quindecim pro [b] Amalarico nepote suo qui parvulus adhuc erat, et totam Hispaniam et Galliam Gothicam subiugavit. Cumque nepos Amalaricus ad ætatem legitimam pervenisset, Theodoricus regnum Gothorum dimisit eidem, mandans filiæ et nepoti, et quasi voce testamentali denuncians, ut senatum populumque Romanum diligerent, et Imperatorem orientalem haberent propitium et pacatum. Ipse vero reversus est in Italiam, et per ipsum fuit Romæ dignitas restituta: nam partem murorum, quam Alaricus et Athaulphus Reges Gothorum, et Gisericus Rex Vandalorum vastationis tempore dissiparant, ipse redintegravit, et prospere regnum rexit. Unde et à senatu statuam meruit inauratam. Amalaricus autem nepos eius cœpit regnare Æra DLXV, et quinque annis regnavit sine avo, et tam suam adolescentiam, quam matris viduitatem Iustino Orientis Principi commendavit.

(a) Tol. *Imperator.*

(b) Compl. hic et alibi *Amalerico.*

CAP. IIII.
[c] *De Theodorici hæresi, et morte eius.*

Mortuo Zenone, Iustinus Catholicus suscepit Imperium Orientis. Tunc Hormisda Papa misit ad eum Germanum Episcopum Capuanensem, quem Iustinus propter sanctitatis [d] præconium honoravit. Eo tempore hæresis Ariana adeo invaluerat, quod fere utrumque imperium infecerat viru suo. Gothi etiam, Vandali, Alani, et Suevi à tempore Valentis Imperatoris eadem perfidia tenebantur. Prædictus autem Germanus Episcopus multos apud Constantinopolim ad fidem catholicam revocavit, et Iustinus mandavit catholicis Episcopis Ecclesias restaurari, et per Sacerdotes catholicos gubernari. Quod audiens Theodoricus Ariano veneno repletus, ad Iustinum nuncios destinavit, ut Arianis Episcopis Ecclesias restitueret, et eos in pace permitteret remanere, [e] alioqui ipse in omnes de Italia desæviret, nec sexui parce-

(c) Compl. et Al. *De restitutione Arianæ hæresis per Theodoricum, et morte eius.*

(d) Compl. *sua præconium.*

(e) Compl. *alioquin.*

Digitized by Google

ceret, nec ætati. Nuncii autem cum lacrimis postularunt, ut petitioni annueret, et Arianos permitteret frui pace, et sic parceret Italis occidendis; quod et fecit, compassione Italiæ provocatus. Hormisda Papa defuncto, Ioannes Constantinopoli ad Papalem apicem sublevatur. Et dum hæc fierent, Theodoricus pravitate hæretica concitatus, Symmachum Patricium, et Boethium Senatorem gladio interfecit: nec in eo primis operibus ultima responderunt. (a) Et cum Ioannes Papa à Constantinopoli adveniret, invenit Ravennæ Theodoricum; et cum ei verba salutis proponere incepisset, ipsum Papam cum iis qui cum eo venerant, interfecit, indignans quod Iustinus reveritum honoravit. Paucis autem diebus interpositis, Theodoricus, sacrilegiis Arianus, impiam animam Dei iudicio exhalavit. Tunc quidam solitarius eremita vidit Ioannem Papam, et Symmachum Patricium eius animam deportare, quam in ollam Vulcani, quæ ipsi litori est vicina, ut executores divinæ sententiæ proiecerunt. Iustinus vero Imperator, cum per undecim annos apud Constantinopolim regnavisset, in pace quievit.

(a) Tol. *Eo.*

CAP. V.

De Gutide et successoribus eius.

Mortuo Theodorico, Ostrogothi nepotem eius Amalaricum in Principem elegerunt, sed parvo post tempore in Hispania vitam finivit. Post hunc etiam Ostrogothi cum voluntate Amalasventæ Theudem elegerunt; sed quia Theudis Amalasventam, paucis diebus interpositis, in balneo strangulavit, Ostrogothi Regem alium elegerunt, qui Gutis nominabatur. Hic ad regale fastigium elevatus, ivit Ravennam, et filiam Eurici Regis et Amalasventæ Reginæ, quam ibi avus Theodoricus reliquerat, abstulit violenter, et sibi matrimonio copulavit. Cumque Belesarius Neapolim invasisset, et Gothos cum incolis extinxisset, veniens Romam, voluit Gothos qui inibi habitabant, gladio simili extirpare; sed qui fugere potuerunt, Ravennam ad Gutidem pervenerunt. Gutis autem, ut cognovit talia, statim cum magno exercitu contra Belesarium venit Romam. Belesarius autem, non ratus congredi opportunum, urbis ianuas (b) fecit claudi, et introitus custodiri. Ostrogothi autem extra muros omnia evertebant, et incendio consumebant, et loca sacra bonis omnibus spoliabant, et quoscumque de Romanis habere poterant, trucidabant, et civitatem undique graviter infestabant. Belesarius vero è contrario firmiter defendebat. Romani tamen calamitate (c) duplici tenebantur: nam foris eos gladius, intus famis penuria affligebat. Cumque per annum fuisset obsessa, in Ravennam, cœlitus territi, redierunt. Eo tempore tanta fames invasit Liguriam, ut, secundum quod prædixerat Sanctus Dacius, Mediolanensis Episcopus, matres filiorum carnes carissimas attentarent. Post hoc iterum Gutis exercitum congregavit, et veniens contra Romanos, à Belesario fuit victus; et crudelitatis suæ recipiens talionem, multis de suis occisis, dum ipse fugeret, à Ioanne magistro militum

(b) Tol. *facit.*

(c) Compl. non habet *duplici.*

tum fuit captus, et Belesario præsentatus. Belesarius autem, tanta victoria gloriosus, Gutim Constantinopolim secum duxit, et obtulit eum Iustiniano. Ille autem benigne recipiens, honoravit patricia dignitate, et factum Patricium, quia strenuus esset, misit eum ad fines Persidis contuendos, ubi et vitam finivit. Hoc tempore Sanctus Pater Benedictus in monte qui Cassinus dicitur, habitabat, et gens Longobardorum, Romani populi tunc amica, Pannoniam possidebat, et habebat Regem qui [a]Alboini dicebatur. Ostrogothi autem, mortuo Gutide, super se Regem alium levaverunt, nomine Heldebatum, et isto post annum occiso, alium præfecerunt, qui [b] intra anni circulum vitam finivit.

(a) Al. *Alboim.*

(b) Compl. *infra anni.*

CAP. VI.

De Totila et actibus eius.

Deinde Totilam elegerunt. Hic fuit strenuus et crudelis, qui, suorum exercitu congregato, cœpit Italiam impugnare, et per Campaniam et montem Cassinum, per Lucaniam et per Brutiam transeuntes, ad regnum Calabriæ pervenerunt, indeque mare modicum transeuntes, Siciliam occuparunt. Deinde Romam reversi, [c] ubi fame gravissima laborabant, [d] fiducialius obsederunt. Obsessi autem tanta inedia tenebantur, ut humanas carnes pro pabulis attentarent: tandem cæde [e] et inopia tabefacti, à defensione penitus cessaverunt. Totila autem per portam ingressus est Ostiensem, et præcepit buccinis intonare, ut Romani se in latebris occultarent, aut ad sanctuaria se transferrent, ut à gladio servarentur: et [f] hoc fecit, volens parcere sanguini Romanorum. Post hæc cum Romanis aliquanto tempore, ut pater cum filiis, habitavit, et cum antea crudelissimus haberetur, hanc humanitatem creditur Beati Benedicti monitis induisse, ad quem iverat, ut intelligeret, si haberet spiritum prophetiæ. Civitates autem Italiæ variis incursionibus dissipavit. Civitatem, Castellum, [g] Perusium, et [h] Fulginiam, et multas Æmiliæ civitates cum plurima cæde hominum diruit, et evertit. In tantis vero excidiis aliqui Senatores, tot calamitatibus cruciati, Constantinopolim adierunt, et Iustiniano excidium Italiæ nunciarunt. Imperator vero, dolore repletus, continuo misit [i] Narsetem cubicularium eunuchum cum magna multitudine pugnatorum, qui veniens in Italiam, Ostrogothis oblita prœlia reparavit, et ad extremæ virtutis ultima coarctavit, et Regem eorum Totilam interfecit, et eos ab Italiæ finibus propulsavit. Civitates et oppida quæ Totila decem annis tenuerat, Romano Imperio [j] restituit. Reliquiæ autem Ostrogothorum quæ remanserant, ad ripam Danubii confugerunt, et ex tunc Romani à Gothorum cladibus respirarunt: nec Ostrogothi leguntur Regem postea habuisse, nisi quod se Vesegothorum cœtui miscuerunt, qui in Hispaniis et Gallia Gothica regnaverunt.

(c) Al. *quia fame.*

(d) Al. non habet *fiducialius obsederunt. Obsessi autem tanta inedia tenebantur.*

(e) Tol. non habet *et.*

(f) In Tol. deest *hoc.*

(g) Tol. *Pristum.*

(h) Compl. et Al. *Fulgineum.*

(i) Compl. et Al. *Narsim.*

(j) Compl. *restauravit.*

EXPLICIT OSTROGOTHORUM HISTORIA.

RO-

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI
HUNNORUM, VANDALORUM, SUEVORUM, ALANORUM, ET SILINGUORUM HISTORIA.

PROLOGUS.

Quia stilo flebili nostræ gentis repetita sæpius excidia recitavi, ne per intercapedines digitorum [a] mira defluant Hispanorum, descriptis cladibus quas fere semper à sui principio est perpessa, ad eorum tempora verto stilum, qui licet breviori, acriori tamen dominio sævierunt. Quorum inhumanitas tanta fuit, ut omnem bestiarum rabiem superarent, nec umquam humani generis ingluvie satiati, pietatis spiritum admiserunt; sed semper exterminio inhiantes, cædibus et excidiis intenderunt: quod divini iudicii talio sic evertit, ut parum, aut raro in tutis sedibus remanerent: et fere semper intestinis suppliciis pœnas [b] criminum, ut oportuit, receperunt: quorum principium, medium, atque finem, prout maiorum relatio docuit, si Dominus dederit, [c] annotabo. Gothorum originem, gloriam, et processum, quorum insignia super omnes barbaros effulserunt, in superiori volumine declaravi, prout [d] docuit veritas primævorum. Verum quia præter Gothos, quattuor gentes ferocissimas sæcula habuerunt, scilicet [e] Hunnos, Vandalos, Alanos, et Suevos, qui semper cædere, numquam quiescere voluerunt, horum originem, sedes, et acta cogit suscepti laboris ratio explicare.

(a) *myrrha defluat Hispanorum.*

(b) Al. *crimine.*

(c) Al. *enotabo.*

(d) Compl. *me docuit.*

(e) Compl. *Hugnos* semper.

CAP. I.

De origine Hunnorum.

[f] Hunnorum origo (ut refert antiquitas) ita cœpit. [g] Philimer Rex Gothorum, Gardarici Magni filius, qui post egressum à Scandia tertio loco Gothorum tenuit principatum, qui et terras Scythicas (ut diximus) occupavit, in populo suo reperiit quasdam magas, quæ in exercitu stupra et maleficia procurabant, et factitiis strenuos evitabant, quas habens suspectas, longe ab exercitu effugatas, in solitudine fecit exponi. At immundi spiritus per deserta et invia evagantes, ut multorum cogit [h] relatio opinari, se earum complexibus ad co-

(f) Al. *Hugnorum.*

(g) In Tol. deest *Philimer.*

(h) Tol. *ratio.*

coitum miscuerunt, et genus hoc ferocissimum ediderunt. Primum minutum, tætrum, inter paludes exisse commemorant, et quasi genus hominum, nec alia voce notum, nisi quod humani seminis imaginem exhibebat. Tali ergo Hunni stirpe progeniti, procedente tempore magis humanæ naturæ vicini, licet satis dissimiles, humanæ formæ imaginem præferebant, et [(a)] à rugitibus bestiarum humanis vocibus se aptabant, Gothorum linguam quam à matribus didicerant, in aliquibus imitantes. Et ut Priscus historicus refert, in ulteriori ripa paludis Mæotidis insidentes, non aliis laboribus, sed tantum venationibus et piscationibus insistebant, nisi quod postquam crevit, fraudibus et rapinis vicinarum gentium commoda perturbabat. Erat autem eis species pavenda nigredinis, et velut offa incomposita et informis, non plene ut facies [(b)] figurata, sed habens in facie quasi puncta pro luminibus oculorum, et sævitiam animi torvus prodebat aspectus. Etiam in proles recenter natas impie sæviebant; nam genas earum ferri calidi stigmate figurabant, ut ante vulnus, quam lactis susciperent nutrimenta: exigui quidem forma, sed argutis motibus expediti, ad equitandum promptissimi, latis scapulis, ad arcus sagittasque parati, cervicibus et superbia semper erecti. Quadam autem die, dum venatores eorum in ulteriori ripa [(c)] Mæotidis circa venationis studia laborarent, cerva se obtulit improvisa, ingressaque paludem, nunc progrediens, nunc subsistens, ut index viæ, sollicita præcedebat; et venatores paludem imperviam quam ut pelagus existimabant, pedibus transierunt, moxque ignotis apparuit Scythia numquam visa, et creduntur spiritus illi, unde progeniem traxerant, id egisse: quod enim in tam modico tempore à non multis feminis quocumque concubitu tantus populus processisset, tamque ferox, non videtur humana posse contingere ratione. Illi vero, qui præter [(d)] Mæotidem alium esse mundum penitus ignorabant, admiratione Scythiæ stupefacti, ut erant sollertes, iter illud ostensum divinitus crediderunt, et ad suos in Mæotidem revertentes, gestum, prout evenerat, retulerunt, et terras Scythiæ laudaverunt. Et continuo [(e)] Hunnorum exercitus paludibus procreatus, Scythiam adiverunt, et quoscumque in principio invenerunt, suæ victoriæ litaverunt, et ingentem paludem Scythiæ transierunt. Alpizuros, Lizuros, [(f)] Iumaros, Boiscos, qui in ripa paludis Scythiæ insidebant, quasi cum turbine rapuerunt. Alanos quoque pugna sibi pares, sed humanitate, victu, formaque dissimiles, frequenti certamine subiugarunt. Nam quos bello forsitan minime superabant, terrore vultuum consternebant, et iam longa generatione veri hominis imaginem [(g)] nasciscentes, ferali sævitia trahebantur. Hermanaricus autem Rex Gothorum, qui (ut superius retulimus) multarum gentium extiterat triumphator, aliquo vulnere saucius, ægram vitam imbecillitate contraxit, et tunc [(h)] Voalamber Rex Hunnorum in Ostrogothos qui iam à Gothis seiuncti manebant, fecit insultum, eos-

(a) In Al. deest *à*.

(b) Tol. habet *et*.

(c) Compl. hic et alibi *Mæotide*.

(d) Compl. *Meotidam*.

(e) Tol. *Hugnorum*.

(f) Compl. et Tol. *Ttimaros*. Al. *Tucarsos Boyscos*.

(g) Tol. *natura scientes*.

(h) Compl. *Walamber*. Al. *Valamer*.

eosque prostravit. Hermanaricus autem dolore vulneris, et Hunnorum potius, vitæ suæ anno centesimo decimo est defunctus: cuius mors Hunnis occasionem præbuit prævalendi, ipsosque Gothos qui remanserant, et Ostrogothos fere extinxit. Ostrogothi autem et Gepidæ usque ad bellum Catalaunicum sub Hunnorum dominio remanserunt, à tempore Hermanarici Regis Gothorum usque ad Voalamer Regem Ostrogothorum, et Ardaricum Regem Gepidarum, qui tempore belli Catalaunici, rati posse restitui libertati, se Gothorum auxiliis addiderunt. Post quod bellum (de quo in superiori libro latius est expressum) Attila pro discessu hostium non restitutus, præsumit gaudia, meditatur grandia, erigitur ad coronam, oppressioni inhiat, Romanis intonat, et inde revertitur in Pannoniam, ut maiorem exercitum congregaret. Et cum cœpisset Alanos infestare, Thurismundus adveniens, vicit eum; et licet fugatus, post Thurismundi discessum virtutem animi non abiecit, sed maiori exercitu congregato, corde intimo reponens iniuriam Romanorum, (a) profectionem dirigit in excidium eorumdem, habens secum, quam prius, exercitum ampliorem. Primum partes (b) Aquileiæ devastavit, quæ erat (c) metropolis Venetorum. Deinde civitatem obsidionis ambitu coarctavit. Cumque obsidio diutius traheretur, cœpit exercitus victualium penuria murmurare. Quadam autem die, cum civitatem Attila circuiret, ut videret qua posset facilius impugnari, inspexit ciconias, in rostris filios deportantes, egredi civitatem, et lætus auspicio, dixit suis: "Pugnate hilariter, quia transmigratio avium transmigrationem indicat obsessorum." Et tunc fortius solito dimicantes, obsessæ urbis muros et ianuas irruperunt. Et quædam domina, nomine Digna, quæ in turre altissima habitabat, in Natissam fluvium se proiecit, ne barbarorum ludibrio servaretur. Inde urbe eversa, et penitus dissipata, vicina oppida diruit, et castella. Concordiam, et Belunum, et Feltrum, Vincentiam, et Veronam, (d) Bergomum, Brixiam, atque (e) Cumam, Mediolanum metropolim, Ligurum, et (f) Ticinum quæ nunc Papia, omnes diripuit, et evertit, cædi tamen et (g) incendio (h) parcius insistebat. Ipso talia perpetrante, et Liguriam et Venetias devastante, quæ erant quasi viscera Romanorum, proposuit Romam simili dispendio visitare, sed suorum consilio dissuasus, timuit sibi, ut Alarico, si Romam invaderet, eventurum, qui postquam Romam vastaverat, humanæ vitæ protinus sensit finem. Dumque inter consilia fluctuaret, venit ad eum cum legatione placida Sanctissimus Leo Papa, in cuius adventu sic furorem deposuit consuetum, ut sui et alii mirarentur: in tantum, ut idem Papa recessum eius ab Italia impetraret. Fuerat enim Attila Dei territus potestate: viderat enim, dum sibi Papa cominus loquebatur, alium prope stantem, in similitudine Sacerdotis, tenentem gladium evaginatum, et mortem terribiliter comminantem, si nollet Papæ beneplacitis obedire. Cumque suis visionem huiusmodi reve-

(a) Tol. *perfectionem.*

(b) Compl. et Tol. *Aquilegiæ.*

(c) Tol. habet *in.*

(d) Compl. *Pergamam.* Tol. *Bergamum, Brigiam.*

(e) Tol. et Al. *Cunam.*

(f) Tol. *Ticinium.*

(g) Tol. *in medio.*

(h) Compl. et Tol. *parvus.*

velasset, pacem, ut Papa petierat, suaserunt: et in loco, ubi Ticinus Pado flumini admiscetur, ab invicem discesserunt.

CAP. II.
De [a] *Honoria, et morte Attilæ.*

(a) Tol. *Honora.*

Honoria autem, Valentiniani germana, Attilam incitavit per clandestinum eunuchum, ut eam sibi peteret in uxorem. Attila autem, audito nuncio, est gavisus, et statim ad Imperatorem Valentinianum internuncios destinavit, ut sororem eius peterent supradictam: quod si renueret, interminans, minitavit se in Italiam reversurum, et graviora prioribus patraturum. Igitur Attila Danubium transiens, contra Alanos movit arma. Quod cum Thurismundus, Rex Gothorum non imparis gloriæ, præsensisset, in auxilium Alanorum exercitui Attilæ mox advenit, consertoque prœlio, sicut in campis Catalaunicis, pavenda Romanis vexilla Attilæ effugavit, ipsumque Attilam fugientem coegit oblitas olim repetere mansiones. Et præter alias quas habebat, duxit uxorem quæ Ildico dicebatur, et inter convivia quæ sobrietatis terminos excesserunt, plus solito bibit vinum, et cum sanguis per os et nares cœpisset effluere, fuit continuo post breve spatium suffocatus. In ipsa nocte Imperator Marcianus qui tunc Constantinopoli morabatur, vidit in somnis arcum Attilæ esse fractum, et intellexit eum mortuum, aut confractum. Unde Etium Patricium interfecit, eo quod in bello Catalaunico eius consilio quod Thurismundo dederat, Attila evasisset. Sed eorum prœlia et processus in superiori volumine descripsi calamo latiori.

CAP. III.
De Vandalis.

Vandalos autem [b] Scythas fuisse, superioris libri auctoritas protestatur, quos Gothi, egressi à [c] Scandia, primo impetu prostraverunt. Pars autem altera Vandalorum, dicta Silingui, per se exercitum faciebat, et speciali nomine vocabatur, licet à principio utrique una gens fuerint Vandalorum. Alani similiter ex Scythia oriundi, acti à Gothis, in Vandalorum coloniam transierunt, ut Gothis impares, possent cum Vandalis se tueri. Suevi etiam, qui à [d] Germania processerunt, eam partem Scythiæ invaserunt, quæ à Suevis et Scythis [e] Suecia nominatur, in qua est metropolis civitas Ubsalensis. Horum nomen et patria in Teutonia adhuc antiqui cæspitis nomen habet, quæ Suevia [f] nominatur. Hi itaque genitale solum egressi, et in obtenta Suecia habitantes, et Gothorum [g] gladios formidantes, se Vandalorum et Alanorum cœtui miscuerunt, ut simul iuncti, Gothorum potentiæ obviarent; quibus tamen semper in bellis impares sunt inventi. [h] Cum enim Geberidus Gothorum regeret principatum, et Vimar Vandalorum, quos iuvabant Alani et Suevi, tanta strage fuere prostrati, quod numquam postea in Scythiæ sedibus præsumpserunt remanere, nec nobilitati Gothicæ obviare, sed à Constantino Cæsare Pannoniam petierunt, et per LX. annos terram

(b) Compl. *et Alanos, Scythas fuisse.*
(c) Al. *Scantia.* Compl. hic et alibi.
(d) Tol. *Germanis.*
(e) Compl. *adhuc hodie.*
(f) Compl. *nuncupatur.*
(g) Compl. *gladium.*
(h) Tol. *Cumque enim.*

Digitized by Google

ram ut agricolæ coluerunt, tributarii Romanorum.

CAP. IIII.

Quod Barbari à Pannonia in Gallias transfugerunt.

Demum Fridigernus Rex Gothorum eis advenit, sed morte præventus, eos non potuit obtinere. Verum ipsi timentes Athanaricum qui in Gothorum regimine adhuc stabat, à Stilicone Consule et Patricio Gallias petierunt, ut Romano imperio rebellantes sua multitudine subiugarent. Cumque ad Gallias pervenissent, biennio ante irruptionem urbis Romanæ, vastatis provinciis interiectis, in Gallias pervenerunt, Burgundiones, et Francos, sive Gallicos, mirabili impetu prostraverunt, et etiam Aquitaniam subiecerunt. At postquam tyrannus Eugenius interfecerat Gratianum, et Gallias occupaverat, Vandali, Silingui, Alani, et Suevi cum tyranno Eugenio contra imperium rebellarunt. Sed Theodosius progrediens contra ipsos, duxit de Gothis plus quam viginti millia armatorum, et Eugenio interfecto, prædictæ gentes fugaci compendio [a] recesserunt, et Pyrenæis montibus se dederunt. Sed Didymus et Veranianus, ambo fratres, de nobilioribus et potentioribus Romanorum, se in eorum transitu obiecerunt, et fratrum obice potentatu à transitu sunt repulsi, et tribus annis per provincias Galliæ vagabundi, à Romanis et Gothis cædes frequentissime sunt experti: sed prædicti fratres qui claustra Pyrenæi potenti præsidio tuebantur, fuerunt apud Constantinum Cæsarem accusati, quasi rebellioni Eugenii consensissent; sed licet innoxii et insontes, à Constantino Cæsare sunt occisi.

(a) Compl. à *Galliis.*

CAP. V.

De introitu Barbarorum in Hispaniam.

Mors autem fratrum Vandalis, Alanis, et Suevis occupandi Hispanias viam dedit, qui intrantes Hispanias, vastationes et [b] neces cruentis incursibus exercebant. Civitates, et oppida, villas, et pagos [c] incendio consumentes, [d] spolia occisorum divisione cruentissima partientes, ad tantam cladem accolas perduxerunt, ut humanas carnes famis periculo attentarent. Bestiæ quoque, cadaveribus assuetæ, in vivorum interitum ferebantur; atque ita quattuor plagis, bestiarum scilicet, famis, pestis, gladii, Hispania [e] misere lacerata, divini iudicii sensit iram. Tandem vero videntes Barbari terram extinctis cultoribus elanguere, et fructibus defraudari, et in ipsos penuriam redundare, non miseriis incolarum, sed suæ cœperunt penuriæ condolere. Unde et incolis convocatis, cum eis provincias diviserunt, ut incolæ terram colerent, tributa dominis soluturi: ipsi autem provinciarum dominia sorte sacrilega partirentur. Alani itaque Lusitaniam et Carthaginensem provinciam habuerunt: Vandali, qui Silingui, in Bætica resederunt: alii Vandali Gallæciam occuparunt: Suevi maritima et occidua Oceani tenuerunt, et partem Celtiberiæ quæ ad montana Oceani tendebatur. Tot faucibus indulta la-

(b) Al. *cædes.*
(c) Tol. *incolis.*
(d) Compl. *exuvias.*
(e) Compl. *misera.*

laceratio Hispanorum, cum supereminerent guttura voratorum carnibus occisorum, nec subiectione, nec officio mitigari potuit crudelitas dominorum.

CAP. VI.
De regno, et fuga Vandalorum, et primo introitu Gothorum.

Postquam autem Hispanias sunt ingressi, primus in Vandalis regnum obtinuit Gundericus, et in Gallæcia posuit sedem regni, annis decem et octo; et fœdere interposito, ipse et Suevi pariter ibidem corregnabant. Alani enim, qui Carthaginensem provinciam et Lusitaniam occuparant, præeminebant Vandalis et Suevis. Sed quia Alani Celtiberiam infestabant, quæ sola in Hispaniis in potestate remanserat Romanorum, Walia Rex Gothorum, qui erat in amicitia Romanorum, per Constantium Patricium qui in Celtiberia residebat, in auxilium est vocatus; et intrans Hispaniam, adeo Alanos infestavit, ut Regem eorum Athacem extingueret, et relictis sedibus Carthaginensis et Lusitaniæ, ad Gundericum Regem Gallæciæ, quem nuper prostraverant, se transferrent, regni nomine iam oblito. Omnes tamen in bello Walia superavit, et Silinguos qui in Bætica morabantur, bello simili coarctavit. Walia autem victoriis inclitus, ad Galliam Gothicam est reversus. Post cuius discessum Gundericus Suevorum fœdera violavit, ut, eis subiectis, ipse solus præesset Vandalis et Suevis: sed Suevi obstinatione solita pertinaces, in Nervasis montibus restiterunt. Unde cum eos Gundericus aliquandiu obsedisset, cœpit de victoria desperare; sed ne videretur desperatione, sive impotentia recedere ab obsessis, causam maioris negotii simulavit, et obsidione relicta, ad Baleares insulas se convertit, et eas prædis et cædibus devastavit. Inde rediens ad Carthaginem cismarinam, quæ Spartaria dicitur, eam diruit, et delevit. Hanc olim Scipio Africanus, deleta maiori Carthagine, vastatione simili dissiparat, et ibi fuit antiquitus dignitas civitatis. Sed postquam ipsa à Vandalis fuit eversa, Gothorum tempore dignitas ad Toletanam Ecclesiam est translata, et adhuc hodie Carthaginensis dicitur provincia Toletana. Eversa Carthagine, processit, ut Bæticam devastaret, non parcens Silinguis, qui erant cum Vandalis unus populus, et gens una. Sed cum Hispalim diruisset, et [a] acta cæde, diripuisset, in Basilicam Vincentii, Martyris eius urbis, [b] sacrilegas misit manus. Sed Dei sententia nolens tantum facinus tolerare, dæmonii impetu in foribus templi cecidit interfectus, Æra CCCCLXVII. Et tunc remanserunt in Hispaniis tria regna: in Carthagine et Lusitania Alanorum, qui ad mansiones suas post recessum Waliæ redierunt: secundum regnum in Gallæcia Suevorum: tertium in Bætica Silinguorum, quæ regio à Silinguis Vandalis adhuc hodie Vandalia nuncupatur, quam Andaluciam, corrupto vocabulo, vulgariter appellamus, in qua est fluvius qui Silingius appellatur, et ab Arabibus Guadaxelim Arabice nominatur, et incolas Andaluces.

(a) Compl. *actam.*

(b) Compl. *sacrilegus.*

CA-

Digitized by Google

CAP. VII.
De Giserico, et transitu eius in Africam.

Mortuo Gunderico, frater eius Gisericus successit in regno, et regnavit XL. annis. Hic cum esset catholicus, in apostasiam Arianæ perfidiæ est [a] lapsus; et cum frater eius, de quo diximus, Gundericus, verens vicinitatem Gothorum Regum qui in Gallia Gothica et Aquitania residebant, et partem Hispaniæ, veniente Walia, occuparant, proposuit in Africam transfretare, sperans [b] freti obice à Gothorum insultibus fore tutum, Gisericus [c] propositi conscius, cum omnibus Vandalis, eorumque familiis, relictis Hispaniis, ad Africam transfretavit, et continuo obsedit Hipponam. Cuius obsidionis anno [d] primo beatus Augustinus, beati Ambrosii discipulus, eiusdem urbis Episcopus, migravit ad Christum inter impetus obsidentium Vandalorum, anno decimo post mortem Hieronymi, Episcopatus sui tricesimo quinto. Cum autem Vandalorum transitum Valentinianus Iunior qui occidentali imperio præerat, audivisset, timuit ne totam Africam subiugarent, et cum obsistere non valeret, per Trigerium pacem misit, et partem Africæ, Hipponæ videlicet regionem, concessit [e] eis pacifice possidendam, conditionibus interpositis, ne quid ultra invaderent de imperio Romanorum: et hoc ipsum firmavit iuramenti robore Gisericus. Sed fraternæ pertinaciæ non immemor observator, et sacramenti velocissimus violator, illico pacta fregit; et festinavit Carthaginem obsidere, et id residuum quod reparatum fuerat post tempora Scipionis, [f] impetu invadens, Carthaginem, pace [g] deceptam, diripuit, et consumpsit. Carthago ante Romam fuit condita LXXII. annis: et DCCXXXVII annis, et diebus decem et septem à fundatione sua, à Scipione incensa, in pulverem est redacta. Post CII. annos fuit denuo reparata, et post iterum à Giserico destructa, decimo quarto calendas Novembris, et adhuc hodie [h] silet irreparata. Et cum esset Arianæ sectæ perfidus observator, statim in exordio sui regni cœpit persequi Catholicos christianos, et eorum Episcopos in exilium condemnavit, et eos qui ei resistere non timebant, [i] pœna ultima condemnabat. Et tanta fuit tunc temporis persecutio in Ecclesiis Africanis, quod vix poterat aliquis catholicus reperiri. Proscripsit etiam bona Ecclesiarum, et servitutem imposuit omnibus clericis, qui utcumque sub eius dominio latitabant: Ecclesias profanabat, et iumenta sua tam in Ecclesiis, quam in porticibus religabat: et adeo per totam Africam Arianam hæresim seminavit, quod loca sacra, et Deo dicata, in habitacula suis domesticis conferebat, et viros sanctos, Arianam hæresim detestantes, ipse detestabatur, et sine intermissione eorum sanguinem procabatur, et, cum poterat, effundebat, ita ut usque ad os totam Africam Sanctorum sanguine ebriaret. Per idem tempus quattuor viri Hispani, in Arianam sectam transire nolentes, diversis mortibus interempti, illustri martyrio consummantur: Arcadius, Probus, Paschasius, et Euty-

(a) Compl. et Al. *dilapsus.*

(b) Al. *Tyrrheni.* Compl. *Urreni.*

(c) Compl. et Tol. habent *autem.*

(d) Al. *primus.*

(e) Tol. *ei.*

(f) In Compl. deest *impetu.*

(g) Al. *receptam.*

(h) Tol. et Compl. *simul irreparata.*

(i) Compl. *pœnæ ultimo.*

tychius. Puer autem, Paulillus nomine, frater Paschasii et Eutychii, propter fidem catholicam damnatus est infimæ servituti.

CAP. VIII.

De transitu Vandalorum in Siciliam, et vastatione urbis.

Verum quia nec sacrilegiis, nec cædibus hominum poterat satiari, Africa conculcata, in Siciliam navigavit, ut eam pari exterminio laceraret: et direptionibus iam peractis, obsedit Panormum, eius insulæ regiam civitatem. Cumque hæc omnia Theodosius Iunior, qui Orienti præerat, percepisset, exercitum congregavit, ut Gisericum à Sicilia effugaret. Et dum hæc fierent, rumor advenit, quod Hunni Thracias et Illyricum devastabant: et hac necessitate Theodosius exercitum quem contra Vandalos destinaverat, revocavit, ut Thracibus, et Illyricis fieret in succursum. Marcianus autem, seu Maiorianus, qui imperabat in Occidente, ab Italia in Hispaniam est profectus; et cum ad Carthaginensem provinciam pervenisset, in eodem litore aliquantas naves ad transitum contra Vandalos præparavit; sed proditione suorum fuit Vandalis revelatum: qui improviso navigio venientes, ex eis aliquas succenderunt, et aliquas abduxerunt. Sicque Marcianus, dispositione frustratus, in Italiam est reversus, et [a] Tertone à Richimiro Patricio occiditur circumventus, eo quod Reipublicæ ignominiam intulerat et iacturam. Quod audiens Gisericus, non contentus Africæ et Siciliæ vastatione, aggressus est patriam Romanorum. Romanæ autem Ecclesiæ adhuc præerat Leo Papa. Romani vero, timentes adventum Principis Giserici, relicta civitate, ad montium ardua confugerunt, et veniens Gisericus, civitatem habitatoribus vacuam, sed plenam divitiis occupavit: sed nec incendere voluit occupatam, nec in eos qui remanserant, gladio desævire. Nam Leo Papa in introitu civitatis occurrerat venienti, et divini verbi pabulo Giserici tyrannidem sic sedavit, ut à ferro et incendio abstineret: et suasus ab Eudoxia, Valentiniani relicta, quæ eius commercium cupiebat, ut Romam ingrederetur, Romanorum copias cupiebat, et per quattuordecim dies exhausit opes, et thesauros absconditos eorumdem, [b] et Christiani Valentiniani Eudoxiam relictam, et duas filias duxit captivas, cum multis millibus captivorum. Roma itaque, domina civitatum, remansit vidua, quasi terremotu tertio conquassata, primo Alarici, secundo Athaulphi, tertio Giserici. Vandali vero Roma egressi, se per Campaniam diviserunt, omnia gladio et incendio dissipantes: Nolam et Capuam, nobiles Campaniæ civitates, impetu subverterunt, et incendio consumpserunt, et similia in aliis civitatibus, [c] castellis, et ruribus peregerunt. Sanctus vero Paulinus, Nolanus Episcopus, quidquid habere potuit, pro redemptione captivorum patriæ erogavit. Supplicanti etiam viduæ, ut unicum filium captivum redimeret, cum nihil haberet, omnibus erogatis, seipsum in servum vendidit, et filium viduæ liberavit; et

(a) Tol. *Tetrone à Tochimiro.*

(b) Tol. et Compl. *etiam ipsam Eudoxiam Valentiniani.*

(c) Tol. *castellanis.*

et cum aliis captivatis ipse quoque in Africam est delatus, ubi sanctis operibus gloriosus, meruit obtinere sibi, et omnibus concaptivis qui à patria sua ducti fuerant, libertatem: et sic cum [a] omnibus in Campaniam est reversus. De hoc beatus Augustinus in libro Dialogorum plenius declaravit. Et sic Gisericus, victor et inclitus, ad Carthaginem est reversus, et mox misit nuncios ad Theodosium qui præerat Orienti, et pace firmata, remisit ei honorifice Valentiniani relictam, et unam filiam, alteram retinens suo filio Hugnerico: et tamen Ecclesiam persequi non omisit, insistens hæresi Arianæ. Paucis autem diebus interpositis, Gisericus iterum in Italiam voluit navigare, sed repulsus à [b] Basilisco Patricio navali victoria, in Africam inglorius est reversus. Sicque vesaniæ suæ virus ubique refundens, frequenter victor, ultimo victus, quadragesimo regni sui anno vitam finivit.

(a) Compl. eis omnibus.

(b) Compl. et Al. Basilio.

CAP. IX.

De [c] Hugnerico.

(c) Compl. et Al. De regno Hugnerici.

Mortuo Giserico, filius eius Hugnericus succedit in regno, et regnavit annis octo. Hic habuit uxorem Valentiniani filiam; ex qua suscepit filium nomine [d] Hildericum. Initium autem regni sui conspersit viru perfidiæ Arianæ, et sicut in regno, sic patris in hæresi fuit heres, et in persecutione catholicorum patre atrocior est inventus. Ecclesias infiscavit: Sacerdotes, et ceteros in ecclesiasticis officiis constitutos, exilio condemnavit: monachos et laicos circiter quattuor millia durioribus pœnis arctavit, et eorum plurimos martyrio consummavit: plurimis Confessoribus linguas abscidit, qui tamen, linguis abscissis, Domino faciente, usque in finem usum loquelæ non amiserunt. Lætus etiam, Neptensis Episcopus, sub eo martyrio coronatur; et quia Ariani contagii labe noluit maculari, victor et Martyr, cœlesti consortio meruit adunari. Et quia Hugnericus calicem iræ Dei aliis propinavit, ea potione, qua et Arius doctor eius, effusis visceribus, impium spiritum suo restituit incentori, regni sui anno octavo.

(d) Tol. Heldericum.

CAP. X.

De [e] Gutamundo, et Thrasamundo.

(e) Compl. et Al. De regno Guntamundi, et Trasamundi.

Mortuo Hugnerico, Gutamundus, nepos ex filio Giserici, succedit in regno, et regnavit annis undecim, mensibus octo; qui statim pacem cum Ecclesia reformavit, et omnes catholicos ab exilio revocavit. Isto mortuo, Thrasamundus frater eius successit in regno, et regnavit annis viginti sex, mensibus novem. Iste, insaniæ Hugnerici successor et heres, statim in catholicos misit manum, et eos [f] abhortans, et evertens bona eorum, fisci titulis assignavit, et ex omni Africa [g] CXXX. Episcopos mittens Sardiniam, exilio condemnavit: nec sui temporis hæresi satiatus, Hildericum filium Hugnerici iuramento astrixit, ne catholicos exules revocaret, Ecclesiam restitueret, aut foveret. Isto autem Thrasamundo impium spiritum Carthagine exhalante, Hildericus, filius Hugnerici ex filia Va-

(f) Compl. aporians. Al. apoprians.

(g) Compl. CXX. Episcopos.

Digitized by Google

Valentiniani, in regno substituitur Vandalorum; sed nolens transgredi iuramentum quod fecerat Thrasamundo, antequam regni culmine donaretur, Episcopos et ceteros catholicos ab exilio revocavit, et Ecclesiis restituit infiscata, et per totam Africam pacem datam Ecclesiæ edicti præconio publicavit, et privilegia quæ Thrasamundus abstulerat Ecclesiis, redonavit. Cum enim mater eius esset catholica, fidei opera suadebat. Gilimerius autem, de potioribus Vandalorum, contra Hildericum proditione et tyrannide insurrexit, et prœlio victum cepit, et eum cum filiis custodiæ carceris mancipavit; multosque nobilium Vandalorum, qui in Africa ut indigenæ residebant, et Hilderico ut domino obediebant, et propter captionem eius tyranno indebito resistebant, sustinuerunt à Gilimerio persecutiones varias et iacturas, ita quod multos ex eis cum Hilderico in carceribus coarctaret: aliosque, proscriptis [a] suis bonis, capitali sententia condemnavit, omnique scelere inquinatus, et venundatus [b] ad malum, nulli malitiæ se subtraxit. His miseriis Africa dissipata, Sanctus Lætus Episcopus Neptensis, Martyr eximius, (de quo diximus) in visione apparuit Iustiniano Imperatori, ut succurreret tantæ cædi: quo oraculo incitatus Imperator, confestim misit exercitum cum Belesario magistro militum contra tyrannidem Gilimerii; qui Belesarii adventum verens, Hildericum Regem cum affinibus sui generis et aliis nobilibus interfecit. Veniensque Belesarius, Gutimirum et Gebanundum, fratres Gilimerii, primo prœlio interfecit. Deinde, prœlio iterato, ipsum Gilimerium fugæ exterminio propulsavit; sed insequens, captivavit, et ipsum captum, cum divitiis et rapinis nequiter conquisitis, Imperatori Iustiniano Constantinopolim destinavit, et, eo misso, redegit totam Africam in provinciam Romanorum, anno nonagesimo septimo, ex quo Vandali Africam intraverunt: et mansit postea Romanorum subdita ditioni, donec per Mahometi astutiam fuit reddita hæreticæ [c] perversitati, in qua, peccatis exigentibus, adhuc manet. Sicque regnum Vandalorum cum populo suo funditus extirpatur, quod à Gunderico Rege usque ad interitum Gilimerii duraverat CXIII. annis.

(a) Compl. et Tol. *subiectis.*

(b) Al. *sub peccato.* Compl. *diabolo.*

(c) Compl. et Al. *pravitati.*

CAP. XI.
De Historia Alanorum.

Nunc à Vandalorum historia liberatus, Alanorum me ingero servituti. Eorum originem, processus, et acta, donec Gallias infregerunt, et Hispanias intraverunt, superius enarravi. Postquam igitur Hispanias sunt ingressi, in Carthaginensi et Lusitania provinciis, superbo oculo, corde avido, crudeli proposito, sedes altissimas collocarunt, ita ut Silinguis in Bætica, Suevis in Gallæcia, Romanis in Celtiberia præeminerent, et Vandalos quos in una provincia concluserant cum Suevis, [d] sæpius impetiverunt, et incursibus coarctaverunt. Romanis etiam in Carpetania quam à Carthaginensi provincia defalcarant, intulerunt multas cædes, et abstulerunt multas urbes: quorum necessitate Constantius

(d) Tol. *potius.*

Digitized by Google

tius Patricius (ut dixi superius) Gothorum Regem Waliam invocavit, qui mox veniens, Alanos tamquam [a] aciem duræ silicis hebetavit, et quam in aliis exercuerant feritatem, venienti Waliæ reliquerunt, et regni nomine abnegato, se Gunderico quem devicerant, subiecerunt, sed cum eo ad quem confugerant Gunderico, in conspectu Waliæ ciciderunt, et civitates suæ ditionis in Carthaginensi provincia Walia tradidit Constantio præsidi Romanorum, et sic fuit in Hispaniis eorum potentia dilatata, et Regis nomine apud Alanos iam extincto, cesserè Romanis Vandali et Suevi, qui fere totam [b] Lusitaniam occuparunt, et facti ignavi, pro maiori parte, non militiæ, sed adscripti populo remanserunt, nec ut magnanimi ad sedes alias migraverunt, donec post temporis intervallum Gothis venientibus ut accolæ [c] paruerunt: et hic finis regni et gloriæ Alanorum.

(a) Tol. *acie.*

(b) Tol. *Hispaniam.*

(c) Tol. *pervenerunt.*

CAP. XII.
De Regno Suevorum.

Liberati ab ignavia Alanorum, transire restat ad historiam Suevorum. Horum originem et processum in superiori opere declaravi. Suevi autem, cum Hispanias intraverunt, Hermericum Principem habuerunt, et cum Vandalis Gallæciam occuparunt; sed, Vandalis navigantibus in provincias Africanas, soli Suevi Gallæciam tenuerunt. Gallæci tamen in aliqua parte proprio dominio utebantur, quos Hermericus assiduis incursibus prædabatur. Tandem morbo chronico aggravatus, pacem iniit cum Gallæcis, et tamquam insufficiens, filium suum [d] Recilam regni substituit successorem, qui armorum studiis provocatus, raro à prœliis quiescebat. Cum autem Romani misissent quemdam militiæ suæ ducem, nomine Andebodem, cum multis copiis, ut Bæticam occuparet, occurrens ei Recila ad fluvium qui Silingius dicitur, in Bæticæ regione, conserto prœlio, Andebodem vicit, et interfecit, magnis auri et argenti copiis occupatis; et Romanorum exercitu dissipato, Bæticam suæ subdidit ditioni: et volens Lusitaniam subiugare, obsedit Emeritam, et captam, regno proprio adunavit. Hermericus autem, pater ipsius, interiit, postquam septem annis fuerat morbo diutino fatigatus. Regnaverat autem annis XXXII. Carthaginensem etiam provinciam suæ subdidit potestati, et ita Gallæcia, Lusitania, Bætica, Carthaginensi provincia suo dominio subiugatis, erat in Hispaniis fere Monarchus, et, ut in hac quiete securior permaneret, Carthaginensi provinciæ regionem Carpetaniam, videlicet, quam Romanis abstulerat, restituit, facta pace. Cumque venisset Emeritam, (prout fertur) sub gentilitatis errore vitam infeliciter consummavit, cum regnasset annis VIII.

(d) Compl. hic et infra *Ricci-lam.*

CAP. XIII.
De Rechiario, et morte eius.

Mortuo [e] Recila, Rechiarius filius eius, [f] factus catholicus, successit in regno annis [g] IX. Hic duxit uxorem filiam Theuderedi Regis Gothorum, et pro tanto con-

(e) Al. *Riccila.*

(f) Tol. *et factus.*

(g) Tol. *VIII.*

Digitized by Google

coniugio [a] elevatus, suspicatus est, non tantum Hispaniæ, sed et Vasconiis imperare; et ad Theuderedum socerum suum in Galliam Gothicam est profectus, et ab eo rediens honoratus, Gothorum auxilium secum duxit, et Tarraconensem provinciam, et Cæsaraugustam Carpetaniæ, quæ Romano Imperio serviebant, impetens, occupavit: [b] Carthaginenses etiam regiones, quas Romanis reddiderat Recila pater eius, prædæ incursionibus devastavit. Mortuo autem socero suo Theuderedo in bello Catalaunico, et eius filio Thurismundo, succedente Theodorico secundo filio, Rechiarius cœpit in Hispaniis [c] insolescere, et Theodoricus Rex Gothorum, filius Theuderedi, qui regnabat in provincia Narbonensi, contra eum citius properavit. Rechiarius autem de suis viribus plus præsumens, occurrit Theodorico, et prœlio adinvicem inchoato, Rechiarius effugatur, postea capitur, postea interiit interfectus.

CAP. XIII.

De [d] *Suevorum Regibus.*

Suevi autem bifarie divisi, alii Masdram, Massilæ filium, in Principem elegerunt, qui tantum duobus annis regnavit: alii Frantam. Masdra autem statim mortuo, pars Masdræ filium eius substituit Remismundum, qui cum Franta illico pacem fecit; et ambo pariter fœderati, partes Lusitaniæ devastabant. Post biennium mortuo Franta, pars eius Frumarium sibi [e] præfecit: qui cum Remismundo super regni præeminentia litigaret, evertit Flaviam, vastavit patriam. Remismundus etiam [f] Lucum, et Auriam, et maritima devastabat. Sed post biennium Frumario decedente, Remismundus, pace cum Gallæcis inita, Suevorum in Gallæcia obtinuit principatum. Suevi enim eum sibi in Regulum præfecerunt. Qui ad Lusitaniam transiens, Coimbriam pace deceptam diripuit, et exhausit, Ulysbonam etiam occupavit, Lusidio cive et incola, qui illic præerat, eam tradente. Post aliquot dies Remismundus, his successibus elevatus, ad Theodoricum Regem Gothorum nuncios destinavit, et pacem et amicitiam postulavit. Quos Theodoricus benigne recipiens, annuit postulatis, et in signum veri amoris coniugem misit ei per Sallanum quemdam ex officio palatino cum adiectione armorum et munerum copiosa. Et recepta coniuge et muneribus, cœpit amplius superbire, et Sallanum muneribus honestatum remisit ad Theodoricum cum epistolis suæ laudis: qui cum ad Gallias rediisset, Theodoricum ab Eurico fratre suo reperiit interfectum. Huius tempore Aiax, natione Galata, effectus apostata, Regis auxilio sectæ se contulit Arianæ, et inventus est fidei catholicæ inimicus: qui de Gallia Gothorum adveniens, hoc virus pestiferum [g] genti Suevorum in Hispania propinavit; et multis deinde Suevorum Regibus in Ariana hæresi permanentibus, catholici persecutionem et pericula pertulerunt, donec regnavit [h] Theodomirus, qui prædicatione Martini Dumiensis Episcopi fidei catholicæ redonatus, eliminata spurcitia Ariana, Suevos restituit fidei uni-

(a) Compl. et Tol. *elevatus est, suspicatus.*

(b) Tol. *Carthaginem.*

(c) Compl. *insolere.*

(d) Compl. et Al. *De Masdra, et Franta, et aliis Regulis Suevorum.*

(e) Compl. *præfert.*

(f) Tol. *Luchum.*

(g) Tol. et Al. legunt: *genti Suevorum infudit. Regibus in Ariana hæresi.*

(h) Compl. hic et infra *Theodemirus.*

Digitized by Google

unitati. Hic Martinus, Dumiensis Episcopus, religione, doctrina, et fide præclarus, multa docuit, et firmavit in ecclesiasticis institutis, pro cuius memoria Ecclesia Gallæciæ adhuc gaudet. Regnavit autem Theodomirus annis X.

CAP. XIV.
De Miro, et fine regni Suevorum.

Post Theodomirum Mirus Princeps efficitur Suevorum, et regnavit annis tribus. Hic secundo regni sui anno Ruconibus movit guerram, et bellis attritos, opibus spoliavit. Et dum [a] Leovigildus Rex Gothorum Hermegildum filium suum propter fidem catholicam Hispali obsedisset, Mirus processit in auxilium Leovigildi, et Hermegildo capto, et interfecto, Mirus ibidem terminum vitæ clausit. Huic successit Euricus filius eius in regno, quem in adolescentia constitutum Andeca per tyrannidem regno privat, et coegit eum monachum fieri, et detonsum in monasterio inseravit. Sed quia malorum impietas non remanet impunita, protinus Rex Gothorum Leovigildus, ingressus Hispanias, bellum intulit provinciæ Suevorum, et Andecam devictum, regno privavit, et regnum eius in provinciam redegit Gothorum. Ipsum autem Andecam post regni honorem fecit tonderi, et presbyterii officio mancipari. Enim vero oportebat, ut quod Regi suo fecerat innocenti, ipse proditor congrua vicissitudine pateretur. Et sic Suevorum regnum obtentum à Gothis, expers gloriæ, hic finitur, quod duraverat CLXXVII. annis.

(a) Compl. ubique *Leovegildus.*

CAP. XV.
De Silinguis.

Explicatis regno et actibus Suevorum, me cogit materia, acta describere Silinguorum, quorum ratio cum Vandalis una fuit, nisi quod, illis in Africam transfretantibus, isti in Bætica remanserunt; ubi experti cædes et incursiones et pericula Romanorum, non evaserunt excidia Alanorum. Sed et Reges Gallæciæ Suevorum eos multis direptionibus subiecerunt, et Hispalis, eorum metropolis, interdum diruta, interdum invasa, numquam felicitate stabili potuit efflorere, donec sub Leovigildo Gothorum Principe siluit captivata, Règis et regni gloria viduata, et in Gothorum provinciam iam redacta. Et hic finem habuit principatus et potentia Silinguorum, quorum exterminium à Gothorum Rege Walia inchoavit, et per Leovigildum postea consummatum. Primus enim Gothorum Athaulphus Hispanias est ingressus, sed Barcinonæ interfectus est. Post ipsum Walia, qui Vandalos, et Suevos, Alanos, et Silinguos domuit, et prostravit, et in [b] singulis provinciis de Gothorum maioribus instituit Principes populorum; nec tamen ibi sedem regni voluit collocare. Theodoricus etiam Suevos suo domino subiugavit: et ex tunc cœperunt Gothi in Hispaniis dominari, et regni sedem à Gallia Gothica in Hispaniam transtulerunt.

(b) Tol. *Silinguis.*

EXPLICIT HUNNORUM, VANDALORUM, ALANORUM, SUEVORUM, ET SILINGUORUM HISTORIA.

Digitized by Google

RODERICI
ARCHIEPISCOPI TOLETANI
HISTORIA ARABUM,

INCIPIT PROLOGUS IN LIBRO ARABUM POST PRINCIPIUM MACHUMETI.

Quæ calamitatum [a] *hactenus Hispania dispendia sit perpessa, in superioribus, ut licuit, explicavi. Nunc de excidiis Arabum, quæ utinam sint postrema, à quibus nihil fuit in Hispaniis intentatum, finem imponere dignum duxi, si divina potentia velit de cetero à gladiatorum dissecationibus custodire, quæ iam à quingentis triginta duobus annis et ultra, repetito gladio dissecata, nec à filiis evasit viscerum sectionem:* [b] *immo quinque Regibus dispertita, ab eis et transfugis ad Sarracenos intestini vulneris supplicia non evasit. Verum divina clementia miserante, à tempore nobilis Aldefonsi, qui prope vilche Amiramomenimum cum Arabibus campestri prœlio effugavit, et Arabum gladius hebetatus, et Gothorum strenuitas restituta talionis semitas* [c] *aperuit Christianis; et sicut à principio Christianos incolas sub tributi onere coegerunt, sic et modo, restitutis munitionibus Principibus Christianis, degunt servitute solita sub tributo. Eorum itaque successiones et tempora volens posteris conservare, eorum exordium à Mahometi tempore inchoavi, qui eorum sectæ fuit conditor et inventor. De eius origine, prædicatione, et regno,* [d] *ex relatione fideli, et eorum scripturis, ad detegendam gentis illius versutiam et sævitiam, satis breviter* [e] *explicavi. Advertat autem lectoris studium, qualiter mentita revelatio versuti hominis Machumeti ex corde finxit virus pestiferum, quo libidinosas animas quasi nexibus colligavit: ut discant parvuli à fabulis abstinere,* [f] *et Adæ funiculis* [g] *colligari, et trahi vinculis caritatis.*

(a) Compl. et Tol. *acervus.*

(b) Tol. *nunc nostro quinque Regibus dispertita ab eis, et transfugit ad Sarracenos.*

(c) Tol. *apparuit.*

(d) Tol. non habet *ex relatione fideli.* Compl. *quæ.*

(e) Tol. *explicabo.*

(f) In Tol. deest *et.*

(g) Tol. *colligati.*

CAP. I.

De origine et exordio [h] *Machumeti.*

Anno Leovigildi Regis Gothorum nono, Æra DCI, [i] in villa quæ Hiatrib dicitur, prope Mecham, erat homo, Aly nomine, filius Abdelmutalib, et uxor eius Æmina, nomen patris Æminem [j] Bayab, et matris eius Halima: quæ concepit, et peperit filium quem vocavit Mahomath. Et cum Arabia et Africa inter fidem Catholicam, et hæresim Arianam, et perfidiam Iudaicam, et Idololatriam diversis studiis traheretur, Arabs prædictus Aly familia-

(h) Compl. ubique *Machometi.*

(i) Tol. *in villa quod Hiatrib dicitur.*

(j) Compl. *Haiab.*

liaritate cuiusdam Iudæi, qui erat geneaticus, inter fidem Catholicam et Iudæorum perfidiam fluctuabat. Cumque Æmina concepisset, facta est sterilitas magna per totam Arabiam, adeo ut, pane deficiente, herbis dumtaxat silvestribus vescerentur. Cum autem tempus partus Æminæ advenisset, Iudæus ille, ut erat geneaticus, captavit consistentiam planetarum, et horam nativitatis infantis. Aly autem in sanctam Ierusalem iverat ad orandum, et rediens, invenit filium suum natum: et quidquid ille geneaticus de infante perceperat, revelavit, et prædixit eum in regno et lege mirabiliter exaltandum. Aly autem apud Hiatrib post tempus modicum vitam finivit. Cum autem esset infans annorum quattuor, ut ipse mentitur, venerunt duo Angeli, et exciderunt cor eius, et extraxerunt inde coagulum sanguinis denigrati, quod postea nivis lavacro abluerunt, et ponderaverunt cor eius cum decem cordibus gentis suæ, post cum mille; et maioris ponderis est inventum: et unus Angelus dixit alteri. "Si cum omnibus Arabibus "in trutina poneretur, omnibus "prævaleret." Hæc mentitur in visione se à Gabriele Angelo audivisse. Cum autem esset annorum quinque, mater sua tradidit eum aviæ suæ Halimæ nutriendum.

CAP. II.

De instructione, et prima ostensione [a] *Machometi.*

(a) Tol. *Mahometis.*

Anno septimo mater sua recepit eum, et se transtulit ad propinquos; et post paucos dies ibi mortua fuit Æmina mater eius, et suscepit eum alia mulier, quæ Daymen dicebatur, et transtulit eum in Mecham. Octavo anno mortuus est Abdelmutalib avus eius, et recepit eum Abutalib patruus eius in curam: et iste tradidit eum prædicto geneatico instruendum, qui eum instruxit in naturalibus scientiis, et lege Catholica, et Iudaicæ perfidiæ documentis: unde et ipse postmodum aliqua de fide Catholica, aliqua de lege veteri in suæ sectæ subsidium usurpavit. Cum autem Mahomat esset annorum tredecim, Abutalib duxit eum in Ierusalem, eo quod templum sanctimoniæ erat ibi. Mahomat autem cum ad annos adolescentiæ pervenisset, et in doctrina novi testamenti ac veteris, et naturalis scientiæ profecisset, iterum fame Arabiam opprimente, ipse ad cuiusdam divitis viduæ, quæ Hadeya dicebatur, familiam se convertit, et circa operationes domesticas [b] industrius est inventus; et ea quæ vehiculi onere abducebat, reduci fenore sibi gratiam, et viduæ divitias cumulabat: et factus est in oculis viduæ gratiosus; adeo ut eum in filium adoptaret. Cum autem esset annorum viginti quinque, duxit uxorem quæ [c] Abdiga dicebatur. Demum etiam viduam quæ eum exhibuerat, superduxit, et procedente tempore, alias cumulavit; ita quod decem et octo uxorum libidine, immo adulterio fœdabatur. Prima autem causa suæ ostensionis in Arabia sic evenit. Ecclesia nobilis apud Mecham inundatione fuit penitus dissipata, in qua erant formæ argento, et auro, et pretiosis lapidibus deco-

(b) Tol. *industrior.*

(c) Compl. *Hadiga.*

ratæ: quam seniores Mechæ cupientes unanimiter reparare, navem Regis Ægypti Christiani, qui in Æthiopiam Ecclesiam cœperat ædificare, oneratam lignis, in Arabiæ litore acceperunt, et ex istis lignis deiectam Ecclesiam reparaverunt, quæ Alcahaba dicebatur. Et cum esset Ecclesia consummata, erat lapis niger in angulo apponendus (quem et hodie ob reverentiam Arabes osculantur); cumque maiores populi dissiderent, quis consummationis lapidem adaptaret, ultimo convenerunt, ut qui primus in porta quæ Bayssayba dicitur, appareret, ille lapidem collocaret. Accidit autem Mahomath per portam prius ceteris advenire, [a] et concesserunt ut ipse esset supradicti lapidis coaptator: et ipse extendens chlamydem, texit petram, et vocatis ad se quattuor de Coraxinis, tulerunt lapidem ad structuram, et ipse, ut cæmentarius, collocavit: et viderunt omnes, et miraculum reputarunt: et cum omnes crederent esse Prophetam, inquit quidam: "Cum tot seniores et viri probabiles in vestro concilio habeantur, miror, quare hunc adhuc iuvenem omnibus prætulistis." Et iurans, et interminans: "Hic sine dubio vos disperdet." E contrario alii resistebant, dicentes à diabolo sic locutum. Viri autem seniores et populus reparatam Ecclesiam iuxta dignitatem pristinam ornaverunt, et tunc Mahomath suasit eis, ut semper versus illam Ecclesiam adorarent. Erat autem Mahomath annorum triginta quinque. Post hæc Mahomath fecit moram per quinquennium apud Mecham, et ibi multis dissensionibus cum his qui erant de genere [b] Coraxinorum, et idola adorabant, frequentius concertabat, unum Deum tantummodo prædicans adorandum: sed quia illi potentia præeminebant, eum à Mecha in Hiatrib fugere compulerunt.

(a) Compl. *convenerunt.*

(b) Compl. et Tol. hic et infra *Corveni.*

CAP. III.

De prædicatione, et rebellione eiusdem.

Post quinque autem annos, cum esset annorum quadraginta, Mecham intravit, et ibi latuit per tres annos, nolens se ostendere Prophetam; et ibi mentitur sibi datum ab Angelo librum, qui dicitur Alcoranus: et quia adhuc Mecha pro maiori parte à Coraxinis idolorum cultoribus tenebatur, ipse, quasi humiliter cedens, in villam suam Hiatrib declinavit; et postea resumptis viribus, intravit in Mecham, et eos qui erant de genere Coraxinorum, et ei restiterant, vi et potentia captivavit, et quasi improperans, dixit eis: "Quid de vobis faciam?" At illi dixerunt: "Bene: quia estis largus, et curialis." Et ipse continuo dimisit eos, et deinceps humiliter subfuerunt. Tunc præcepit, ut in turribus, ubi consueverant campanæ pulsari, Sarracenus quispiam proclamaret: sicut et adhuc hodie proclamatur à cultoribus suæ sectæ. Præcepit etiam, ut in mense Ramadam ieiunarent triginta diebus, et aliis triginta diebus in mense qui dicitur Almoharram: et domum in qua ipse natus fuerat, fecerunt Mezquitam. Anno autem Imperatoris Heraclii septimo, Sisebuti Regis

gis Gothorum quinto, nativitatis suæ quadragesimo, Mahomath vidualibus divitiis inclitatus, et falso miraculo lapidis [a] à populo approbatus, cœpit grandia cogitare, et rebellia contra Romanorum imperium procurare, et clanculis suasionibus populos concitare, ostendens eis, qualiter servitutis amaritudine premerentur, et exinaniti censibus et tributis, paupertate continua vexarentur, et sola ignavia tenebantur, cum vi et numero possent repellere potentiam Romanorum.

(a) Compl. pluribus approbatus.

CAP. IIII.

De victoria Machometi contra Romanos.

Cumque [a] plurimis taliter suasisset, accidit, quod Heraclius Imperator mitteret nuntios pro tributis; sed Mahometh cum suis complicibus hoc prænoscens, eis occurrit, et negatis tributis, fultus audacia, interfecit: et sic assumptis viribus, interdum furtim, interdum publice, prout negotium exigebat, Syriam, Arabiam, et Mesopotamiam, fraude potius quam virtute, suo proposito inclinavit: et adeo civitates et oppida stimulavit, ut iugo servitutis abiecto, iam aperte inciperent rebellare. Eisdem diebus Heraclius somniavit, quod mures, è terra nascentes, sibi extrema vestium corrodebant; et tunc misit ampliorem exercitum cum Theodoro fratre suo: sed victi ab exercitu Machometi, ad Heraclium redierunt, ampliorem exercitum collecturi. Tunc Heraclius fratri suo Theodoro visionem murium revelavit, et restaurata multitudine bellatorum, Romanorum exercitus cum Theodoro ivit contra exercitum Machometi. Sed adeo invaluerat rebellium multitudo, quod Romanæ legiones, verentes à facie Machumeti, ad Gabbatam oppidum secesserunt, rebellium exercitu subsequente, ubi pugnæ periculo crebescente, succubuit exercitus Romanorum; et Theodoro interfecto, ceteri strage et gladio perierunt, præter paucissimos, qui fuga et latebris evaserunt: et ex tunc fuit iugum imperii Romanorum excussum [c] à cervice Sarracenorum.

(b) Compl. plurimos.

(c) Compl. cervicibus.

CAP. V.

De sublimatione Machometi in Regem, et de visionibus mendaciter excogitatis.

Et continuo, superba victoria elevati, Damascum adeunt, nobilissimam et regiam Syriæ civitatem: in qua, attendentes quod per eum adepti erant libertatem, eum in Principem elegerunt, et regni solium concesserunt. Quo adepto, verens Mahomath, ne de populis sibi subiectis, qui christianis legibus subiacebant, Romano Pontifici obedirent, et reconciliati, imperio adhærerent, legem statuit, [d] qua, quasi funiculis, peccatorum damnandas animas colligaret, cœpitque fabulis detestandis seducendas animas [e] mulcere. In eius secundo libro reperitur scriptum, quod Mahomath insidebat uni bestiæ, quæ dicitur [f] Aborac, et præponebat pedem posteriorem super pedem anteriorem, et talibus bestiis Prophetæ consueverant insidere: et in tali bestia Mahomath Ierusalem est profectus, et, ut ipse in libro suo mentitur, invenit ibi Abra-

(d) Compl. invenire, qua.

(e) Compl. demulcere.

(f) Compl. Alborach.

Abraham, Moysen, et [a] Iesum, et Prophetas alios ex antiquis, qui ibi convenerant ad orandum, et obtulerunt Machometo tria vasa, unum lacte, aliud vino, aliud plenum aqua: et audivit vocem cœlitus hoc dicentem: «Si vas aquæ acceperis, cum populo tuo submergeris: si vas vini, cum gente tua peribis: si vas lactis, tu cum populo tuo dirigeris.» Et ipse accipiens scyphum lactis, bibit ex eo. Tunc Gabriel Angelus dixit ei: «Nunc es directus, tu et omnis »qui crediderit legi tuæ.» Et oratione facta, cum [b] Hierosolymis recessisset, quod viderat, discipulis revelavit, et addidit, quæ sequuntur. «Cum vidi, inquit, Abraham, »Moysen, et Iesum, oculi corporis dormiebant, sed cordis oculi vigilabant, et vidi quod Abraham similis erat mihi: Moyses »autem erat rubeus, atque crispus: »Iesus autem, Mariæ filius, flavus »capillis, nec longus, nec parvus, »sed dispositione et statura media »coaptatus; et videbatur aqua ab »eius capite prosilire, verumtamen »aqua non erat ibi.» Addidit etiam in hoc libro: «Ad primum cœlum »Gabriel me perduxit, et me benigne Angeli in isto cœlo receperunt, [c] et cum risu et gaudio »respexerunt, dicentes communiter: Bene, bene: orantes mihi »prospera et iocunda. Unus solus »inter Angelos consistebat, qui nec »mihi oravit prospera, neque risit. »Cumque quæsissem ab Angelo, »quisnam esset, respondit: Nunquam risit hic Angelus, [d] nec ridebit: hic est Angelus custos »ignis. Et dixi Angelo: Est hic »Angelus qui à Deo dicitur nimis »dilectus? Et respondit Angelus: »Hic est ille. Tunc dixi ei: Præcipite, inquit, ut ostendat mihi »ignem. Iubente itaque Gabriele, »removit tegimen ollæ ignis: et »ignis ascendens, timui, ne omnia »quæcumque videram, concremaret; et rogavi Gabrielem, ut ignis »iterum tegeretur: et ignis rediit »in locum suum, et videbatur, ut »sol, cum occidit in occasu: et »tristis Angelus, ut prius fuerat, »texit ignem. Similiter, cum intravi cœlum, inveni hominem venerandum in sede sedentem, et »ostendebantur ei animæ omnium »mortuorum: et cum videbat animas quæ sibi non placebant, ab »eis intuitum avertebat, improperans eis: Peccatrix anima, ab infelici corpore exivisti. Et cum »[e] ostenderetur ei anima quæ placebat, applaudens, animæ inquiebat: O felix anima! à bono corpore exivisti. Et interrogavi Angelum de viro tantæ reverentiæ, »quisnam esset; et Angelus dixit »mihi: Adam est, qui bonis sui »generis congaudebat, et à malis »faciem avertebat, et pœnas peccantium ostendebat. Vidi etiam »in eodem cœlo, qui carnes pingues et optimas manducabant; et »alios qui, postpositis pinguibus, »de fœtidis comedebant. Cumque »quæsissem, isti homines quinam »essent, respondit Angelus: Primi sunt, qui uxoribus legitimis »adhæserunt: alii, qui legitimas non »curantes, fœdis commerciis [f] vetitis mulieribus se dederunt. Postea »duxit me Gabriel ad secundum »cœlum, et inveni ibi Iesum filium Mariæ, et Hyaya quem »nos Ioannem dicimus, filium Zacha-

(a) Al. hic et infra *Ieremiam.*

(b) Compl. *à Ierosolymis.*

(c) In Tol. deest *et.*

(d) Tol. non habet *nec ridebit: hic est Angelus.*

(e) Compl. *ostendebatur.*

(f) Al. *utentes.*

Digitized by Google

»chariæ, qui erant conſobrini. Po-
»ſtea Gabriel in cœlum tertium
»me induxit, et inveni hominem,
»cuius forma erat, ut plenæ lu-
»næ: et Gabriel dixit mihi: Hic
»est Ioseph, filius Iacob Patriarchæ.
»Postea duxit me in cœlum quar-
»tum, ubi inveni hominem vene-
»randum; et Gabriel dixit mihi:
»Hic est Aaroho, et erat ibi cum
»eo [a] Iduz, qui cœlum aſcendit.
»Post hæc duxit me Gabriel in
»quintum cœlum, et inveni ibi
»hominem ſenem et pulchrum; et
»dixit mihi: Hic est Aaron, filius
»Abrahæ. Postea duxit me in ſex-
»tum cœlum, et inveni ibi homi-
»nem rubeum et procerum; et di-
»xit mihi: Hic est Moyſes. Postea
»fecit me aſcendere in ſeptimum
»cœlum, et inveni ibi hominem
»canum, ſedentem in ſede aper-
»tæ domus, quæ à pluribus An-
»gelis habitabatur; et [b] intraverant
»in ea LXX. millia Angelorum,
»et non [c] redierunt usque ad diem
»iudicii: et Angelus dixit mihi:
»Hic est Abraham, pater noster.
»Post hæc introduxit me in para-
»diſum, et inveni ibi puellam for-
»moſam, quæ multum placuit in
»oculis meis, et interrogavi eam,
»cuia eſſet: quæ reſpondit: Hic
»ſervor Zayt, filio Hyarith: et cum
»deſcendiſſem de paradiſo, nun-
»ciavi hæc Zayt, filio Hyarith, qui
»de meis conſortibus unus erat.
»Et in omnibus cœlis, ad quos
»aſcenderam, interrogabant Angeli
»Gabrielem, et ipſe dicebat eis:
»Hic est Mahomath. Et interro-
»gabant cum gaudio: Est iam
»miſſus? et ipſe inquit: Iam est
»[d] miſſus. Et ipſi omnes orabant,
»ut Deus adderet mihi vitam, tam-
»quam fratri ſuo et amico. Post-
»quam autem tranſieram ſeptem
»cœlos, Gabriel me propoſuit an-
»te Deum, et mandavit mihi, ut
»quolibet die dicerem quinquagin-
»ta orationes. Ego autem conver-
»ſus ad Moyſen, amicum meum
»optimum, dixi ei, qualiter Deus
»mihi mandaverat, ut quolibet die
»dicerem quinquaginta orationes,
»ſed tot orationes graves eſſe ad
»dicendum, cum gens, converſa
»noviter, non poſſet tantum onus
»quotidie tolerare: et Moyſes, con-
»verſus ad Deum, obtinuit, ut de-
»cem orationes relaxarentur. Et
»iterum à me rogatus, obtinuit
»alias decem: et ſic paulatim de-
»ſcendens, omnes abſtulit, præter
»quinque. [e] Itaque quicumque quo-
»libet die quinque orationes dixe-
»rit, remunerabitur quaſi pro quin-
»quaginta." Mahomath autem, an-
no ætatis ſuæ quadrageſimo, apud
Mecham frequentius morabatur,
et ibidem prædicta omnia, et mul-
ta alia ridicula et nefanda, ſibi dicta
à Gabriele Angelo mentiebatur,
ut populos quos ad rebellionem
concitaverat, ſectæ ſuæ mortis fu-
niculis colligaret: et, ut virus ma-
litiæ ſuæ occultaret, prædicabat
omnibus unum Deum; Mecha au-
tem tenebatur cultu plurium ido-
lorum. Cognatio autem [f] Coraxi-
norum convenerunt in domum
Abutalib, qui erat patruus Macho-
meti, conquerentes de eo, quod
eorum legem, et Deos patrios abo-
leret; ſed quod ipſe et ipſi in ſuis
ritibus remanerent: et iam Maho-
math habebat aliquos de ſuis con-
ſanguineis conniventes.

(a) Compl. *Idris.*
(b) Compl. *intrant.*
(c) Compl. *redeunt.*
(d) Compl. *emiſſus.*
(e) Compl. *Ita quod quicumque quolibet die quinque orationes fecerit.*
(f) Compl. *Coraxi.*

CA-

CAP. VI.

De disceptatione legis cum Coraxinis, et morte eius.

Prædictus autem Abutalib convocavit Mahomath, et alios Coraxinos super lege et idolis querelantes, et dixit ei Abutalib: "Ecce isti habent aliqua adversum te." Mahomath autem respondit ei: "Sustine me modicum perorare." Tunc ille: "Non est, inquit, Deus alius præter unum: et recedite ab idolis, quæ hactenus coluistis." Tunc illi, manus manibus collidentes, indignati animis, responderunt: "Cur Deos nostros vis à patria extirpare?" Et dixerunt: "Iste homo à proposito non cessavit; [a] sed maneat in sua lege, et nos ritus patrios observemus." Et tunc ab invicem recesserunt. [b] Abutalib autem dixit Mahomath: "Bona videtur [c] ratio quam dixisti." Tunc Mahomath: "Dic, inquit, verbum quod prædicavi, et convertere ad legem meam." Abutalib autem respondit ei: "Libenter facerem; sed diceret genus nostrum, quod metu tui, et timore mortis talia proferebam: nec volo perdere gratiam propinquorum." Ex tunc Mahomat cœpit sectam suam publice prædicare, et ad rebellionem populos concitare, et aliquos seducebat, quia unum Deum tantummodo prædicabat; et mentiens Gabrielem Angelum ad se missum, quæ deceptis populis prædicabat, dicta sibi ab Angelo asserebat: et frequenter in contemplationem invisibilium se rapi simulans, quasi destitutus sensibus, se in terram, ut exanimem, prosternebat; et stulti populi cum Angelo loqui æstimabant. Demum autem, quasi restitutus spiritu, præcepta aliqua proferebat, quæ sub uno compacta capitulo [d] Zoara appellabat: et per tales Zoaras distinguitur liber eius, qui dicitur Alcoranus: in quo tot ignominiosas Zoaras prædicavit, quod puderet dicere, nedum sequi; quas tamen, viru diabolico debriati, et libidine dulcorati, infelices populi receperunt; et adhuc in sua perfidia permanent obstinati, nec legem vitæ et disciplinæ desinunt infestare. Mahomath itaque fraudibus, et incursibus, et infami doctrina corda gentium in sua pertinacia solidavit. Annis autem decem expletis, ex quo apud Damascum regni susceperat principatum, moritur, et sepultus est in inferno, Æra DCLXVI, anno Heraclii decimo septimo, et Suintilæ Regis Gothorum septimo.

(a) Tol. non habet *sed maneat in sua lege.*

(b) Compl. hic et alibi *Abutalip*; sed alibi habet *Abutalib.*

(c) Tol. *oratio.*

(d) Al. *Iskara* Al. *Zobara.*

CAP. VII.

De Abubacar, Omar, et Moabia, et eorum prœliis.

Mortuo Mahomath, Abubacar, eius gener, et contribulis, in regni solio subrogatur. Huius tempore Romani Persidem reliquerunt, quam Abubacar bellis indesinentibus occupavit, Æra DCLXIX, anno Heraclii vicesimo, anno Arabum decimo tertio. Et incipiente anno Arabum decimo quarto, mortuo Abubacar, Omar in solio regni Arabum collocatur, et decem annis regnavit. Hic fuit rigidus, et in prœliis valde constans. Hic obsedit Alexandriam in Ægypto, et captam, constituit sub tributo, et totam Ægyptum ditioni

ni suæ, et sectæ subdidit Machometi; et tam de partibus Orientis, quam de partibus Africanis, triumphum victoriæ reportavit. Et dum quadam die orationi instaret, fuit à quodam suo clientulo interfectus. Post mortem Omar, Autuman successit in regno, et regnavit annis XII. Hic [a] Libiti, Marmorichin, Pentapolim, Gazaniam, et Æthiopiam, quæ supra Ægyptum plagis adiacent [b] Sarracenorum, suæ sectæ, et suæ subdidit ditioni. Plurimas etiam civitates Persarum, quas Omar non potuerat obtinere, obtinuit, et posuit sub tributo: demum à suis est interfectus. Mortuo Autuman, Moabia qui et Maula, successit in regno anno XXXV. Arabum, et regnavit annis XXV; sed quinque annis (quia regnum eius [c] turbatio variavit) contra suos multa prœlia gessit. Post quinquennium suis sedatis, feliciter rexit regnum: sed adversus eum Constans Augustus, plus quam mille naves aggregans, infeliciter transfretavit. Cum enim bellatorum discrimina inchoassent, Moabia, præcedente quodam, Abdalla nomine, qui in exercitu Arabum principatum militiæ tunc tenebat, cœperunt acriter decertare: sed victus Augustus, vix cum paucis per [d] æquor aufugiens, læsus evasit, et plures de suis captivitate et gladio ceciderunt: et Moabiæ et Abdallæ nomen et gloria accreverunt. Abdalla autem volens victoriam ampliare, Tripolim Ægypti venit, et eam et Cidamis suæ victoriæ subiugavit: et post desolationes plurimas diversis patriis subiugatis, et multis provinciis domitis, et vastatis, et [e] captivis plurimis in fide receptis, Africam attentavit cum multis phalangibus bellatorum. Cumque ex adverso Comes Gregorius advenisset, utrimque fuit prœlium inchoatum; sed pars Afrorum morti et fugæ penitus derelicta, infeliciter est deleta: et sic omnis decor gloriæ Africanæ in Arabes est translatus. Abdalla itaque, spoliis et divitiis inclitus, cum suis cohortibus reversus est in Ægyptum. Moabia autem peragebat decimum regni annum: qui cum vidisset in Africa prospere sibi successisse, centum millia bellatorum in obsequium Izit filio suo dedit, ut cum eis Constantinopolim festinaret: qui illam adiens, paravit obsidionem, et per totum vernum tempus bellis indesinentibus infestavit; sed quia urbis magnificentia obsistebat, et fames et pestis laborem impugnantium fatigabat, urbe relicta, oppida plurima expugnarunt, et adiacentem patriam devastarunt: et onusti prædis et divitiis, post biennium Damascum, regiam urbem, redierunt. Postea autem partes Orientales bellis indesinentibus suæ sectæ et dominio subiecerunt, et expletis XXV. annis in regno, naturæ debitum solvit.

(a) Compl. *Libia.*

(b) Al. legit *Sarracenorum sectæ.*

(c) Tol. *turbatum.*

(d) Al. *equor.*

(e) Al. *catervis plurimis in fide receptis.*

CAP. VIII.

De Izit, et Maula, et Abdelmelic filio eius, et victoriis eorum.

Anno imperii Arabum LXI, [f] Izit, natus Moabiæ, obtinuit patris regnum, et regnavit iucundissime tribus annis. Hic subdidit sectæ suæ vicinas undique nationes, eo quod cunctis gratissimus habebatur: numquam enim,

(f) Tol. *Ucit.*

Ii ut

Digitized by Google

ut moris est hominum, regalis faſtigii gloriam appetivit; sed [a] curialiter cum omnibus se habebat, et communiter omnibus [b] convivebat: et expleto regni triennio, vitam finivit, et reliquit Maulam filium successorem, anno imperii Arabum [c] LXI. Hic patriis moribus similis, cum ad regni faſtigium pervenisset, tertiam partem tributi omnibus condonavit: qui, anno dimidio in regno expleto, vitam finivit. Post [d] eius mortem exercitus Arabum per quattuor fere annos bifarie est divisus, et innumerabiles cædes Arabibus provenerunt: alii enim Maroan, alii Abdallam sequebantur. Sed Maroan Constantino Cæsari mille solidos auri probati, et variam supellectilem annis singulis impendebat, ut ei adiutor fieret, aut saltem non impediret; et quæ Arabes à Romanis evicerant, fuit præteritorum temporum captivitas relaxata. Hoc tempore Ervigius præficitur regno Gothorum. Cumque inter Maroan [e] incidisset et Abdallam longa concertatio, tandem Abdalla, qui fuerat princeps militiæ regis Moabiæ, et multis divitiis, quas ab Africa tulerat, abundaret, eiecto Maroan, solus obtinuit principatum, anno imperii Arabum LXVII, et quattuor annis regnavit. Post quos Abdelmelic, iunioris Maulæ filius, contra Abdallam Arabum regnum [f] intentat, et favore patrum ad successionem debitam elevatur, anno imperii Arabum LXX: regnavit annis XXI. Hic Abdallam, æmulum suum, persequens, apud Mecham Abrahæ domum, ut ipsi autumant, quæ est inter Archas et Carram Mesopotamiæ, interfecit: poſt quod sapientissime bella civilia compressit. Huius anno quinto ad regnum Gothorum Egica sublimatur, et iterum eius decimo sexto anno Vitiza in regno substituitur Ægicæ patri suo. Abdelmelic autem, consummatis in regno XXI. annis, vitam finivit.

(a) Al. *civiliter.*

(b) Tol. *connivebat.*

(c) Compl. et Tol. *LXII.*

(d) Compl. *cuius.*

(e) Compl. *et Abdallam longa concertatio incidisset.*

(f) Compl. *retentat.*

CAP. IX.
De Ulit.

Anno autem imperii Arabum XCI, Ulit, eius filius, ad regnum Arabum sublimatur. Huius quinto anno Rodericus, seditionibus procuratis, regnum Gothorum invasit. Ulit autem, per quattuor annos bella peragens, imperium Arabum mirabiliter dilatavit. Erat enim vir magnæ prudentiæ, et in disponendis exercitibus valde cautus: et quia futurus erat virga furoris domini in populos Hispaniæ pestilentes, divino auxilio ferebatur, ut vicinas gentes suo imperio subiugaret; Romaniamque et multas provincias Romanorum vastatione assidua conculcavit. Insulas etiam et fines Indiæ domuit, devastando civitates plurimas, oppida, et castella obsedit, et occupavit. In Libyæ anfractibus omnem [g] Mauritaniam subiugavit. In occiduis partibus regnum Gothorum, antiqua soliditate firmatum, obtinuit, et afflixit: quod à tempore Leovegildi per annos CXL. pace continua fuit lætum. Hic per ducem exercitus sui Muzam Hispanias domuit, et regni abstulit dignitatem, et constituit [h] vectigalia. Anno imperii Ulit quarto, Muza Abennocayr, princeps militiæ Ulit Re-

(g) Al. *Maritaniam.*

(h) Compl. *vectigales.*

Digitized by Google

Regis, misit Taric[a] Abezarca cum exercitu citra mare, qui et Rodericum, ultimum Regem Gothorum, bello fugavit, et Hispanias subiugavit. Demum veniens in Hispaniam Muza, civitates plurimas occupavit, et infinitas divitias congregavit, inter quas mensam lapideam, coloris viridis, immensæ magnitudinis, adinvenit, quæ habebat CCCLXV. pedes, et mensa et pedes ex uno lapide erant. Hæc mensa dicitur inventa in villa quadam, quæ Arabice dicitur[b] Medina Almeyda, latine autem interpretatur civitas mensæ: et erat iuxta montem qui adhuc hodie dicitur[c] Gebelculeman, et imminet burgo Sancti Iusti. Hanc Taric cum multis aliis divitiis dedit Muzæ. Muza itaque, Taric, et Mogeyt Hispanias devastantibus, præcepto[d] Ulit ab Hispaniis revocantur. Cumque oporteret eos ad edictum Principis festinare, Muza dimisit filium suum Abdulariz Principem citra mare, qui apud Hispalim constituit sedem suam: et fertur uxorem Regis Roderici, nomine Egilonem, sibi in coniugem assumpsisse; et ab uxore suasus, more Regum Gothorum sibi imposuit diadema: unde et Arabes, Christianum putantes, consilio[e] Ayubabenhalib, dum in oratione persisteret, occiderunt; regnaverat autem tribus annis, et Ayub, eo quod erat in secta Machumeti prudentissimus, in regni solio subrogarunt: et ab isto dicitur Calatayub fuisse ædificata: et iste curiam Arabum ab Hispali transtulit, et Cordubæ instauravit.

(a) Compl. *Abenzarca.*

(b) Compl. *Medinat Almeyda.*

(c) Compl Gebelzuleman.

(d) Compl. hic et infra *Walit*, sed supra *Ulit.*

(e) Compl. *Ayubabenhabib.*

CAP. X.

De morte Muzæ, et Ulit, et regno Zuleman, et morte eius.

Muza autem cum Taric et Mogeyt, ducens secum infinitam pecuniam, et ex Christianis triginta millia captivorum, et mensam viridem, et plurimos lapides pretiosos, pervenit in Syriam ad Regem, ubi Ulit tunc temporis residebat: sed Taric qui odium conceperat contra Muzam, prævenit Muzam, et se Regis conspectui præsentavit, accusans Muzam, eo quod de divitiis[f] Hispaniarum plurima occultarat, et modica deferebat. Cumque Muza se Regis conspectui præsentasset, male receptus, cum ignominia est eiectus, privatus potentia et honore. Demum condemnatus in mille millibus, et in decies centum millibus solidorum, et dolore vario circumseptus, vitam finivit anno Arabum XCVII. Et quia Ayub, de quo diximus, Muzæ consanguinitate aliqua attinebat, Amiramomeni fecit eum à regno Hispaniæ removeri, et Alohor, filium Abderramen, in regno Hispaniæ subrogavit, qui duos annos et novem menses in regno explevit. Ulit autem, omnia prospere gerens, receptis copiis[g] immensarum gentium, et divitiis quas gens misera vomuerat Hispanorum, vitæ termino consummato, cum regnasset annis XI, vitam finivit. Mortuo Ulit, Zuleman frater eius succesit in regno Arabum anno XCVIII, et tribus annis regnavit. Hic, misso exercitu Arabum,[h] Romaniam graviter devastavit.[i] Pergamum, antiquissimam et florentissimam minoris Asiæ

(f) Tol. *Hispali plurima occultaret, et modica differebat.*

(g) Compl. *universarum.*

(h) Compl. hic et alibi *Romaneam.*

(i) Al. *Pergramum.*

Asiæ civitatem, ultrici incendio concremavit. Misit et Alohor, quem Hispaniæ præfecerat, ut Narbonensem Galliam devastaret, et citeriorem Hispaniam in qua Christiani aliqui rebellaverant, subiugaret, qui et prædictam Galliam, et utramque Hispaniam, vi, fraude, et deditione receptans, vectigali subdidit servituti. Zuleman autem, filius Abdelmelic, nepotes suos, filios Ulit, scilicet, Omar et Izit, sibi ad regni regimen sociavit. Inter hæc Alohor Cordubam retentavit, et Christianos ibidem degentes, emunctos usque ad exinanitionem extremæ virtutis, tyrannide coarctavit. Arabes autem qui fuerant primæ vastationi, carceris ergastulo, et ciliciorum asperitate, et fame, et inedia maceravit, adeo ut vermes, sive pediculi in ciliciis scaturirent, et quæstionibus [(a)] eos afflixit, ut absconditos thesauros revelarent. Hoc tempore eclipsis [(b)] solis ab hora sexta usque ad horam nonam duravit, et stellæ ut in tenebris apparebant. Verum quia Izit ob sanctimoniam suæ sectæ ab omnibus amabatur, et sanctissimus habebatur, Omar, frater ipsius, eum in tutelam regni adscivit. Omar autem, benignitate nimia præditus, à prœliis, quantum poterat, abstinebat. Tantæ enim dulcedinis et patientiæ fuit in regno, ut tantus honor ei exhiberetur, et tantæ laudis præconio effloreret, quod non solum à suis, sed et ab exteris præ cunctis Principibus laudaretur. Tanta [(c)] enim sanctimonia ei adscribitur, quanta numquam ulli Arabum fama veridica recognovit: qui et Princeps paucorum dierum vitam finivit.

CAP. XI.

De Izit, et Izit, et obsidione Tolosæ, et principatu Ambizæ.

Eo mortuo, Izit regni gubernacula cepit solus. Tunc quidam alius, Izit nomine, qui de genere suo erat, et apud Persas tutelam gerebat, rebellionem molitus, bella civilia procuravit: sed Izit misit quemdam, Muzillima nomine, cum infinito exercitu, ut rebellionis iniuriam edomaret; et in campis Babylonicis supra Tigrim turba rebellantium dilabitur fuga magna, et actor sceleris, comprehensus, veniæ reservatur. Tunc etiam in Occidentis partibus multa illi prospera provenerunt; nam Zama qui tribus annis ducatum tenuit, in Hispaniis proprio stilo descripsit vectigalia Hispanorum, et quod prius indivisum ab Arabibus [(d)] habebatur, ipse partem reliquit militibus dividendam, partem fisco de mobilibus et immobilibus assignavit, et Galliam Narbonensem divisione simili ordinavit, et Francorum gentem bellis frequentibus stimulavit, et Narbonæ ob tuitionem patriæ [(e)] electos milites collocavit. Ipse autem bellis plurimis Tolosam veniens, obsidionis ambitu circumcinxit, et cœpit eam variis machinis impugnare. Gens autem Francorum cum Eudone, exercitus sui duce, in obsessorum auxilium supervenit. Cumque uterque exercitus cœpisset acriter dimicare, Franci Zamam, ducem Arabum, cum parte multitudinis peremerunt: reliqui, obsidione relicta, se fugæ patrocinio commiserunt, et qui evaserant, Abderramen

(a) Compl. eo afflixit.

(b) In Tol. deest solis.

(c) Tol. etiam.

(d) Tol. habebat.

(e) Al. electorum.

men super se Principem elegerunt, donec principalia iussa venirent. [a] Per idem tempus Frodoarius Accitanæ sedis Episcopus, et Urbanus Toletanæ sedis, Veteranus, Melodius, et Evancius eiusdem Toletanæ sedis Archidiaconus, doctrina, sapientia, sanctitate, in fide, spe, et caritate, ad confirmandam captivam Dei Ecclesiam, clari habentur. Izit autem misit præfectum in Hispanias [b] Adham, filium Melic, et præcepit ei, ut civitates, oppida, et castella, quas primum Arabes expugnaverant, subiiceret sub tributo, videlicet, ut quintam partem omnium proventuum fisco regio solverent annuatim, quæ autem se sponte reddiderant, [c] decimam tantum solverent pro tributo; et hi et illi in suis possessionibus liberi remanerent. Iste Adham pontem Cordubæ fecit fieri anno imperii Arabum CII. Adham, cum duobus annis et dimidio Hispaniis præfuisset, et à vastatione Tirasonæ rediret, fuit à suis [d] proditionaliter interfectus; et Izit Amiramomeni præfecit Hispaniæ quemdam qui dicebatur Ambiza, anno regni Arabum CIII, et quattuor annis et dimidio principatum Hispaniæ apte rexit. Gentes Francorum, prœlia meditando, sæpius intentavit, et per directos Satrapas insequendo, infeliciter decertavit: nihilominus tamen furtivis obreptionibus nonnullas eorum civitates et oppida stimulavit, et pro huiusmodi infestationibus Gallicorum super Christianis vectigalia duplicavit. Cumque honorum fascibus in Hispaniis triumpharet, postremo per se expeditionem ingeminat contra Francos, et [e] incursionem in eos, assumpta audacia, meditatur. Sed cum cœpisset cum exercitu proficisci, morte [f] propera vitam finivit. Ipse autem Ambiza, in ultimo constitutus, quemdam qui Odra dicebatur, Consulem patriæ sibi commissæ, et principem exercitus repedantis, voluntate propria ordinavit. Sed Arabes in continenti [g] Amiramomeno Ambizæ obitum nunciarunt, et [b] Odræ pariter successionem. Izit autem in continenti misit eis quemdam, qui [i] Gabye dicebatur, et erat filius Zulemæ, anno regni Arabum CVII: et fuit terribilis potestator, et regnavit duobus annis, et dimidio: homo acris ingenii, crudelis dominii; tamen iustitiæ intendebat: nam Arabes, sive Mauros, qui res pacificas abstulerant Christianis, coegit debite restaurare.

(a) Tol. *Post.*

(b) Compl. et Al. *Azam* hic et infra.

(c) Tol. *decimum.*

(d) Compl. et Tol. *perditionaliter.*

(e) Compl. *incursationem.*

(f) Compl. *propria.*

(g) Al *Amiramomenino.*

(g) Tol. *Odrem.*

(h) Compl. *Hyabie.*

CAP. XII.
De regno Hyscam.

Huius temporibus Izit, quarto regni sui anno completo, vitam finivit, et fratrem proprium, Hyscam nomine, instituit successorem, tali pacto, ut filius eius proprii seminis, Abulit nomine, fratri succederet in honorem. Hyscam autem in suæ primordio potestatis, anno regni Arabum CVII, satis modestum et pacificum se ostendit; et regnavit annis XXI: et in partibus Orientis, ac Romania prospere multa gessit, non personaliter, sed per duces terra et pelago destinatos. In Occidentis partibus nil gessit præclarum. Demum tanta cupiditate fuit illectus, ut de nul-

nullo, nisi de collectione pecuniæ cogitaret; adeo ut omnes Reges qui eum præcesserant, præcelleret in divitiis congregatis:[a] unde quia emunctionis iniurias non poterant tolerare, multæ provinciæ, sibi subditæ, vota sua ab eius [b] proposito fere per annos quattuor retraxerunt, strage plurima subsequente; nec discessum huiusmodi potuit reformare. Provinciæ autem, eius dominio subditæ, et secta Mahometica inquinatæ, dignum est, ut propriis nominibus exprimantur. Videlicet, Iconia, cuius metropolis Iconium: Lystria, cuius metropolis Lystris: Alapia, cuius metropolis civitas eiusdem nominis: Chaldæa, cuius metropolis Babylon destructa: Assyria, cuius metropolis Ninive: [c] Media, cuius metropolis Ecbatanis: Hyrcania, cuius metropolis Anthiolos: Persis, cuius metropolis Susa: Mesopotamia, cuius metropolis Aram, sive Carra: Syria superior, cuius metropolis Damascus: Cœles Syria, sive Phœnicia, cuius metropolis Tyrus: Syria inferior, cuius metropolis Antiochia: Iudæa, cuius metropolis Ierusalem: Ægyptus, cuius metropolis Alexandria: Arabia maior, cuius metropolis Baldac: Æthiopia, cuius metropolis Nadaver: Africa, cuius metropolis Carthago: Hispania, cuius metropolis Toletum. Has omnes provincias subiugavit secta et gladius Mahumeti. Aliquandò etiam Siciliam, cuius metropolis Panormum, et Calabriam, cuius antiqua metropolis Rhegium, et partem Appuliæ, et Galliam Gothicam, cuius metropolis Narbona, et Vasconias, cuius metropolis Auxis, et Burdegala, suæ potentiæ subiugavit. Anno itaque regni Arabum CXI, Hyscam vero sexto, suscepit regnum Arabum in Hispaniis [d] Odoyfa, Alcayci auctoritate à duce Africano recepta. Hic fuit vir levitate plenus, et vacuus gravitate; præ paucitate autem temporis nil dignum memoria legitur peregisse. Isto à regno repulso, Hyscam [e] Amiramomeninus Hyemen filium Abinazæ ad regimen Hispaniæ destinavit anno regni Arabum CXI, Hyscam vero sexto. Hic quinque mensibus Hispanias gubernavit, post quos vitam finivit; et missus fuit alius, Autuman nomine. Hic per quattuor menses rexit terram. Post quem Hyscam substituit alium, nomine Alhaytam, filium [f] Obyt, qui veniens in Hispaniam, sigillum et auctoritatem Principis, quam ferebat, patenter et strenue demonstravit: et per decem menses turbidus terram rexit: et intellexit aliquos de Arabibus in depositione eius colloquio clandestino conspirare; unde et eos capiens, conspirationis propositum flagellis [g] extorsit. Demum iussus ab æmulis transmarinis, quos pœnis afflixerat, capitibus detruncavit. Inter quos Zath Sarracenum, sanguine nobilem, facundia clarum, diversis rebus et divitiis opulentum, pœna afflictum, flagris illusum, colaphis cæsum, inhumaniter flagellavit.

CAP. XIII.

De Zath, et Abdalla, et Abderramen, et eius victoriis.

Zath autem, manus eius evadens, ad petitionem gentis eorum quorum

(a) Tol. *unum.*

(b) Tol. *propositio.*

(c) Tol. et Al. *Medea.*

(d) Compl. *Odoyfa.*

(e) Tol. *Amiramomeni.*

(f) Compl. *Obeyt.*

(g) Tol. *exterruit.*

Digitized by Google

rum sanguinem effuderat inhumane, Amiramomeni se conspectibus præsentavit: et cum eo [a] Manmen mittitur Sarracenus cum relatione auctoritatis absconsa, ut absque cunctatione aliqua Abderramen, [b] Alhaytam eiecto, ad regni regimen sublevetur. Sed cum Manmen Cordubam pervenisset, [c] Abderramen non potuit invenire, et statim Manmen Alhaytam captum carceri mancipavit: nec mora fortiter flagellatum, turpiter iudicatum, capite decalvatum, post terga manibus colligatum, catenis ferreis alligatum, ab asino deportatum, per civitatem attractum, tantis ludibriis reservatum, iterum carcerali custodiæ deputavit, et ibi vitam finivit. Post quem regnavit Mahomath Avenabdalla duobus mensibus: quibus completis, Abderramen invenitur. Anno imperii Arabum CXIII, Hyscam autem nono, Abderramen, vir belliger, ad potestatem eligitur Hispanorum, et regnavit fere tribus annis. Cumque de animositate et gloria superbiret, unus ex Mauris, [d] Munniz nomine, audiens suos temeritate iudicum indebite aggravari, pacem cum Francis illico procuravit, et rebellionem adversus Arabes [e] præparavit: et cum esset in prœliis expeditus, multi eius desiderio paruerunt; unde et fuit status palatii conturbatus: et non multis diebus interpositis, Abderramen expeditionem agitans, rebellem insequitur conturbatus, et in Cerritaniæ oppido conclusit obsessum. Hic [f] multorum Christianorum effudit sanguinem innocentem, et Anabadum illustrem Episcopum, virum floridæ iuventutis, incendio concremavit; et sic Sanctorum sanguine crapulatus, siti meruit laborare. Nam quamvis oppidum Cerritaniæ [g] affluentibus aquis rigaretur, Munniz undique circumclusus, sitis ardore præventus, non invenit quo aufugeret moriturus; sed ut manus evaderet persequentium, desperatam animam morti offert, et dum per anfractus rupium conaretur [h] aufugere, manus persequentium non aufugit: nam dum in scissuris petrarum latebras quæreret, præcipitio animam exhalavit, ne vivus odioso Principi traderetur. Nuper etiam Eudo, præpositus Gallicorum, huic Munniz filiam suam, causa fœderis, in coniugio copulavit, et ad suos libitus tradidit inclinandam ob persecutionem Arabum differendam, quæ simul cum oppido Cerritaniæ fuit capta. [i] Viri autem exercitus caput Munniz, præcipitio iam collisum, cæde secunda detruncant, et cum filia Eudonis Regi suo [j] læti præsentant. Abderramen autem, de rebellium interitu iocundatus, uxorem eius, cum esset pulcherrima, summo Regi trans maria honorifice destinavit. Tunc Abderramen, victoriæ gloriam prosequi non desistens, cum vidisset terram sua multitudine esse repletam, fretosa dissecans, et montana præcalcans, Rhodanum etiam dissulcavit. [k] Verum cum Arelatum in multitudine exercitus obsedisset, [l] Francorum exercitus supervenit, et belli vicissitudine inchoata, dum utrimque plurimi cecidissent, inferioris fortunæ Galli ci sunt inventi; nam fugati, periculo se [m] voventes, sequaci victo-

(a) Tol. *Maranem.*

(b) Compl. *Alcaytam*, infra *Aleytam.*

(c) Compl. *Abderrama non potuit continuo inveniri.*

(d) Compl. ubique *Munnux.*

(e) Tol. *procuravit.*

(f) Compl. *multum.*

(g) Al. *affluentis aquæ abundantia regeritur.* Ita Compl. sed legit *rigaretur.*

(h) Compl. *effugere.*

(i) Al. *Uni autem.*

(j) Tol. *læto præsentatur.*

(k) Compl. *ubi cum.*

(l) Tol. non habet *Francorum exercitus supervenit, et belli vicissitudine inchoata, dum utrimque plurimi cecidissent.*

(m) Tol. *noventes.*

ctoria sunt præventi : quorum cadavera vorax Rhodanus occultavit, et terra suscipiens, revelavit; sed et eorum tumuli adhuc hodie in Arelatensi cæmeterio ostenduntur.

CAP. XIIII.

De morte Abderramen, et fuga suorum, et Carolo Martello.

Abderramen autem, lætus victoria, elatus potentia, ratus est Francorum patrias devastare. Cumque amnes [a] Garonæ et Dordoniæ pertransisset, Eudonem, de quo diximus, invenit ad prœlium præparatum : sed infelicitate præterita comitatus, in fugam dilabitur fugitivus; et tot ibi de eius exercitu ceciderunt, quod eius numerus humanæ scientiæ occultatur. Sed cum Deus concluserit ostiis mare, et ei dixerit, hucusque venies, et undas fluctuum hic confringes, Abderramen non à Deo, sed à sua potentia æstimans provenire, proposuit interiorem Galliam penetrare; et Eudonem ducem persequi non desistens, per [b] Petragoniam, et Sanctoniam, et Pictaviam civitates, oppida, et Ecclesias devastando, et igne continuo consumendo, et Turonis civitatem, Ecclesiam, et palatia vastatione et incendio simili diruit, et consumpsit. Eudo autem, de quo diximus, ad Consulem Franciæ et Germaniæ, nomine Carolum, virum belligerum, et rei militaris expertum, fugit, infelicitatis Francorum excidia relaturus. Carolus autem, dictus Martellus, Germanos et Gepidas secum ducens, cum Francis qui remanserant, Abderramen se obtulit [c] devastanti. Cumque per septem dies bellis particularibus exercitus sese impeterent, demum dispositis aciebus, generali prœlio dimicantes, alternis cædibus se læserunt : sed gens Austriæ, membrorum præeminentia valida, et gens Germana, corde et corpore præstantissima, quasi in ictu oculi, manu ferrea et pectore [d] arduo Arabes extinxerunt, et ipsum gladio peremerunt; sicque nocte prœlium dirimente, ad castra sua exercitus redierunt. Mane autem diluculo apparente, viderunt Germani Arabum tentoria, ut heri fuerant ordinata, et putaverunt Arabes velle prœlium restaurare; et cum exploratorum officio vacua percepissent, [e] iverunt ad spolia et [f] manubia dividenda : et verentes, ne Arabes forte in stratis vel semitis insidias procurarent, Germani et Franci in patrias redierunt. Arabes autem qui evaserant, per compendia ad Galliam Gothicam sunt reversi.

(a) Compl. Gorgoniæ.

(b) Compl. Petragoricam.

(c) Tol. devastantis.

(d) Compl. ardua.

(e) Tol. ruerunt.

(f) Compl. manubria.

CAP. XV.

De Abdelmelich, et Ocha.

Anno Arabum CXVI, Hyscam Amiramomeni misit quemdam, Abdelmelich nomine, de nobili genere, qui dum in Hispaniam pervenisset, post tot clades et pericula invenit eam opulentiæ non oblitam, et bonis omnibus abundantem, et quasi malogranatum augustalibus deliciis efflorentem. Ipse autem quattuor annis regnans, qui dispensator esse debuerat, inventus est dissipator, discolus, et petulans; et prosperitatem patriæ reputans [g] inopiam, flagrantis petulantiæ malitiam pro-

(g) Compl. inopinam.

pa-

Digitized by Google

palavit, et patriæ iudices blandiendo, pro iure iniurias, pro pace angarias, pro regimine nocua cœpit in Hispaniis exercere, ut redivivæ plagæ angustias [a] temperatas mordaci tyrannide renovaret; nec aliquid utile, aliquid strenuum exercuit in patriæ vastatores. Unde cum relationem summi Principis accepisset, ut Francorum insultibus obviaret, volens iuga Pyrenæica penetrare, multis suorum perditis, in planis Celtiberiæ refugus se recepit. Vox enim Christianorum, quæ ad aures domini ascendebat, contra tyrannum divini iudicii sententiam impetravit: moxque Amiramomeni removetur [b] iussu edicto, et successor ei mittitur Aucupa, sive Ocha, anno Arabum CXIX, Hyscam vero anno XV, et quinque annis regnavit. Hic potestate præcelsa, genealogia, et legis suæ custodia ab omnibus timebatur, et Abdelmelich qui ante eum regnaverat, vinculis alligavit, iudices et præpositos quos ille instituerat, condemnavit. Sectæ suæ cæremonias cogebat Arabes exacte servare, et tributa ardue exigebat. Fiscum diversis occasionibus augmentavit: perversos Hispaniæ, et diversis vitiis implicatos, ratibus impositos, coegit ab Hispania exulare: neminem non per justitiam legis propriæ condemnavit. Expeditionem Francorum cum multitudine exercitus attentavit. Deinde ad Cæsaraugustam classe pervenit, ubi recepit epistolas à partibus Africanis, quod Mauri Hispaniæ ei resistere intentabant: quibus perlectis, quanta potuit velocitate, Cordubam remeavit, et in [c] transductivis promontoriis se se recepit, ibique naves ab Africa præstolatur: quibus receptis, in Africam transfretavit, et assumptis auxiliis, continuo cisfretavit, et contradictores bifarios, et rebelles quos reperit, interfecit: sicque omnia disponendo, sedi propriæ inclitus redonatur: qui post paululum, peracto quinquennio, infirmitate correptus, Abdelmelich quem captum tenebat, consensu omnium restituit in regni sedem: infirmitate eius vitalia penetrante, vitam finivit. Et regnavit secundo Abdelmelich, anno Arabum CXXIIII, Hyscam XX.

(a) Tol. *reparatas.*

(b) In Compl. deest *iussu.*

(c) Compl. *transductinis.*

CAP. XVI.

De insolentiis Hyscam, et infelicitate ejus, et de Belgi, et morte Abdelmelich.

Igitur Hyscam [d] iniquitatem et rabiem diu conceptam, et cupiditatis termino relaxato, cœpit in suos plus solito debacchari, et insolentius se habere; unde et gentes, suæ subditæ potestati, in bellum prosiliunt intestinum: nam et illa vasta solitudo, unde Arabia oritur, et occidentalis plaga, et ea quæ ad meridiem extat zona, impietatem iudicum non ferentes, adinvicem colligati, á suis cervicibus iugum Arabicum excusserunt. Sed ubi rumor ad aures Hyscam pervenit, misit Culthum cum centum millibus bellatorum, quem præfecit exercitui Orientis; cum quo veniens, in Africam se recepit, et definito consilio statuerunt, ut Maurorum patrias discursando, et gladio feriendo, ad Tingitanum pelagus properarent: sed ut Maurorum rebellio hoc percepit, pan-

(d) Compl. *iniquitatis rabiem.*

Digitized by Google

nis circumpendentibus dumtaxat pudendis obtectis, nudi prosiliunt à montanis, nigri specie, crispi crine, albi dentes. Cumque ad fluvium qui Mafan dicitur, advenissent, utroque exercitu ex opposito collocato, Mauri tætrum colorem equis pulchrioribus venustantes, et albis dentibus subridendo, adversi exercitus multitudinem deterrebant: unde et pars (a) Culthum, et Arabici equites, et equi Ægyptii cum sua et ascensorum (b) internecione subito terga vertunt: et dum per devia et fretosa cursitant, transfretando absque retinaculo, ultra reparationem virium multitudo illa deperiit in eremi vastitate: sicque omnis illa collectio Orientis et Occidentis, per fugam dilapsa, undique dissipatur, dum dux exercitus, (c) Culthus nomine, cum sociis territis iugulatur, et pars una fugientium persequentium gladio prævenitur. Et pars alia vagabunda, per viam qua venerat, redire cogitans, trucidatur. Tertia pars, quo devenerit, ignoratur. Exercitus itaque rebellantium habebat super se ducem Belgi (d) Abenben, et tribus annis regnavit, homo magni generis, et armis exercitatus. Iste, proh dolor! in Hispanias cisfretavit. Cumque præsensisset Abdelmelich de quo dixeram, ivit ad portum, ut portum navibus impediret: sed ubi Mauri Hispaniæ cognoverunt, Belgi volentes auxiliari contra Abdelmelich, ad prœlium convenerunt, et in tres partes divisi, unam mittunt contra Toletum, aliam Cordubam, ut Abdelmelich interficerent in eadem. Tertiam ad portum dirigunt (e) Septitanum, ut reciperent navigantes, quos Belgi in Hispaniam destinabat, vel si forte de Arabibus qui è prœlio evaserant, advenirent, in eos acriter desævirent. Sed Abdelmelich contra procedens, partem illam quæ Toletum per XXVII. dies obsederat, extinctivo gladio dissecavit: aliam partem per Almuzaor Arabem, licet cum magna exercitus internecione, ense belligero refrenavit; et pars ista ad partem aliam declinavit: (f) tertiam partem quæ ad portum iverat, simili excidio dissipavit. Tunc Abdelmelich de tantis successibus gloriosus, epistolari alloquio Belgi admonuit ut in pristina insula se reciperet. Belgi autem, audiens indignanter, misit Abderramen principem militiæ, ut coerceat obsistentem: qui Cordubam veniens, penetrat civitatem, et Abdelmelich captum, gravibus iudiciis, et sudibus arundinum cruciatum, demum gladio interfecit; et tanta in Oriente et Occidente ab utrisque sunt prœlia peracta, quod vix lingua sufficit enarrare.

(a) Tol. *Culdam.*

(b) Tol. *intentione.*

(c) Tol. *Cultum.*

(d) Compl. *Abenberz.*

(e) Tol. *Sepitanum.*

(f) Tol. legit *quæ ad portum iverat: tertiam partem simili excidio dissipavit.*

CAP. XVII.

De Alulit Pulchro, et Albulcatar, et Thobam.

Anno Arabum CXXV, Africani et Arabes concorditer consenserunt, ut Alulit Pulcher, filius Izith, sobrinus Hyscam, in eius solio locaretur: qui regnavit annis duobus. Nec mora (g) Doran rebellia suadente, omnis Hispania conturbatur, et anno primo Alulit, Albulcatar mittitur in Hispaniam ad iussa principalia exequenda: qui veniens, extinxit scandala, et sedavit, et sollicite commis-

(g) Compl. *Dedram.*

missam patriam gubernavit, et omnes superbos Hispaniæ sub specie exercitus in Africam destinavit. Sed Hispani Arabes per Zimael, virum gentis suæ auctoritate præditum, Albulcatar à regni solio removerunt. Cumque congredi voluissent, Zimael celatam posuit in occulto, et dum Albulcatar fugientem sequitur Zimaelem, incidit in celatam; et hi qui cum eo erant, fuerant Zimaeli coniuratione clandestina obligati. Cumque eum in periculo reliquissent, victus succubuit, et occisus; et [(a)] Toban qui valida [(b)] adiutoria præbuerat Zimaeli, ad regni solium sublimatur. Iste divisa prœlia attentavit, ad quæ se et suos infeliciter præparavit: demum dura internecione succubuit cum multitudine occisorum. Alulit autem defuncto, omnes homines patriæ Ibrahem fratrem eius in Amiramomeninum et dominum receperunt, anno Arabum CXXVII. Sed [(c)] Maroan unus ex Arabibus in scandalum suscitatus, dum eum cum paucis in palatio reperisset, gladio interfecit, sicque rei huius causa intestinum discidium suscitatur, et quinquennio perduravit, Azali quodam Arabe dissensionis scandalum procurante. Anno Arabum CXXVIII, Maroan secundo, qui cum Ibrahem regnaverat duobus annis, [(d)] Toaba in Hispaniis præfecit, regnans anno uno. Hic fuit vir belliger, et magni generis; sed annus unus vitam eius et regnum finivit. Quo defuncto, ab omni senatu palatii Arabum Yuceph in Hispania mittitur ad regni regimen sublimatus. Anno Arabum CXXIX, seu incipiente XXX, Maroan vero tertio, Yuceph, ut senior, et longævus, ad regimen Hispaniæ sublimatur, cui non post multos dies diversa rebellia Arabes per Hispaniam molientes, plurimos occiderunt. Iste ad suggestionem residui populi, qui mortem evaserant, descriptionem publici codicis innovavit: et quos de Christianis vectigalibus dempserat gladius vastatorum, à fisci codice demerentur. Hic licet petulcus, tamen sollicite rexit regnum. Sexto anno regni istius, hora prima, secunda, et tertia, omnes Cordubæ habitantes tres soles lucis mirificæ conspexerunt, et quasi psallentes cum fascibus igneis et smaragdineis præcedebant, ex quorum ortu [(e)] Angeli devastantes fines Hispaniæ, nutu Dei fame intolerabili affecerunt.

(a) Al. *Proba.*
(b) Tol. et Compl. *ad victoriam.*
(c) Tol. *Mordan.*
(d) Tol. *Thoaba*, sed supra *Toba*, ita etiam Compl.
(e) Al. *angli.*

CAP. XVIII.
De Abdalla Benallabeci, et Abderramen.

Hoc tempore, anno Arabum C[(f)]XXXIII, Abdalla Benallabeci contra Maroan qui tumultuose, ut diximus, imperium Arabum occupaverat, manu valida attentavit. Quod Maroan cum [(g)] præsensit, tumultu gentium animo minoratus, cum thesauris publicis è palatio fugiens, ire in Lybiam meditatur, ut ibi prœlium repararet. Sed Abdalla, nil veritus, seniorum instinctu in sede regia se locavit, et statim post Maroan cum infinitu exercitu Arabum et Persarum suum patruum, Zali nomine, destinavit, qui Maroan de loco in locum insequebatur; tot enim mala intulerat Sarracenis, quod

(f) Compl. *XXXIV.*
(g) Tol. *præsentit.*

Digitized by Google

quod nusquam receptaculum inveniret. Et Nilo transiecto, cum ad locum qui lingua eorum [a]Azunum dicitur, pervenisset, insecutores cum Maroan sese adeo valide iacularunt, ut per binos dies ex utraque parte plurimi cæderentur: et die tertio Maroan victo, et interfecto, insequentes à gladio cèssaverunt. Tunc capita magnatorum ad Abdallam dirigunt, quasi [b]xenia pretiosa, et de residuo spoliorum remunerant bellatores, digna pace patriæ terminos disponentes; et à Mahomath usque ad hæc tempora cismarini et ultramarini Arabes unius Amiramomeni dominio regebantur: et qui de Benallabeci progenie descendebant, eos qui de Abenhumeya descenderant, à sede imperii expulerunt, cognationem eorum ad necem [c] usque investigantes. Humeya autem et Allabeci ex duabus Mahometi processerant filiabus: unde et inter domos eorum diu contentio perduravit. Alii dicunt Mahomath non nisi unam filiam reliquisse, quæ Fatima dicebatur, et nupsit Alyabnetalep, qui scriptor fuerat Machumeti, et post Mahumat quartus regnavit annis quattuor, et diebus octo, et ab isto et Fatima duæ domus concertantium processerunt. Post Mahomath Aben Allabeci cismarini ab Africano imperio discesserunt, et sedem regni Cordubæ statuerunt. Deinde particularibus dominiis excidia patraverunt usque ad tempora Almoravidum, qui sibi Hispanias subiecerunt, et fuit monarchiæ unitas restituta; sed et Almoades tam ab Africa quam ab Hispaniis Almoravides eiecerunt, et sibi regnum totaliter subiecerunt usque ad tempora Regis Fernandi, sub quo Abenfut Almoades ab Hispaniis effugavit, et fere monarchiam obtinuit citra mare. Unus autem [d]Abderramen Abenmeya, qui Abderramen Adahil postea fuit dictus, clanculo in Hispanias transfretavit, et misit quempiam de clientulis, ut voluntates omnium exploraret, et invenit quamplurimos Abderramen beneplacito inclinatos: quod cum ad Abderramen notitiam pervenisset, statim ad Hispanias cisfretavit, et continuo Malaca, [e] Assidona, et Hispalis eius dominio se dederunt, et Hispalim ad eum fere de omnibus Hispaniæ partibus advenerunt, eius dominio se spondentes; et inde exercitu congregato, processit contra Yuceph Halacri, qui Cordubæ præerat, pugnaturus: et prœlio inito, fugit Yuceph ad præsidium Toletanum, et Abderramen interim [f]Veiam obsedit. Tunc Yuceph furtim ingressus est præsidium Cordubense, et inde dominas tres educens, in Granatæ confugio se recepit, quem Abderramen insecutus, tandem in deditionem eum recepit, et cum [g]Abderramen Cordubam inde venit: sed culpæ conscius, sibi timens, Emeritam adiit fugitivus, ubi fere viginti millibus hominum congregatis, terram Abderramen cœpit vastationibus lacessire, et dum incursibus desæviret, bellatores, de Hispali et eius partibus venientes, continuo fugaverunt, et ipse credens Toleti ut in præsidio liberari, á quibus vitam speraverat, est occisus, et in continenti Abderramen dominio se dederunt, et tunc regno in Hispaniis confirmato, Ami-

(a) Compl. et Al. *Azimum.*

(b) Compl. *exenia.*

(c) Compl. *ubique.*

(d) Compl. *Abderramen Abenhumeya.*

(e) Al. *et de Assidona.*

(f) Tol. *Belan.*

(g) Tol. *Abderrahium.*

Digitized by Google

(a) Amiramomeni statuit se vocare, anno Arabum CXLII, et tunc fecit obfirmari præsidium Cordubense, et Hortum nobilem, qui Razapha Arabice nuncupatur. Tunc unus qui Girat Alhadra, et alius qui (b) Bere, et multi alii contra eum in unum factitii surrexerunt: sed omnes cæde et prœlio subiugavit, et urbes rebelles simili dispendio coarctavit, multos suspendio, multos nece, multos gladio eliminavit. Anno autem Arabum CLXIX, cœpit Cordubensem Mezquitam ædificare, ut (c) prærogativo opere omnes Mezquitas Arabum superaret. Regnavit autem annis XXXIII, et mortuus est anno Arabum CLXXI, et sepultus est in præsidio Cordubensi. Reliquit autem undecim filios, et novem filias.

(a) Compl. *Amiramomenim.*

(b) Compl. et *Al. Beit.*

(c) Tol. *prærogativa.*

CAP. XIX.
(d) *De Issem.*

Unus ex filiis, (e) Issem nomine, successit in regno. Frater autem eius, dictus Zulema, qui à patre successor fuerat institutus, præerat principatui Toletano. Hic cum audisset quod eum pater instituerat successorem, contra fratrem exercitum congregavit, et sibi mutuo occurrentes, apud castrum quod Bilche dicitur, acriter dimicarunt; sed Zuleman inferior est inventus: et Issem, victoria animosus, Toletum adiit, et obsessam, post modicum occupavit. Zuleman autem victus et fugitivus, Murciæ se recepit, anno Arabum CLXXIIII. Post hæc Issem emit á Zuleman, quidquid in Hispaniis possidebat, pro sexaginta millibus aureorum, et Zuleman, relictis Hispaniis, mare transiens, ivit in (f) Barbariam, et quievit Issem ab eo, et obtinuit Issem Toletum, et cetera loca, quæ Zuleman consueverat (g) obtinere. Similiter cum altero fratre Abdalla interposito discidio, aliquando demum concorditer convenerunt, ut relictis Hispaniis, in Africam transfretaret; et sic duobus fratribus effugatis, ab eorum scandalo in regno Hispaniæ conquievit, et totam terram iustitia et dilectione pacifice gubernavit, et à suis plurimum amabatur.

(d) Tol. *de actibus Issem.*

(e) Tol. et Compl. sæpe *Hussem.*

(f) Compl. *Berberiam.*

(g) Compl. *possidere.*

CAP. XX.
De actibus Issem.

Anno autem Arabum CLXXVII, misit quemdam à suis, qui Abdelmelic dicebatur, cum magno exercitu, ut Christianorum patriam devastaret. Hic Narbonam et Gerundam et loca cetera interposita cepit, et subiugavit, et tot spolia secum duxit, ut in quinta parte Issem suo Principi (h) Morabetinorum XLV. millia provenerunt, ex quibus Mezquitam Cordubæ, quam pater suus inceperat, consummavit. Narbonenses autem et ceteri Christiani tanto exterminio ferebantur, quod, pactis concordiæ interiectis, (i) à Narbona usque Cordubam humeris et vehiculis terram ferrent, ex qua in suo præsidio Mezquitam ædificavit. Construxit etiam Mezquitas alias, et veteres renovavit. Quidquid autem acquirere poterat, liberaliter dividebat, et ita viriliter restitit Christianis, ut, cum quadam vice dives quispiam pro redemptione Maurorum magnam summam pecuniæ divisisset, vix potuit

(h) Tol. *Morbu-orum,* Compl. *Morbetinorum.*

(i) Compl. et Tol. *ut à Narbona.*

tuit inveniri, quem redemptio liberaret. Et cum suorum aliquis morte propria vitam aut gladio finiebat, paternum stipendium filio, quantumlibet parvulo, erogabat, donec ætate perfectus, militiæ [a] adscriberetur. Hic pontem constituit qui Cordubæ adhuc extat: fuerat enim ibi pons alius, qui sub isto inferior subsistebat, et est in directum portæ maioris, prope præsidium quod in lingua sua dicunt Alcazar: et tanta diligentia pontis fabricam procuravit, quod ipse personaliter [b] operantibus assistebat, et fabricæ ordinem dirigebat.

(a) Tol. *scriberetur.*

(b) Tol. *operibus assistebat.*

CAP. XXI.
De prognostico mortis eius.

Tandem advocavit quemdam in arte Astronomiæ valde peritum, et quæsivit ab eo, quid de regno, vita, vel eius operibus suæ artis indicio percepisset. At ille, licet timidus, minis territus, quæ perceperat, revelavit, dicens ei: "Eris "præ Regibus fortunatus, et manus "tua opprimet inimicos, sed in re"gno octo annorum numerum non "complebis." Quod rex audiens, diu tacuit; Astronomum autem remuneravit. Exinde autem cœpit se virtutibus politicis exercere, et se omnibus beneficum exhibere, et pauperibus iustitiam conservare. Hic Gallæciam devastavit anno Arabum CLXXV, et in reditu obvium habuit Veremundum. Deinde, ut diximus, Narbonam obtinuit, et Gerundam, anno Arabum CLXXVII, et plura bella exercuit cum Rege Gallæciæ Aldefonso; et, cum quadam vice Gallæciam intravisset, anno Arabum CLXXIX, Christiani in montanis loca devia servaverunt, [c] et in transitu occurrentes, pluribus captis ex Arabibus, plurimos occiderunt.

(c) Tol. *et transitu.*

CAP. XXII.
De morte Issem, et regno Alhacam.

Issem autem, cum regnasset annis VII, [d] mensibus VII, diebus VII, vitam finivit, et filium suum, Alhacam nomine, regni substituit successorem, anno Arabum CLXXIX: et regnavit annis XXVI, mensibus X, diebus XV. Hic fuit sapiens, et strenuus in agendis, et, ut legis eorum ratio asserit, fortunatus, et servorum quinque millia ad sui custodiam deputavit, tria millia de apostatis Christianis, et duo millia de eunuchis, [e] quorum aliqui secum ibant, alii præsidium observabant: et ipse etiam personaliter pauperes iudicabat, et maleficos inquirebat, ut compesceret delinquentes, et quod gentis illius impietas vix admittit, eleemosynas liberaliter erogabat. Cum autem fratres Issem, Zuleman et Abdalla, qui à facie fratris, ut diximus, fugerant ultra mare, audissent Issem mortuum, et Alhacam filium eius in regni regimine substitutum, conati sunt regnantis initia perturbare, et fugæ infamiam festino reditu palliare, et contra nepotem vela reducia erexerunt: et in Hispaniam [f] transfretantes, regnum nepotis invadere præsumpserunt. Et Abdalla, agnomine Valentinus, cum barbaris Valentiæ [g] rebellavit, et Zuleman fratrem suum à Tangia accersivit, et ambo à Valentia nepo-

(d) Compl. et Al. *mensibus IX. diebus VIII.*

(e) Tol. *qui secum ibant.*

(f) Compl. *cisfretantes.*

(g) Al. *bellavit.*

Digitized by Google

potem suum, Alhacam nomine, bellis indesinentibus impetebant: demum collatis vexillis, adinvicem dimicarunt, et Zuleman inibi interfecto, Abdalla, fugæ opprobrio derelictus, Valentiam est reversus. Hoc fuit anno Arabum CLXXXIIII, anno regni Alhacam V; mansit autem Abdalla Valentiæ, prœlio refrenatus, et auxilio destitutus. Nepoti autem per nuncios supplicavit, ut securitatem et victualia indulgeret. Alhacam autem malitiæ iam oblitus, concessit ei ut Valentiæ moraretur, et mille aureos mense quolibet, et per annum quinque millia sibi dabat. Abdalla autem iam pacificus filios suos misit Regi, et Rex, eos benigne recipiens, eorum uni sororem suam matrimonio copulavit, et sic terra à prœliis conquievit.

CAP. XXIII.
De rebellione Toletanorum.

Anno autem regni Arabum CXC, regni autem eius XVII, populus Toletanus, confidens de fortitudine civitatis et in multitudine incolarum et copia victualium, rebellavit, et ei iura regalia negaverunt: quos copia, otium, et securitas fecit à dominio aberrare. Rex autem, licet familiari stimulo arctaretur, sustinuit patienter, et scelus scelere studuit callide vindicare: et vocavit Ambroz, quem Oscæ præfecerat et Cæsaraugustæ, et erat carus et favorabilis Toletanis; Regi autem Alhacam semper exiterat utilis et fidelis. Hunc misit Toletum cum epistolis suasoriis, quæ talia continebant: "Cum misissem aliquos "qui mea negotia procurarent, et "vos in devotione regia conserva"rent, intellexi eos vos stultis ope"ribus provocasse, et regia negotia "minorata. Nunc autem mitto vo"bis Ambroz, qui vestris benepla"citis condescendet, cum sit vester "amicus et contribulis." Quem ipsi cum gaudio receperunt, et ad sua consilia admiserunt; et diebus aliquot interiectis, promisit eis rebellionis participem velle esse, et præter regium præsidium aliud in civitatis medio se facturum, ut ibi Regis familiares secum haberet, ne possent in populum malignari: et statuerunt ei locum in monte, ubi Ecclesia Sancti Christophori nunc est sita; et præcepit suis, ut domos circa idem præsidium fabricarent, et eductione terræ ad parietes erigendos ex industria in medio præsidii profunda voragine foveam dilatavit, et omissis [a] aliis præsidiis civitatis, in isto statuit mansionem, et placuit Regi [b] scienti hoc ex industria procuratum.

(a) In Tol. deest *aliis.*

(b) Compl. *hoc industria procuratum.*

CAP. XXIIII.
De cæde Toletanorum.

Tunc Rex Alhacam mandavit his [c] qui in tabernaculorum castris, vel civitatibus morabantur, ut à Rege auxilia implorarent, quia Christianorum incursibus gravabantur, et per se, vel per alios succurreret impugnatis: et hæc relatio venit Toletum, et ad ceteras civitates. Rex autem præcepit undique exercitus congregari, et misit cum eis filium suum Abderramen, et etiam de maioribus seniorum, ut adolescentem, qui decimum quartum agebat annum, in consiliis custo-

(c) Tol. *qui tabernaculorum.*

Digitized by Google

stodirent. Cumque venissent Toletum, [a] castrametati sunt ab Oriente, et continuo venit nuncius, [b] quod treguam firmaverat cum Christianis, et dimisso exercitu, quod redirent. Ambroz autem, ut fuerant facta, cuncta percipiens, Toletanis suasit, quod Abderramen instantissime supplicarent, ut eorum civitatem ingredi dignaretur: qui tandem precibus vix coactus, annuit postulatis. [c] Ingressus itaque, in præsidio Ambroz voluit hospitari, ut inveniretur communior, quasi in medio civitatis, et ut apud eos [d] gratiosior haberetur. De consilio Ambroz potiores urbis fecit ad convivium invitari, et sollemnibus epulis instauratis, cum venissent qui fuerant invitati, speculatores, cum ensibus præparati, ingredientes, hospites capitibus mutilabant, et retentis capitibus, equitaturas per oppositum hostium dimittebant, sanguine in voragine foveæ [e] eliquato. Cumque quispiam vaporem sanguinis ascendentem odoratu narium percepisset, et non ex carnium, vel vapore convivii invalere, quæsivit de his qui introierant, quidnam esset; et responso accepto, quod in epularum sedibus discumbebant, odore sanguinis stimulatus, factionis interitum promulgavit, quia fere succubuerant quinque millia occisorum. Populus autem deiectis animis consternatus, Alhacam et Abderramen servituti capita subiecerunt, et rebellionis opprobrium confusione debita sustulerunt, et hoc fuit anno CXC. Arabum.

(a) Tol. *castrametatus est.*
(b) Tol. *qui treguam firmaverat.*
(c) Compl. *egressus.*
(d) Compl. *gratior.*
(e) Tol. *elicatus.*

CAP. XXV.

De victoriis Alhacam, et morte eius.

Post hæc, actis felicibus elevatus, misit quemdam de suis magnatibus, Abdelcarin nomine, cum suo exercitu Calaguriam. Abdelcarin autem, cum aliquandiu obsedisset [f] Calaguriam, et cum, usque ad mare emissis phalangibus, plurima devastasset, cum prædæ gloria copiosa [g] in mittentis dominium est reversus, anno Arabum CC, regni autem Alhacam [h] XXIIII. Postea anno Arabum CCII, Arabes de suburbio Cordubensi inceperunt contra Alhacam dominum rebellare, quia divitiis et deliciis elevati, iugum dominii abhorrebant. Alhacam autem rebellioni adveniens, cum Abdelcarin, qui strenuitate militiæ erat clarus, per portam quæ nova dicitur, civitatem ingressus est Cordubensem, et rebellium indebitam factionem cæde et suspendio domuit, et sedavit: et iuxta portam quæ pontis dicitur, in ripa fluminis trecentos et amplius infurcavit: qui autem potuerunt evadere, fugæ subsidium elegerunt. Rex autem solita pietate decrevit rebus, parvulis, et mulieribus indulgendum. Hic Alhacam fuit strenuus in agendis, et rebelles compescuit vi bellorum. Dum autem bella cum suis patruis exerceret, Christiani Barchinonam acquisierunt, et Arabes vastationes et incendia sunt perpessi. Cumque Alhacam, sedatis suorum discidiis, ad recuperandas terras quas amiserat, se pararet, mortis imperio est præventus, anno Arabum CCVI, regni sui XXVII: reliquit filios XIX, filias autem XXI.

(f) Compl. *Calagurram:* supra *Calagurram.*
(g) Compl. habet *ad.*
(h) Compl. *XIX.*

CA-

Digitized by Google

CAP. XXVI.

De regno Abderramen, et navibus adventitiis.

Post Alhacam regnavit filius eius Abderramen.[a] XLI. annorum erat, cum regnare cœpisset, et XXXI. annis regnavit. Et seniores curiæ, fratres Abderramen, et consanguineos convocavit, qui venientes, libenter novi Regis dominium receperunt. Abdalla autem qui Valentiæ, ut diximus, morabatur, ut olim fecerat, rebellavit, sed Abderramen continuo exercitum congregavit. Abdalla vero fugam iniit, veritus expectare, et post fugam, paucis diebus interpositis, exspiravit. Tunc Abderramen uxores et filios Abdallæ fecit ad se adduci, et eis in necessariis liberaliter provideri; et ex tunc apud Arabes parentibus filii successerunt, nam antea fratres, consanguinei, vel propinqui, et etiam de alio genere succedebant: et fuit Abderramen plurimum fortunatus, ut gentis eius geneatici dogmatizant. Hic Barchinonam, nuper [b] à Christianis obtentam, per Abdelcarim suum Principem subiugavit, et terras alias quas Christiani tempore schismatis occupaverant. Ipse etiam per se plurima bella gessit. Anno autem Arabum CC[c]XXIX, regni autem eius XXIII, nuntiatum est ei [d] LIIII. naves, et LIIII. galeas in Ulixbonæ litore [e] appulisse, et Abderramen rescripsit eis, ut, prout possent, sui custodiæ providerent. Sequenti anno plures naves, et maior potentia Hispalensi litori advenerunt, et diebus XIII. Hispalim obsederunt, et congressus cum Arabibus habuerunt, et pluribus interfectis, captivos et spolia plurima adduxerunt: inde Zelziram, Cadiz, et Assidonam cum suis classibus adierunt, et [f] confectis prœliis, pluries cum Arabibus pugnaverunt, et terras eorum cæde et incendio vastaverunt, et prædas multiplices abduxerunt, et iterum Hispalim sunt reversi: et transierunt in Gelzira captel, et impugnatam tribus diebus, eductis spoliis, incenderunt. Deinde per hortos et vineas et terminos Hispalis transeuntes, omnia vastaverunt, Arabes occidentes, et quæque utilia secum ferentes. Deinde mane Hispalim venientes, congressum cum Arabibus habuerunt, in quibus tot de Arabibus [g] ceciderunt, quos vix posset industrius numerare. Et Arabes ab utraque urbis facie effugati, vix vitæ relicti, ad muri ambitum confugerunt; gentes autem [h] quæ navigio venerant, civitatem per diem et noctem graviter afflixerunt, et sequenti die ad stationem navium redierunt cum multitudine spoliorum, quæ ab suburbio et suburbanis iuxta votum quilibet abducebat. Cumque ad Abderramen rumor huiusmodi pervenisset, fecit magnum exercitum congregari, quem in auxilium Hispalensibus destinavit, et venientes, cum gentibus navium commiserunt. Sed nec hi, nec illi vincere potuerunt. Gentes autem in villam quæ Tablata dicitur, prope Hispalim, intraverunt; et Arabes, eos machinis impugnantes, à Tablata egredi compulerunt, et in conflictu usque ad CCCC. [i] ex illis gentibus ceciderunt: nihilominus de Arabibus pluribus interfectis, et de navibus IIII.

(a) Compl. *XL.*

(b) In Tol. deest *à*.

(c) Compl. *XXVIII.*

(d) Tol. non habet *LIV. naves, et.*

(e) Compl. et Tol. *applicasse.*

(f) Compl. *consertis.*

(g) Tol. *occidebant, quod vix.*

(h) Tol. *qui.*

(i) In Tol. desunt sequentia: *ex illis gentibus ceciderunt: nihilominus de Arabibus pluribus interfectis, et de navibus IIII.*

amiserunt. Ipsi autem diebus aliquot ibi commorantes, confinia Hispalensia vastaverunt, et cum audissent quod Abderramen XV. naves et exercitum alium in eorum exterminium destinaret, reversi sunt Ulixbonam, et exinde cum aliis qui illuc advenerant, ad propria remearunt.

CAP. XXVII.
De morte Abderramen, et regno Mahomath.

Anno Arabum CCXXXVI, regni autem sui XXX, præcepit plateas Cordubæ pavimento solidari lapideo, et aquam à montanis plumbeis fistulis derivari, et fontes iuxta Mezquitam, et iuxta præsidium, et in aliis locis eductione nobili emanare. Et cum hæc fecisset, mortuus est Abderramen anno Arabum CCXXXVIII, incipiente anno regni sui XXXII: et reliquit XLV. filios, et XLII. filias. Anno Arabum CCXXXVIII, Mahomath filius Abderramen [(a)] successit in regno. Eo anno mortuus est [(b)] Rainimirus, filius [(c)] Veremundi, Rex Gallæciæ, et filius eius Ordonius successit in regno, et regnavit annis XXXV. Anno Arabum CCXL, regni autem Mahomath secundo, Toletani contra Mahomath dominum rebellarunt, et Ordonium qui in Asturiis, et [(d)] Gallæcia tunc regnabat, in adiutorium vocaverunt, qui misit eis Germanum suum cum multitudine Asturum, et Navarrorum. Tunc Mahomath, collecto exercitu, ivit Toletum, et cum proprior esset urbi, in alveo qui Celet dicitur, insidias occultavit, et cum ad civitatem proprius accessisset, spiculatores, exterius positi, venire cum paucis bellatoribus existimarunt: quod cum Christianis et civibus intimassent, contra eum volentes congredi, exierunt, et cum prœlium inchoassent, insidiæ quæ latuerant, accurrerunt, et succubuerunt cum suis complicibus Toletani, et de Christianis usque ad octo millia, de Toletanis usque ad duodecim millia perierunt: et fecit Rex Mahomath multa capita detruncari, quæ Cordubam, et ad maritima, et in Africam pro victrici gloria destinavit. Sequenti anno Calatravam, Talaveram, et [(e)] Zuritam multis militibus stabilivit, ut Toletum et eius confinia infestarent, et tertio anno misit Almondar, germanum suum, cum exercitu copioso, qui circa Toletum residens, messes, et fructus, et vindemias penitus devastavit. Post cuius recessum Toletani Talaveram invadere præsumpserunt; sed egressus Princeps qui præerat Talaveræ, venientes congressu obvio debellavit, et pluribus captis et interfectis, usque DCC. capita occisorum Regi Cordubam destinavit. Sequenti anno Rex personaliter super Toletum exercitum congregavit, et eam obsidens, pontem præcipitavit, et multi de civibus, qui pontem ascenderant, defensuri, cum pontis præcipitio corruerunt: ex quo fuit populus Toletanus valde animo consternatus. Anno autem septimo regni sui, cum iterum exercitum congregasset, Toletani incolæ Mahomath [(f)] potentiam non ferentes, se eius dominio reddiderunt, qui eos benigne recipiens, pacem dedit anno Ara-

(a) Compl. *filii Albacam.*

(b) Compl. *Ranimirus.*

(c) Compl. *Veremudi* hic et alibi.

(d) Tol. *Gallitia.*

(e) Tol. *Curitam.*

(f) Compl. *Regis potentiam.*

Arabum CCXLV, anno VII. regni eius.

CAP. XXVIII.

De navibus Normannorum.

Eodem anno, LX. naves à Normannia advenerunt, et Gelzirat alhadra, et Mezquitas, undique deductis spoliis, cæde et incendio consumpserunt: deinde in Africam processerunt, ubi exterminia gravia exercuerunt: et reversi, in maritimis Hispaniæ hiemarunt, et in vere ad propria redierunt. Sequenti anno Rex Mahomath contra Navarros exercitum adunavit, et circa Pampilonam messes et vindemias devastavit: et obtinuit tria castra, in quorum uno invenit militem, qui Fortunius dicebatur; quem captum, Cordubam secum duxit, et elapsis viginti annis, suæ domui restituit cum [(a)] muneribus liberatum, et vixit hic Fortunius CXXVI. annis. Sequenti anno filium suum Almondar cum exercitu contra Alavam destinavit, qui Christianos crudeliter debellavit, et multa eorum capita Cordubam deportavit. Sequenti anno Emerita rebellavit, cui adveniens, fecit destrui arcum pontis; et cives deditioni se offerentes, milites cum filiis et uxoribus obtulerunt, ut obsides Cordubam ducerentur: quod Rex annuens, fecit destrui muros urbis, præter præsidium quod suis bellatoribus investivit.

(a) Tol. *multis muneribus liberatum.*

CAP. XXIX.

Item de rebellione Toletanorum, morte Mahomath, et regno Almondar.

Anno Arabum [(b)] CCLVII, regni eius XIX, Toletani iterum rebellarunt, et quemdam qui Mahomath Avenlop dicebatur, super se Regem et Principem statuerunt, et Rex Mahomat, filius Abderramen, duxit exercitum super eos: sed ipsi, animis minorati, se mandatis eius, datis obsidibus, obtulerunt, quod Rex acceptans, præcepit obsides Cordubæ custodiri, et hic secundo accepit obsides à Toletanis. Anno CCLXVI, præcepit Rex naves fieri Cordubæ, Hispali, et in aliis locis, ubi lignorum materiæ abundabant. Audierat enim esse in Gallæcia civitates, et oppida, pagos, et villas, quæ nullo murorum ambitu claudebantur: et navigio instaurato, præfecit eis quemdam, qui Abdelhamit dicebatur; sed fractis navibus [(c)] vi contrariæ tempestatis, naves et homines totaliter perierunt. Abdelhamit cum paucissimis vix evasit. Anno CCLXVII, fuit terræmotus in tota Hispania generalis: et cum Rex Mahomath sederet in Mezquita Cordubæ, et oraret, fulmen cecidit iuxta eum, et duos homines interfecit: tonitrua, coruscationes, et lampades turbatum populum deterrebant. Anno autem Arabum CCLXXIII, mortuus est Mahomath ætatis suæ anno LX, regni autem XXXV: qui regnum suum humane, et provide gubernavit. Et dum quodam die per regale viridarium perambularet, miles quidam de astantibus, dixit ei: "Quam pulchrum »viridarium, quam pulchra dies, »quam dulce sæculum, si mortis »sententia non veniret." Tunc Rex inquit: "Erras in verbo; quia, si »mors non esset, ego nullatenus »hic

(b) Tol. *CCL, VII. regni eius.*

(c) Tol. *in contrario.*

»hic regnarem.« Reliquit autem XXXIIII. filios, et XX. filias. Eo mortuo anno Arabum quo supra, filius eius [a] Almondar apud Alhamam degebat, quæ [b] Almeriæ balnea nuncupatur: et audito patris discessu, Cordubam festinavit, et mox eum ad regni solium sublimarunt anno ætatis suæ [c] XLIII. Et cum esset liberalis, in principio regni sui Cordubensibus decimas relaxavit: sed immemores beneficii, contra eum continuo rebellarunt. Ipse autem agens exercitum, vitam finivit, cum regnasset fere duobus annis, et reliquit sex filios, et septem filias.

(a) Compl. *Almundir.*
(b) Compl. *Almariæ.*
(c) Compl. *XLIV.*

CAP. XXX.
De regno Abdallæ.

Anno autem Arabum CCLXXV, exercitus germanum suum Abdallam fratri mortuo subrogarunt, qui nova gloria inclitatus, ab omnibus etiam Cordubensibus est receptus, et fratrem suum Cordubæ honorifice sepelivit. Regnavit autem annis XXV, diebus XV. Sequenti anno contra eum Homar habenhabzon, unus de principibus, rebellavit, et cum eo contra Regem gentes plurimæ surrexerunt. Stepa, et Ulixbona, et alia multa castra similiter rebellarunt. Rex autem super eum exercitum destinavit. Homar autem ea facilitate, qua rebellaverat, inclinavit, et Rex Abdalla petenti veniam [d] concessit. Hispalis autem quæ similiter rebellaverat, in se bellis civilibus excitatis, se mutuo sanguine cruentarunt: et qui [e] sæviores in effusione sanguinis sunt inventi, Regis Abdallæ dominio se dederunt: et sic in Hispali totale dominium est adeptus. Homar autem habenhabzon, pro facilitate veniæ elevatus, iterum rebellavit, et Giennium veniens, præsidii principem interfecit, et procedens per oppida et castella, eiusdem officii principes factione simili decollavit: et Rex Abdalla adeo eum fuit variis incursibus insecutus, quod coactus fuit, etsi non animo, ficte saltem ad Christiani nominis gratiam se transferre, et baptismum suscipere, et fidem Catholicam profiteri. Rex autem Abdalla præcepit Loxæ præsidium obfirmari, et, cum magnis et minoribus æquo iudicio iustitiam exhiberet, apud Cordubam vitam finivit anno ætatis suæ LXXII, regni autem XXV. Sepultus est autem in præsidio Cordubensi, et filios XI, et XIII. filias reliquit.

(d) Compl. *condescendit.*
(e) Tol. legit sic *stiores.* Compl. habet *severiores.*

CAP. XXXI.
De regno Abderramen, et Alhacam.

Mortuo Abdalla, nepos eius Abderramen, filius Mahomath, filii Abdallæ, successit in regno: et non successit aliquis filiorum, quod in præteritis non invenitur. XXIII. annorum et quinque mensium erat, cum regnare cœpisset anno Arabum CCC, et L. annis regnavit, et fecit, mutato nomine, se vocari [f] Almanzor Ledinele, quod interpretatur defensor legis Dei: et fecit se communi nomine appellari Amiramomeni, quod Rex credentium interpretatur. Hic fuit Rex potens et honoratus, et gentes suas iustitia et iudicio gubernavit: et quia dissensio erat inter domum Aben-

(f) Compl. et Tol. *Ananzer Ledinele.*

Abenhumeye, et domum Abelabeci, qui nepotes fuerant Machometi, vix erat locus, quem schismata non vexarent; ipse autem quosdam pace, quosdam terroribus reconcilians, ut pacifice viverent, procuravit: et quosdam rebelles bellis et incursibus sic afflixit, ut sederent solitarii, et tacerent, et per XX. annorum spatium à bellis et exercitibus non cessavit; donec tota terra sub suo dominio complanata, omnes ei unanimiter subfuerunt. Hic præcepit [a] ædificare castrum prope Cordubam, quod hodie adhuc extat, et navigio, [b] Septe adveniens, obtinuit civitatem, et de suis in ea Principem stabilivit. [c] Præterea Cordubensem Mezquitam et multas alias adornavit, et opera regalia dilatavit. Mortuus est autem anno ætatis suæ LXXIII, regni vero L, anno Arabum CCCL. Alhacam, filius prædicti Abderramen, patri suo successit in regno, et imposuerunt ei nomen [d] Almuztacarbille, quod interpretatur defendens se cum Deo: et regnavit annis XVI, et duobus mensibus. Hic invenit terram à patre suo pacifice complanatam, quam et ipse paterno moderamine conservavit: nec necesse habuit bellis vel exercitibus exerceri. Mortuus est autem anno ætatis suæ LXIIII, regni autem XVI.

(a) Compl. *ædificari.*

(b) Al. *Septa.*

(c) Compl. *Postea.*

(d) Al. *Almuntacir.* Compl. *Almuntacirbille.*

CAP. XXXII.

De Issem, et de eius Alhagib Almanzor, et Abdelmelich.

Anno Arabum CCCLXVI, Issem, filius Alhacam, patri suo successit in regno. Decem annorum erat et octo mensium, cum regnare cœpisset, et regnavit prima vice annis XXXIII, mensibus quattuor, et imposuit sibi nomen Almuhayatbille, quod interpretatur nitens cum Deo: et cum esset puer, datus est ei à suis principibus coadiutor, vir strenuus, industrius, atque prudens, qui Mahomathibne [e] Abenhamir proprio nomine dicebatur, nunc autem dictus fuit Alhagib, quod interpretatur Vicerex. Postea autem, quia ferè semper in prœliis fuit victor, Almanzor fuit appellatus, quod defensor interpretatur: et licet multi pro hac potentia laborassent, ipse consensu omnium omnibus est prælatus; et sic ad se totius regni negotia recollegit, ut Rex Issem in moneta, et pannis, et epigrammatibus, et epitaphiis ponebatur, et fiebat oratio super eum, et expers potentiæ agebatur, et quasi clausus in præsidio Cordubensi, quidnam fieret, ignorabat: nec accessum alicuius permittebant, nisi quod tantum omnibus dicebatur: Ista [f] præcipit vobis Issem; et talibus internunciis credebatur: et cum Almanzor cum exercitu recedebat, custodes, Regis custodiæ deputati, sic eius [g] exitum observabant, ut cum ad regale viridarium equitaret, nullus esset eius auribus appropinquans, nec ausus eum clamore aliquo propulsare: et sic uxorum contuberniis interceptus, reputabat sibi pro regni dominio satisfactum. Et duravit Almanzor huius regiminis potentatus annis XXVI; et in isto annorum spatio quinquagesies et bis exercitum Christianorum finibus superduxit, et eos multis afflictionibus coar-

(e) Compl. *Abdenhamir.*

(f) Tol. *præcepit.*

(g) Tol. *excitum.* Al. *exercitum.*

Digitized by Google

coarctavit : et suis adeo fuit carus, quod sæpe voluerunt ei concedere regni thronum, sed ipse numquam voluit Issem privare. Et cum quadam vice Castellæ terminos devastasset, et hiemali instantia proponeret remeare, Christiani in montium transitu restiterunt, quos asperitas nivium adiuvabat; et ipse intelligens transitum præpeditum, in planitie castra fixit, et cum bobus prædæ aratra instauravit, semina terræ mandans. Interim autem tot incursibus, et tot cædibus Christianorum patrias devastavit, ut cogerentur hostibus supplicare, et impeditum transitum expedire, ut Almanzor exercitus pertransiret, et etiam pro agricultura et semine pretium obtulerunt, quod Almanzor non necessitate, sed pietatis clementia acceptavit : et sic Cordubam est reversus. Cetera quæ in finibus Christianorum perpetravit, superius in historia Gothica disserui diligenter, sub rubrica : De insolentiis [a] Veremundi, et victoria Almanzoris. Fuit autem factus Alhagib anno Arabum CCCLXVII, et præfuit annis XXVI. Mortuus est autem anno Arabum CCCXCIII, prælationis suæ XXVI. Cui successit anno, quo supra, filius Abdelmelich, cognominatus [b] Almodofar, et sex annis et octo mensibus tenuit regiminis principatum, sicut tenuerat pater eius, et anno sequenti, cum super Legionem exercitum congregasset, à Christianis turpiter effugatus, turpius est reversus, nec adiecit ultra invadere Christianos : sed regni negotia utiliter dirigebat. Mortuus est autem anno Arabum CCCC, et sui regiminis VII. Huic successit frater eius Abderramen, qui derisorie Sanciolus dicebatur. Hic pessimus et perversus, fornicationibus et ebrietatibus insistebat, et [c] Issem à regno expellere nitebatur, mortem minitans, nisi eum regni institueret successorem, qui metu annuit postulanti. Cum autem Abderramen quattuor mensibus et dimidio præfuisset, eum ob suam nequitiam peremerunt. Hucusque Issem regnaverat annis XXXIII.

(a) Tol. *Veremudi, et victoriis Almanzori.*

(b) Compl. *Almodafar.*

(c) Tol. *Hyem.*

CAP. XXXIII.

De intestinis discidiis super regimine principatus.

Igitur Abderramen, ut diximus, interfecto, cœperunt ubique contra Issem rebellia procurari. Primus autem fuit quidam, qui Mahomath Almahadi dicebatur, et Cordubæ cum duodecim complicibus insurrexit, et sumptis armis, præsidium occupavit, et Issem captum, in domo cuiusdam sui complicis occultavit, et eum mortuum omnibus publicavit, et quemdam Christianum, Issem simillimum, interfecit, quem mortuum senioribus et aliis demonstravit, et decepti similitudine, crediderunt, et statim honore regio sepelierunt. Mahomath autem Almahadi iniuriose circa populum se gerebat, et eorum uxores [d] ludibriis provocabat, et quia circa Issem taliter se habuerat, eum odire, et persequi inceperunt, et propter alia quæ subditis inferebat, unde et seditiones undique fuerunt ortæ: et surrexit quidam, qui Issem Araxit dicebatur, et, cum Almahadi quadam die cum suo exercitu Cordu-

(d) Tol. *ludibrio procurabat.*

Digitized by Google

dubam egrederetur, illi qui erant in civitate, cum prædicto Issem Araxit coniurarunt, et multos de fautoribus Almahadi occiderunt, [a] et ianuas prope præsidium conbusserunt. Sequenti die contra Almahadi egressi sunt civitatem, et cum aliquandiu conflixissent, obtinuit Almahadi, et multos ex eis cepit, et aliquos interfecit, et de proditione reputans, Issem et multos alios capitali sententia condemnavit. Tunc quidam de [b] Barbaria, nepotem Issem, qui Zuleman dicebatur, super se Principem levaverunt, et extra Cordubam peragrabant. Verum quædam pars eorum de Barbaria [c] nisi sunt sibi præficere Marhuam consobrinum Zuleme, et dederunt ei equum et ensem, ut si Zulemam interficeret, statim constituerent eum Regem. [d] Quod cum Zuleman per quempiam percepisset, illos [e] Barbarios fecit decapitari, et consobrinum suum Marhuam in vinculis detineri, et treguam cum Sancio filio Comitis Garciæ Fernandi, Castellæ Comite, obfirmavit. Postmodum, pecunia magna data, eum contra Almahadi in adiutorium evocavit.

(a) Tol. non habet *et ianuas prope præsidium conbusserunt.*

(b) Compl. hic et alibi *Berberia.*

(c) Tol. *iussi sunt.*

(d) Tol. *Quin.*

(e) Tol. *barbaros.*

CAP. XXXIIII.

De adventu Comitis Sancii in auxilium Zuleme, et de victoria habita contra Almahadi.

Comes autem Sancius, cum magno exercitu veniens, factus est Zuleme in adiutorium. Almahadi autem, cum audisset Zuleman cum Comite Sancio advenire, de Medina cœlim et aliis locis, quos potuit, convocavit. Erat autem Alhagib Almahadi quidam, qui Alhameri vocabatur. Qui autem erant in civitate, contravenientem exercitum aggredi proponentes, ut faciliorem exitum præpararent, fossata in circuitu repleverant, quamvis Almahadi, ne hoc facerent, prohiberet. Cumque extra urbem, veniente exercitu, commisissent, Zuleman obtinuit, instante fortiter exercitu Comitis Sancii, et cæsa fuerunt ex parte Almahadi usque ad XXXV. millia Sarracenorum, et Christiani suburbium invadentes, abductis spoliis, et interfectis plurimis, et pluribus captivatis, cetera vastaverunt. Et cum vidisset Alhagib Alhameri tantum excidium suæ partis, vocatis qui de Medina cœlim advenerant, in eadem Medina cum fugæ comitibus se recepit. Almahadi autem fugit ad præsidium civitatis, Zuleman cum Christianorum exercitu urbem exterius obsidente. Tunc Almahadi eduxit Issem Regem, quem olim mortuum simularat, et ostendit eum omnibus manifeste suadens, ut eum in Regem reciperent, potius quam Zuleman; sed tantus terror invaserat audientes, quod nulla suasio poterat demulcere: et Almahadi iam desperans, abscondit se in domo cuiusdam Arabis, qui Mahomath Toletanus dicebatur, et inde cum eodem Arabe Toletum fugit. Zuleman autem ingressus est Cordubam violenter, et præsidium occupavit, et in regali solio se locavit, et mensibus septem regnavit. Hoc bellum fuit apud Arabes nominatum, et dicitur victoria de Cantiche. Zuleman autem de Cordubensibus non confidens, egressus est

Digitized by Google

est civitatem, et in vicinis locis morabatur cum exercitu Christiano. Cumque quadam die ad Regem seniores Cordubæ exivissent, Comes Sancius dixit eis: "Quomodo huc existis? Tria enim stultitiæ signa in exitu prætendistis: unum, quia timidi, eo quod in primo congressu cum plures essetis, terga dedistis. Secundo, quod securitate non habita accessistis. Tertio, quia in Deum graviter peccastis, cum uxores vestras et filios [(a)] et homines legis vestræ, quos gladio cepimus, in servos emere voluistis." Et mirati sunt universi super [(b)] prudentia Comitis Sancii. Cumque Zuleman verbis et muneribus civium animos complanasset, et in civitate tutius resideret, quidam [(c)] de Barbariis suasit ei, ut permitteret eos occidere Christianos, ne forte, ut ei adhæserant, alii Regi adhærerent, et ei cederet in periculum et iacturam; præsertim cum, prædis Arabum locupletes, de cetero similia assuescerent. Cui Zuleman: "In securitatem meæ fidei advenerunt, et ideo numquam hoc facinus perpetrabo." Et timens Zulema, ne eis fieret quidquam mali, datis muneribus, licentiam tribuit redeundi. At illi cum multis divitiis reversi sunt in [(d)] Castellam.

(a) In Tol. deest *et*.

(b) Compl. *verbis prudentiæ Comitis Christiani*.

(c) Tol. *barbarus*.

(d) Tol. *Castella*.

CAP. XXXV.

Quod Almahadi devicit Zuleman, et obtinuit regnum eius.

Paucis autem diebus interpositis, Alhagib Alhameri plures ex pluribus partibus congregavit, et etiam Christianos, et duos magnates, quorum [(e)] unus Armongandus, alter dictus est Veremundus; et veniens ad Almahadi, qui tunc temporis Toleti degebat, et procurato exercitu ampliori, contra Cordubam processerunt. Quod cum Zulemæ innotuisset, Cordubenses sollicitavit, ut cum eo occurrerent venienti; sed ipsi factionis solitæ non obliti, se causis frivolis excusarunt. Barbarii autem Regi dixerunt: "Pro Cordubensibus non formides, quia nos tibi usque ad mortem strenue, et viriliter assistemus." Tunc Zuleman de eorum promissione confisus, occurrit Almahadi [(f)] contrario adventanti, et procedens, fixit tentoria in loco qui Accalvatalbacar nominatur, qui distat à Corduba decem leucis, et antequam Almahadi exercitus resedisset, in eum Barbarii irruperunt, et ex eis multa millia occiderunt, adeo quod succubuisse Almahadi exercitus videretur: sed resumptis viribus, prœlium restaurarunt, et instantibus Christianis, succubuit pars Zuleman, et Zuleman cedens hostibus, fugit ad [(g)] Azafram, in qua fuerat aliquandiu demoratus, et sumpta supellectili quæ potuit asportari, [(h)] Citanam abiit fugitivus. Cordubenses autem Azafram communiter invaserunt, et eos qui fugerant, peremerunt, et cetera rapuerunt, et in civitate quidquid [(i)] Barbariorum fuerat, occupaverunt, et à Mezquita maiori lampades aureas, et coronas, catenas, et omnia alia ornamenta, vestes, et libros, quæ omnia Barbarii dimiserant, abduxerunt: et hoc bellum apud Arabes adhuc hodie est famosum, actum anno Arabum CCCCIIII: et fertur Almahadi in exercitu habuisse triginta millia Sar-

(e) Compl. *alter Armengaudus, alter dictus est Veremudus*.

(f) Compl. *à contrario*.

(g) Tol. *Acafram*.

(h) Compl. hic et alibi *Citavam*.

(i) Tol. *Barbarorum*.

Digitized by Google

Sarracenorum, et novem millia Christianorum: et inde Cordubam veniens, in Regem ab omnibus est receptus, et Issem qui Rex fuerat, ei etiam obedivit: et quia Alhagib Alhameri felicitatem huiusmodi procurarat, suo officio restitutus, omnia disponebat. Almahadi autem solo nomine præsidebat.

CAP. XXXVI.

De proditione eunuchorum, et morte Almahadi.

Et cum in Regem fuisset [a] susceptus, recepit nuncios Arabum et eunuchorum, quod eius fierent, si vellet offensas præteritas indulgere; et audita relatione, hilarior est effectus, et datis muneribus, et petitione admissa, dimisit eos: qui post paucos dies Cordubam venientes, cœperunt turbare incolas civitatis. Erat autem cum eo Raymundus quidam Comes Christianus, non ille qui fuit pater Imperatoris: qui notans scandala, et quod Rex, fretus [b] Barbariis et eunuchis, civium pecunias auferebat, et quod erga cives insolentius se habebat, præsertim cum à quopiam audivisset, quod sicut Cordubenses Barbarios extinxissent, sic conarentur Christianos et Comitem demoliri, [c] à Rege accepta licentia, quia iam pacta inita complevisset, licentiatus à Rege, ad propria feliciter est reversus. Rex autem cœpit fossatis circumdare civitatem, pacto cum civibus [d] inito, ut ipse tertiam partem civitatis, cives residuum consumarent. Interim autem Barbarii qui à cæde superstites remanserunt, civitates et villas undique infestabant, adeo quod plures fuerunt habitatoribus destitutæ. Arabes autem et eunuchi qui à Citana venerant, consilium inierunt, ut Almahadi interficerent, et restituerent Issem, olim Regem, et hoc consilium Alhagib Alhameri communicarunt. In die autem Paschæ eorum miserunt quemdam eunuchum, Hambar nomine, et cum eo alios eunuchos, qui regale præsidium occuparent, et captum Almahadi tenuerunt; et educentes Issem, olim Regem, in regali solio locaverunt, et ei Almahadi captum presentaverunt: et dixit ei: "Tu es proditor Dei et mei, quia »Sarracenos [e] interfici procurasti, »et bona eorum amitti fecisti, et »proditiones sæpius [f] tractasti." Et fecit eum per Alguazilum statim decapitari, et reservato capite, mandavit corpus à muro in plateam præcipitari, et eunuchi et alii frustatim dilacerantes, etiam in corpus exanime lanceas defigebant. Caput autem fecit per totam civitatem in lancea deportari, quod erat iucundum fere omnibus intueri, eo quod eius iniurias recolebant: et post triduum [g] quidam supplicarunt, ut infelix corpus traderent sepulturæ, quo obtento, in Mezquitæ angulo est sepultus. Caput autem misit Issem Zuleman qui Citanæ morabatur, sperans quod, eo viso, ei fieret in vassallum. Filius autem [h] Almahadi, qui Obegdalla dicebatur, erat Toleti, et à Toletanis plurimum amabatur: cui Zuleman caput receptum misit cum mille [i] Morabetinis, quod et Toletani in Mezquita sepelierunt.

(a) Tol. *receptus.*

(b) Compl. hic *Barbaris.*

(c) Compl. et Tol. *et à Rege.*

(d) Compl. *interposito.*

(e) Tol. *interficere.*

(f) Compl. *iterasti.*

(g) Compl. *quipiam.*

(h) Compl. hic et alibi *Almohadi*, sed sæpius legit *Almahadi.*

(i) Compl. et Tol. *Morabitinis.*

CAP. XXXVII.

Quod Issem secundo regnavit, et de insolentiis Barbariorum.

Almahadi mortuo, Issem obtinuit regnum suum, et fecit Alhagib Alhameri, sicut fuerat ante tempore Almahadi, et regnum pacifice stabilivit: et statuit milites per oppida, pagos, et villas, ut introitus hostium observarent, et civibus, ut essent attenti, cum clamorem invadentium peraudirent: et equitabat per civitatem, quod omnibus erat carum, eo quod vice alia regni sui ad eum accessus hominum non patebat, et quia erat [a] de regali genere habens ortum. [b] Ipse autem sic se omnibus exhibebat, ut ei obedirent, et ab omnibus amaretur; et cum per præsidium deambularet, inspiciebat loca regalium tumulorum, et cum vidisset [c] tumulum patris et avi sui, vidit tumulum in quo sepultus fuerat ille sibi simillimus Christianus, de quo superius fecimus mentionem: et ait: "Ego »[d] hanc eligo sepulturam." Barbarii autem, de quibus diximus, non desinebant Cordubæ confinia infestare: Ecigam, et [e] Carmonam, et Bethis, et [f] Sosii incolas devastare: nec Cordubenses milites ultra villam quæ secunda dicitur, et alia loca in quibus excubantium militiæ subsistebant, progredi præsumebant: et sic Barbarii insistebant, quod multa loca habitatoribus caruerunt, et relicta à profugis Barbarii occupabant, et vix aliqui in civitatem victualia inferebant: unde fuit in urbe gravis [g] caristia subsecuta, propter quam cives apud Issem dominum institerunt, ut egrediens contra eos, bello deiiceret, quorum incursus damnosa patientia tolerabat. At ipse Cordubensium [h] inconstantiam iam expertus, fingebat se internuntiis detineri, per quos sperabat eos suo dominio inclinari, et sic eos blandis sermonibus [i] illudebat. Post hæc duo eunuchi venerunt ad eum, et hi fuerant cum Zuleman, dixeruntque Regi Issem: "Scias quod illi de genere tuo Zu»leman et Barbariis [j] nunciarunt, »ut Cordubæ advenirent, quia, eis »procurantibus, obtinerent, et Zu»leman iterato regni dignitas per»veniret." Et continuo atamoribus propulsatis, civium multitudinem convocavit, et eos qui de Abenhumeye, Machometi maioris nepotis, successione processerant, fecit capi, et vinculis colligari, et bona eorum à [k] civibus occupari, et die, qui sibi fuerat assignatus, Barbarii advenerunt: pro quorum adventu inter cives magna turbatio fuit orta, et Rex armis viriliter sese accingens, cum civibus consentientibus in idipsum egressus est in occursum usque ad locum, in quo Barbarii consederunt; sed Regis adventu territi, abscesserunt. Rex autem milites misit expeditos, qui eorum vestigia observarent, sed nec consequi potuerunt. Barbarii enim à bello profugi, incursibus institerunt, nec à cædibus et incendiis cessaverunt. Rex autem speculatores et excubias in patriæ finibus stabilivit.

(a) Tol. non habet *de regali genere habens ortum.*

(b) Tol. legit *sic se hominibus.*

(c) Compl. *tumulos.*

(d) Compl. *hic eligo.*

(e) Compl. *Carmenam.*

(f) Tol. *Socii.*

(g) Al. *caritas.*

(h) Tol. *constantiam.*

(i) Al. *audebat.*

(j) Tol. *nunciautur.*

(k) Compl *alibet occupari.*

CA-

CAP. XXXVIII.

De confœderatione inter Issem et Comitem Sancium, datis castris.

His itaque ordinatis, Rex egressus est civitatem, expeditionis effigie insignitus, si posset de adversariis aliquem invenire. Omnes autem in eo belli instantiam mirabantur, quem olim viderant præsidio interclusum. Nihilominus tamen fere quotidie Barbariis nuncios destinabat, et dona plurima promittebat, si suo dominio obedirent; sed ipsi Zuleman eius adversario [(a)] confœderati, petebant pacta gravia et inepta, propter quod elegit periculum potius, quam petita. Zuleman autem de pactionibus iam desperans, ad Sancium Comitem ex Castella nuncios destinavit, spondens pecunias et honorem, si eum vellet contra Cordubam adiuvare: qui responsionis oraculum elongavit, donec Issem petitionem Zuleman insinuaret, addens se in Issem auxilium libentius adventurum, si pari remuneratione respiceret adiutorem; ita ut sex castella, quæ quondam Almanzor abstulerat, restitueret Christianis. Et cum Issem petitionem Comitis suis consiliariis intimasset, fuit petitio gravis visa; sed quia discriminis instantia perurgebat, visum fuit castella cedere, eo quod noviter acquisita, et minus utilitatis, quam oneris secum ferrent. Rex Issem petitioni Comitis acquievit, et præcepit Castella protinus sibi dari.

(a) Compl. *fœderati.*

CAP. XXXIX.

De rebellione Toletanorum, et discursu [(b)] Barbariorum.

Interea Toletani filium Almahadi, qui Obeydalla dicebatur, Regem super se elevarunt: quod cum ad Issem notitiam pervenisset, misit Alguazilum suum, ut Toletanos tamdiu obsideret, et impugnaret, donec sibi redderent civitatem: qui veniens, tamdiu eos cædibus et impugnationibus infestavit, donec, apertis ianuis, eum cum exercitu ad præsidium admiserunt; et occupata penitus civitate, Obeydalla Regem cepit, quem Regi Issem [(c)] Cordubam vivum misit, et Issem eum capite [(d)] mulctavit, et fecit in flumen præcipitari. Interim autem Barbarii Cordubam undique infestabant. Erat autem Cordubæ magna caristia, adeo ut summa panis triginta aureis venderetur. Invaluerat etiam gravis pestis, ex qua plurimi moriebantur: unde qui poterant, ad montium ardua confugiebant. Alhagib autem, qui Hua de Alhameri dicebatur, epistolari nuncio Zuleman et Barbariis [(e)] nunciavit, ac intimavit se ad eos iturum cum omnibus quæ habebat: sed hoc non latuit Issem Regem, qui, missis apparitoribus, fecit eum suo conspectui præsentari; et visis epistolis quas receperat à Zulema, iussit eum decapitari, et caput eius undique circumferri, ut qui in proditionis armario proditionis iacula occultarat, eius iudicium fieret omnibus manifestum. Cum autem Barbarii terram cultoribus denudassent, æqua penuria intrinsecos et extrinsecos opprimebat: unde

(b) Tol. *Barbarorum.*

(c) Tol. *Cordubæ.*

(d) Compl. *mutilatum fecit.*

(e) In Compl. deest *nunciavit.*

Digitized by Google

et Barbarii, relicta Corduba, Hispalim adierunt, et vias omnes vacuas viatoribus et incolis invenerunt, et intrantes loca arborum, (a) quod Axarab dicitur apud eos, vastationes et incendia exercebant. Demum Hispalim obsederunt. Tunc Rex Issem misit Zabor iustitiarum, qui apud eos dicitur Alguazilus, et quemdam alium, (b) Hambor nomine, cum bellatoribus quos potuit congregare, ut fines Hispalis tuerentur. Tunc Barbarii in adventu istorum, relicta Hispali, ad partes alias migraverunt; et Calatravam impetu invadentes, ibi victualia invenerunt, et inde cædibus et incursibus et rapinis loca adiacentia infestabant.

(a) Compl. *quæ.*

(b) Compl. *Hambar.*

CAP. XL.

Quod Zuleman Cordubam acquisivit, et de fuga Issem in Africam.

Post hæc Zuleman vocavit Mundir, qui præerat Cæsaraugustæ, et alium, qui præerat Medinæ Arfaragel, quæ nunc dicitur (c) Gualfaiara: et Barbarii, quos poterant, undique invitabant, ut Zuleman fierent in succursum, et tali pacto ad Zuleman omnes concorditer convenerunt, ut cuilibet habita remanerent; et simul convenientes, contra Cordubam properarunt, et castrametati sunt intra Azafram, et Cordubam obsederunt: et cives (d) monuit, ut ei traderent civitatem, qui acquiescere noluerunt, et ipsi urbem undique impugnarunt. Barbarii autem fossata humo et lapidibus complanabant, et ibi ex utraque parte plurimi ceciderunt, et tamen nihilominus impleverunt; et sic partem urbis, quæ Xarquia dicitur, invaserunt: sed et cives protinus erumpentes, Barbarios repulerunt, et ex eis plurimos occiderunt: et iterum ex aliis partibus impugnantes, quodam homine (e) portæ secundæ ianuam proditionaliter reserante, ingressi sunt Barbarii civitatem, et omnes stationes vendentium et domos plurimas combusserunt, et sine numero occiderunt, et pretiosa quælibet rapuerunt, et qui gladium evaserunt, se in Xarquia post gladium receperunt, et per triduum infestati, demum Zuleman dominio se dederunt. Tunc obtenta undique civitate, Zuleman præsidium est adeptus. Barbarii autem domos urbis ad libitum (f) diviserunt. Cives autem, Issem extra Cordubam deducentes, abire libere permiserunt, et ille fugiens, in Africam transfretavit.

(c) Tol. *Gualafaiara.*

(d) Compl. *movit.*

(e) Al. *pro parte.* Tol. *aperte secunde ianuam perditionaliter.*

(f) Tol. *dimiserunt.*

CAP. XLI.

De regno Zuleman, et discidiis intestinis.

Zuleman autem regno potitus, fixit Cordubæ thronum suum, et regnavit hac vice annis tribus (g) et mensibus tribus: et mansit Cordubæ in deliciis et honore usque ad diem interfectionis; Cordubenses autem in miseria, et penuria, et ærumna. Barbarii à Zuleman concorditer postularunt, ut daret eis villas et oppida, quæ hereditate perpetua possiderent: et cum essent sex cognationes, quas ipsi (h) Alcavelas dicunt, dedit unicuique certa loca perpetuo possidenda. Eunuchi autem qui Issem consue-

(g) In Compl. deest *et mensibus tribus.*

(h) Al. *Alcavelo.*

Digitized by Google

sueverant adhærere, dolebant, quia Zuleman prospera succedebant, et ideo unusquisque, ubi potuit, rebellavit. Erat autem potentior inter eos quidam, qui Hayram Alhemari dicebatur, et hic fugerat à facie Zuleman, quando Cordubam occuparunt, et dum fugeret, fuit à Barbariis graviter vulneratus, et pro mortuo derelictus. Sed quidam civis eum in domo sua clanculo occultavit, donec plenam obtinuit civitatem: alii vero eunuchi qui evaserant, obtinuerant Oriolam, quam venienti Hayram illico tradiderunt, et inde cœpit loca Zuleme, prout poterat, infestare, et congregati sunt ad eum plurimi bellatores, cum quibus à Barbariis plurima acquirebat. Et venit ad eum quidam ab Almeria, qui Abenhamit dicebatur, et se ei reddidit in vasallum cum magna multitudine (a) bellatorum. Erat enim quidam, Affa nomine, qui contra Abenhamit rebellabat in præsidio Almeriæ. Venerunt itaque Hayra et Abenhamit pariter Almeriam, et Hayram obtinuit civitatem; viginti autem diebus cum machinis præsidium impugnantes, quamvis fortissimum, expugnarunt, et Affa cum filiis suis in maris voragine proiecerunt; et felicitate (b) huiusmodi succedente, expulit Hayram Barbarios à Giennio, Beatia, et Ariona. Hayram autem diligebat Issem, et quicquid acquirebat, eius nomine acquirebat, et pro eo orationem quæ pro Regibus solet fieri, faciebat, et intendebat eum à Zuleman iniuriis vindicare. Illi autem qui ab Issem receperant villas et civitates, Hayram pro viribus adiuvabant.

(a) Compl. *pugnatorum.*

(b) Tol. *homini.*

CAP. XLII.

De regno Haly, et morte Zuleman.

Erat autem quidam, dictus Haly Abenhamith, apud Septam, quem Issem præposuerat civitati, et huic Hayram nunciavit, ut Malacam adveniret, et ut ibi Rex fieret, procuraret: qui veniens Malacam, bene receptus, continuo Rex est factus; Hayram autem Granatenses, et Murcienses, et villarum incolas aliarum, ut venirent, et Haly iam Regi Malacæ obedirent, (c) nunciavit: et Haly, (d) ut venirent quasi de negotiis tractaturi, qui et venit; et consilio habito, discesserunt, congregaturi subditos et fautores, ut contra Cordubam dimicarent: et Hayram convenit cum conciliis Murciæ et Granatæ, ut statuto die omnes concorditer convenirent: et Haly ex Malaca, Hayram ex Almeria, Gitfeya ex Granata, et concilia ex Murcia et locis aliis in campestribus Cordubæ convenerunt: et egressi sunt ad eos Zuleman cum Barbariis et ceteris incolis civitatis, et campestri prœlio inchoato, victi sunt Cordubenses, et captum Alguazilum, Abud nomine, decollarunt, et de Barbariis plurimos occiderunt. Zuleman autem cum patre et fratre Haly Regis conspectui præsentarunt. Alguazilus suus qui proditionaliter eum ceperat, duxit eum. Rex autem Haly, improperans ei proditionis culpam, eum cum patre et fratre manu propria interfecit. Erat tamen pater Zuleme homo innocens et benignus, et eius anima

(c) Compl. et Tol. legunt *et nunciavit Haly.*

(d) Tol. non habet *ut venirent.*

Digitized by Google

ma non venerat in consilium filiorum, et ideo dicitur perditus sine causa. Haly autem timebat, si Issem viveret, regno privari, et ideo Zuleman citius interfecit, quia dixerat Issem vivum. Alii [a] etiam, qui sciebant Issem vivere, dicere formidabant.

(a) Compl. *autem.*

CAP. XLIII.
De rebellione Hayram, et morte Haly.

His igitur [b] factis, vocavit ad se omnes, etiam eos qui Zuleman adhæserant, dum vivebat; et hi et alii obedierunt: et sic habuit totum regnum. Hayram autem verens, ne Haly vellet in eum aliquid machinari, reversus est [c] Almeriam et Ecigam et Granatam. Post modicum autem temporis, quia Haly non servaverat pacta quædam, Hayram indignatus, scripsit Mundar, filio Hyaye, domino Cæsaraugustæ, ut ambo contra Cordubam advenirent, et Haly à regni solio removerent: et apud Accium quæ nunc [d] Guadix dicitur, convenerunt, et inde Cordubam [e] adierunt; sed in prœlio ceciderunt, et plures ex suis gladio perierunt. Sed dissensione inter Hayram et Mundar filium Hyaye accidente, ab invicem discesserunt: Hayram autem quæsivit, si in genere Abenhumeye dignus regno posset inveniri quispiam, et invenit quemdam, qui Abderramen Almortada dicebatur, cuius mansio erat Giennii. Hic bonus, patiens, et quietus, ab omnibus amabatur: hunc Hayram cogitavit ad regni fastigium sublimare. Quod cum ad Haly notitiam pervenisset, de castro in castrum, de loco in locum Hayram sequebatur, mala irrogans sibi et suis: sed Hayram ut Abderramen præficeret, laborabat. Dum Hayram esset Giennii, nunciatum est ei, quod [f] Gilfeya de quo supra fecimus mentionem, [g] iverat contra castra quæ Hayram detinebat, et continuo Hayram insequens procedentem, fecit transitum per Guadix, et Gilfeye cum suo exercitu obviavit, et pugna commissa, Hayram exercitus fuit victus, et multi ex eis temulenta ignavia perierunt. Cumque de Hayram, quid acciderat, nesciretur, et Almeria civitas turbaretur, significavit eis se esse in Canilibus Castrovastæ, et domum in qua latuerat, nominavit. Tunc illi eum instantissime vocaverunt; et illis diebus quattuor Hayram fautoribus in conflictibus male cessit: quod Haly, factus hilarior, cum audisset, falces et alia vastationis vasa ferri præcipiens, ivit Giennium anno Arabum CCCCVIII, et cum iam vexilla et tubæ et ceteri apparatus existerent extra urbem, ipse intravit balneum, quod in præsidio habebatur, et intrarunt cum eo aliqui eunuchi, qui eum in balneo occiderunt, et continuo recesserunt.

(b) Compl. *ita factis.*
(c) Compl. ubique *Almariam.*
(d) Compl. hic et infra *Guadiex.*
(e) Tol. *exierunt.*
(f) Compl. *Zilfeia*: infra *Zelfeye.*
(g) Tol. *inerat.*

CAP. XLIV.
De regno Alcazim.

Cumque exercitus foris expectans, moræ dispendium causaretur, aliqui ad præsidium redierunt, et cum eum quærerent, in balneo mortuum invenerunt, capite conquassato. Tunc concilium civitatis præsidium observarunt, donec ve-

veniret germanus eius, Alcazim nomine, qui Hispali morabatur, quem in Regem illico elevarunt. De interfectoribus eunuchis non nisi duos pueros invenerunt, quos protinus occiderunt. Regnavit autem prima vice Alcazim annis tribus, mensibus quattuor, diebus viginti sex. Hayram autem semper instabat, ut Almortada promoverent, et misit nuncium Mundar Principi Cæsaraugustæ, et misit Citanam, Valentiam, et Dertusam, ut venirent omnes, et Abderramen Almortada obedirent: qui communiter concesserunt, et venientes Giennium, in Regem pariter promoverunt. Venientes autem, occiderunt [(a)] quotquot de Barbariis invenerunt, et à Giennio proficiscentes, Murciam adierunt, quam Rex statim acquisivit, et introivit; vidensque quod sibi prospera succedebant, cœpit [(b)] concilia civitatum diligere, et fovere, et eos qui eum receperant, honorare. Ab Hayram autem et Mundar oculos avertebat, nec ex corde recipiebat, nec, ut consueverat, honorabat; et dum quadam die causa videndi ad eius palatium accessissent, fecit eius introitum denegari, et diu exterius expectare: qui merito indignati, adinvicem loquebantur: "Merito patimur, quia »tanto studio, ut Rex fieret, pro»curavimus." Et tunc odium conceperunt. Rex autem Abderramen, collecto exercitu, ivit Granatam, et in monte qui [(c)] Secustar dicitur, fixit castra, qui distat sex leucis à Granata: et cum Granatam appropinquasset, inter viros exercitus dissensio fuit orta, et, ut dicitur, Hayram et Mundar cum Granatæ domino hoc tractarant, propter iniuriam sibi factam. Cumque Granatam Abderramen exercitus impugnaret, qui interius erant, extra congredi attentarunt; et quia dissensio exteriorum animos dividebat, sibi fugæ, adversariis victoriæ causam dedit: et fuit ibi Abderramen Mortada interfectus, et sic ingratitudinis pœnas luit, et Granatenses, prædæ copia occupata, cum capitibus occisorum Cazim Regi Cordubæ pretiosa donaria transmiserunt: et hac victoria [(d)] Alcazim recuperavit de his [(e)] quas perdiderat, plures villas. Tunc Alcazim Hispalim est profectus, et statim ibi in Regem est elevatus.

(a) Tol. *quicquid.*

(b) Tol. *consilia civitatum deligere.*

(c) Compl. *Secuste.*

(d) Compl. hic et sæpe *Cazim.*

(e) Tol. *quæ.*

CAP. XLV.
De regno Hyahye.

Cordubenses [(f)] vero nepotem Cazim, Hyahye nomine, in Regem sublimarunt anno Arabum CCCCXII; Hyahye autem blandiebatur omnibus, et se munificum ostendebat. Exinde autem ivit Malacam, ubi olim fuerat dominus, et morator; et dum esset ibi Alcazim, [(g)] ad Hispalim pernoctavit: et Cordubam veniens, secunda vice in Regem iterum est receptus, et regnavit secunda vice mensibus septem, diebus tribus, anno Arabum CD[(h)]XIV. Verum quia Barbarii à rapinis et direptionibus et iniuriis quiescere ignorabant, et stationes vendentium evertebant, cives conqueri non cessabant, [(i)] et non poterant tolerare: et quadam die, dum ad orationem [(j)] consisteret in Mezquita, insonuit vox clamoris; et ci-

(f) Compl. *autem.*

(g) Compl. *ab Hispali.*

(h) Compl. *XIII.*

(i) Tol. *sed nec.*

(j) Compl. *consisterent.*

cives, muro et turribus occupatis, cum Barbariis usque ad noctem congredi non cessarunt: et cum cives præsidium invasissent, Cazim fugiens, in urbis angulo cum Barbariis se recepit, ubi diebus aliquot [a] restiterunt, donec cives universaliter concurrentes, et plus mori, quam vivere [b] optantes, insultu acerrimo eos à loco refugii abegerunt, et eos obstinatis animis insequentes, pro magna parte cæde et interitu extinxerunt. Cazim autem, fugæ prodigus, filiis suis qui erant Hispali, intimavit, ut præpararent Barbariis mille quingentas domos de melioribus civitatis. Cumque Cazim Hispalim advenisset, civitatis ei ianuas seraverunt propter domos quas iusserat præparari: filii autem eius ad eum cum paucis complicibus exierunt. Cazim autem inde recedens, huc et illuc ferebatur incertus, donec cepit eum Hyahye, filius fratris sui, et in castro quod [c] Hanax dicitur, compedivit. Viri autem Hispalis rogaverunt quemdam iudicem Mahomath, filium Habeth, ut urbi et populo præsideret: et ille, licet invitus, eorum paruit voluntati, timens, ne forte urbi periculum immineret. Cordubenses autem fecerunt Regem quemdam, qui Abderramen dicebatur, germanum Mahomath filii Abdeliabar, qui olim regnaverat apud eos, et hoc, quia erat de genere Abenhumeye, et priori [d] statui restitui cupiebant: sed quia ante eum in Regem elegerant Zuleman Almortada, nec tamen res pervenerat ad effectum, in sua promotione Abderramen pepercit senioribus, qui consenserant in Zuleman; sed securitatis præstitæ post oblitus, seniores cepit, et carceri mancipavit. Et cum cives factum huiusmodi percepissent, carcerem adierunt, et seniores, effractis ostiis, eduxerunt, et inde ad præsidium ascen[illegible]nt, et ianuas confregerunt, ducentes secum quemdam, qui dicebatur Mahomath, et præsidium perscrutantes, invenerunt Abderramen in furno balnei latitantem, et repertum continuo occiderunt, et in quadam domo suburbii sepelierunt: et hic tantum uno mense et diebus decem et septem regnavit.

(a) Tol. *resisterunt.*

(b) Compl. *iam optantes.*

(c) Tol. *Anax.*

(d) Compl. non habet *statui.*

CAP. XLVI.

De regno Mahomath, et Hyahye, et eorum discidiis, et de Idriz.

Hoc extincto, regnavit Mahomath uno anno, mensibus quattuor, diebus viginti et duobus, anno Arabum CCCCXIV; et cum regni confinia peragraret, fama insonuit apud suos, quod pecunias et margaritas et pretiosos lapides secum ferret: et, ut hæc auferrent, mortis poculo dominum occiderunt. Et cum mortem eius Cordubæ audivissent, Hyahye, Haly filium, Regi mortuo subrogarunt: et regnavit Hyahye mensibus tribus et diebus [e] duobus; et ivit Malacham, ubi quondam fuerat commorator, et viri Malachæ se ei protinus reddiderunt. Abuz autem, Granatæ dominus, [f] Hyram et Muzeit de suorum maioribus Cordubam destinavit; et cum eorum adventum viri Cordubæ prænovissent, de his qui in urbe remanserant, usque ad mille Barbarios occiderunt: et venientes Prin-

(e) Compl. *viginti.*

(f) Compl. *Hayram, et Mugeit.*

Digitized by Google

Principes admiserunt, et Alguazilus et scriptor et familia Hyahye prorsus Malacham confugerunt; et brevi termino vix incepto, [a] Hizmael, filius Habeth, Hyahyan interfecit, et caput eius [b] Issem qui erat Hispali, destinavit. Cum autem audivisset Idriz frater Haly, de quo diximus, qui Septæ dominabatur, fratris interitum et regni [c] mutationem, Malacham cisfretavit, et obtento præsidio, Regem statuit se vocari. Ibi venit ad eum Abuz, qui Granatæ dominabatur, et Idriz ut Regi et Principi obedivit; et sumpta secum multitudine armatorum, ivit Carmonam, et inde Hispalim, ut eos Idriz dominio inclinaret, et in Alcala iuxta Hispalim resederunt, et sequenti die Trianam, quod est [d] suburbium Hispalis, combusserunt, et in castro præsidii viri Hispalis chirographum obedientiæ conscripserunt, quo Idriz in dominum receperunt: eodem modo ei se subdidit Almeria.

(a) Compl. *Hyzmel.*

(b) Tol. *Hisse.* Al. *Isse.*

(c) Tol. *imitationem.*

(d) Compl. *quasi suburbium.*

CAP. XLVII.
De schismatibus et dissidiis citra mare.

Nunc ad historiam Cordubæ revertamur. Cum Hayram et Mogeyt, occisis Barbariis, Cordubam intravissent, zelus incidit inter eos, et uterque mortem ab alio metuens præveniri, ambo Cordubam exiverunt, et ab invicem discesserunt. Cordubenses autem quemdam, qui [e] Issem dicebatur, non ille quem quondam, ad culmen regiminis elevarunt, et regnavit Cordubæ annis duobus, diebus quattuor: in Frontaria autem annis duobus, mensibus septem, diebus octo. Cordubenses vero eum pro causa huiusmodi removerunt. Habebat Alhagib, qui plus domino potens erat, et hic erga cives crudelissime se habebat; et cum esset vilis genere, vilitatem in potentia ostendebat, eo quod conditionis non immemor, in omnibus excedebat, et cum nemine concordabat, et falsis occasionibus [f] immerito offendebat, et bona civium Barbariis erogabat: unde et cives Alhagib occiderunt, et Regem à regni solio expulerunt. Quidam autem, Humeya nomine, assumpto secum iuvenum comitatu, præsidium est ingressus, et ut se Regem facerent, postulabat: et dixerunt ei: "Vides quod civitas »iam turbatur, et quod te [g] inter»ficient, formidamus" At ille respondit: "Mihi hodie obedite, et »me in crastino interficite." Ecce quanta est ambitio dominandi. Cives autem Hyssem et isti sub interminationis periculo præceperunt, ut præsidium relinquentes, se reciperent quocumque vellent, et cives adinvicem condixerunt, ut nemo de genere Abenhumeye Cordubæ remaneret. Hyssem autem valedicens filiis et amicis, ivit ad quoddam castrum, quod in montanis Cordubæ erat situm; Cordubenses vero castrum post modicum temporis obsederunt, et Hyssem captum custodiæ tradiderunt. Sed inde subiugali vehiculo noctu effugiens, Zuleman Abenhut, Regem Cæsaraugustæ, in asylum sui periculi præelegit. Qui suscipiens liberaliter, et benigne, dedit ei castrum, quod dicitur [h] Acuela, in quo deguit quoad vixit.

(e) Tol. *Hyssem.*

(f) Compl. *immeritos.*

(g) Compl. *interficiant.*

(h) Compl. et Al. *Alcuela.*

CAP. XLVIII.

De regno Almoravidum in Hispania, et de morte Abenhabeth.

Et illis diebus non fuit Rex in Hispania de genere Abenhumeya, sed unusquisque in loco cui præerat, rebellabat. Cordubenses autem, cum Regem alium non haberent, monetæ, pannorum, et (a) gemmatum litteras sub (b) Hyssem nomine conscribebant, et hic finis regni Cordubæ, quia fere in singulis locis, qui potuit, dominium usurpavit, donec (c) Monarcha Africæ, qui erat ex Almoravidis, omnia occupavit. Cordubæ insurrexit Alguazilus, nomine Iahuar, filius Mahomath. (d) Hispali insurrexit iudex quidam, qui Albucazim dicebatur, et obiit anno Arabum CCCCXXXIII. Post eum filius eius Habeth, et obiit anno Arabum CCCCLXI. Post hunc filius eius Mahomath Abenhabeth. Hic obtinuit Cordubam et alia plura loca, et satis prospere rexit terram. Postea Almoravidi, qui sunt ex Barbariis de Lutinia, huic dominium abstulerunt, cum in dominio durasset annis XXIII, et hoc fuit anno Arabum CCCCLXXXIIII. Erat autem Rex Almoravidum Yuceph, filius Tessefin. Hic prædictum Mahomat tamdiu captum tenuit, donec in vinculis vitam finivit. Hic Mahomath Abenhabeth Aldefonsi Regis qui Toletum ceperat anno Arabum CCCC(e)LXXVII, timore turbatus, contra eum Yuceph (f) Abentessefin in auxilium evocavit, sed veniens, ipsum primitus captivavit, deinde in campo Zalla, quæ prope Badalloz, cum Aldefonso Rege acriter dimicavit, quod prœlium hic omittimus, quia in historia Gothica est descriptum.

(a) Al. *Granatum*. Tol. legit *Granati*.
(b) Al. *Iessem*.
(c) Compl. hic et cap. seq. *Monarchus*.
(d) Tol. *Hispalis*.
(e) Compl. *LXVII*.
(f) Compl. *Aben Tessafin*.

CAP. XLIX.

De monarchia Yuceph citra mare et ultra mare.

Yuceph autem Abentessefin adeptus victoriam, in Africam est reversus, et quia intellexit Wandalos Arabes multis dissensionibus minoratos, assumpta maiori multitudine, cisfretavit, et totam terram Wandaliæ occupavit, et fuit Monarcha ultramarinus et cismarinus, et duravit sibi huiusmodi monarchia annis LV. ab anno Arabum CCCCLXXXIIII. usque ad DXXXIX annum, quando per Almoades dominium perdiderunt, ut superius in historia Gothica est expressum. Hic Rex Yuceph terram et populos custodivit, et omnibus iustitiam conservabat: et eos qui in particularibus præsidiis rebellarunt, tamdiu infestavit, donec suo dominio (g) subiugaret. Yahyie autem, dictus Allcadyrbille, postquam Toletum perdiderat, ivit Valentiam, quæ ad suum dominium pertinebat, et annis (h) XVI. vixit ibidem, et interfecit eum iudex quidam, qui (i) Abenahab dicebatur: postea cepit eam Rodericus Didaci Campiator, et eo mortuo, eam Almoravides occuparunt. Cæsaraugustæ (j) etiam insurrexit Mundir, filius Hyahye, et post eum filius eius Yahya Almundafar. Demum tota terra (k) illa contermina Christianis se reddidit Zuleman filio Hamath, qui Abenhath dicebatur. Hic Zuleman fuerat Alcaydus Mundir, fi-

(g) Compl. *subiugavit*.
(h) Compl *VIII*.
(i) Compl *Abenyabaph*.
(j) Compl. *enim*.
(k) C. M. S. Compl. desunt reliqua quæ in hoc postremo capite leguntur, ut suspicamur, violenter extracta.

Digitized by Google

filii Hyahye, de quo diximus. Post quem filius eius Hamath successit: post eum filius eius Yuceph: post eum filius eius Hamath, cognomine Almuztaim: post eum Abdelmelich: post eum filius eius Hamath, cognomine Almultazit. Hic amisit Cæsaraugustam, et confinia quæ habebat, et Almoravides omnia occuparunt; et in locis aliis alii rebellarunt, quos omnes Almoravides subiecerunt. Insurrexit Murciæ quidam Abderramen Abentaxeci, et tenuit eam, donec eum venientes Almoravides eiecerunt. Insurrexit Almeriæ Mohez Abdalla. XIV. annorum erat, cum insurrexit, et totam terram perdidit præter Almeriam, sed et eum Almoravides obsederunt. Et insurrexit Granatæ Abdalla, sed eam post modicum temporis Almoravides occuparunt: et ita dicitur quod eam ultimo acquisierunt. Post hæc Yuceph Abentessefin reversus est in Marrocos, quam Barbarii Almoravides in urbem regiam dilatarant, et ibi statuerunt caput regni. Isto mortuo, Haly filius eius successit in regno, et fuit inventus debilis et ignavus, nec regni confinia defendebat. Post eum regnavit filius eius Tessefin, vilis animo et virtute, et plus iniuriis quam defensione patriæ insistebat, et quia viderunt à regalibus actis alienum, in eum ubilibet insurgebant, et ubique et quilibet rebellabant, et bellis indesinentibus infestabant, et fere perdidit totum regnum. Hoc fuit anno Arabum DXXXIX, et regnum Wandaliæ LIII. annis possederant citra mare. Erat autem inter Wandalos cismarinos vir prudentia præditus, liberalis, strenuus, et benignus, qui Mahomath Abenzahath, et Rex lupus postea fuit dictus. Hic obtinuit regnum Valentiæ, et regnum Murciæ, et quæ ad ea confinia pertinebant, Lorcam, Vastam, et Guadix, et loca plurima circa ista. Christiani etiam plurima occupabant, donec venientes Almoades ab Africa et Wandalia Almoravides extirparunt. Sed quia de adventu eorum in historia Gothica fuimus prosecuti, hic nolumus iterare.

EXPLICIT HISTORIA ARABUM.

APPENDIX PRIMA.

SERIES
REGUM HISPANIÆ.

Reges.

1.

ATHAULFUS frater uxoris Regis Alarici: post huius obitum à Gothis electus: uxorem duxit Placidiam, filiam Theodosii, et sororem Arcadii et Honorii Imperatorum: proditione occisus Barcinone à Dobbio Galo anno 417.

2.

SIGERICUS electus anno 417, et eodem occisus à domesticis suis.

3.

WALIA in Hispaniis commoratus, et postremo vitæ suæ tempore Tolosæ in Galliis, ubi mortuus anno 420.

4.

THEODOREDUS electus à Gothis anno 420, et occisus anno 451 in prœlio apud campos Catalaunicos, in quo Attila Hunnorum Rex superatus.

5.

TURISMUNDUS electus anno 451, et occisus à fratribus suis Theo-

Reginæ.

1.

PLACIDIA uxor Athaulfi in obsidione et deprædatione Romæ ab Alarico facta anno 410 in captivitatem redigitur. Postea anno 414 Narbonæ nupsit Athaulfo, post cuius mortem Sigericus eam restituit Honorio. Secundò nupsit Constantio, à quo filium habuit Imperatorem Valentinianum tertium. Obiit Romæ anno 450.

THEU-

Digitized by Google

Theodorico et Federico Toloſæ in Galliis anno 454 iuxta quorumdam chronologiam.

6.

THEODORICUS frater Turiſmundi, electus anno 454. Vicit Rechiarium Suevorum Regem apud flumen Urbicum, quattuor leucis à civitate Aſturica, in loco denominato *Paramo*, quo bello extinctum fuit Suevorum in Gallæcia regnum: occiſus Toloſæ à fratre ſuo Eurico anno 467.

7.

EURICUS è Galliis venit Hiſpaniam: Pyrinæos traiiciens, obſedit Pampilonem, Cæſaraugustam, aliaſque civitates: pervenit uſque Carpetanos, ſeu Toletanam provinciam; potitus univerſa fere Heſperia noſtra: leges Gothorum collegit. Obiit Arelati in Galliis anno 483, regni ſui ſucceſſorem relinquens filium ſuum Alaricum.

8.

ALARICUS filius Eurici, deſponſatus Theudicuſæ filiæ Theodorici Oſtrogothorum Regis. Pœna mortis decrevit rebelles plecti, quos Cæſaraugustæ inſurgere ſuaſit Petrus, vulgo appellatus *Urdimalas*: iniunxit Aniano Iuriſconſulto in compendium redigere leges codicis Theodoſiani: licet Arianis favens, tamen indulſit Sancto Cæſario Metropolitæ Arelatenſi celebrare Concilium: occiſus apud Carcaſonam in bello Germanico à Clodovæo Francorum Re-

2.

THEUDICUSA uxor Alarici: pater eius Theodoricus hoc fœdere nuptiali devinctus, mortem mariti filiæ ſuæ vindicavit: Francos è Gallia Gothica expulit, eorumque regnum Gothis attribuit.

CLO-

Rege, illique successit Gesalicus filius nothus.

9.

GESALICUS filius nothus Alarici: electus Narbonæ anno 506 à Gothis qui partes Amalarici non sequebantur: occisus in Galliis apud flumen Druencium anno 510, quo tutus regnavit Amalaricus.

10.

AMALARICUS prius fuit constitutus sub tutela Theodorici Regis Italiæ: inde negotia expediebantur, et præcipue suo indulsit decreto, ut Tarraconense cogeretur Concilium. Matrimonio sibi copulavit Clotildem Catholicam, filiam Clodovæi Francorum Regis: Narbonæ occisus à militibus Childeberti fratris uxoris suæ Clotildis anno 531.

3.

CLOTILDIS uxor Amalarici, filia Clodovæi et S. Clotildis Regum Francorum: Catholica Religione præstantissima; et ob eam tuendam labores, contumelias, et ludibria innumera ab Amalarico illata, constanter est perpessa, donec à fratre suo Childeberto secum in Galliam apportata, devicto Amalarico, ipso in itinere obiit anno 531, eiusque corpus Lutetiam Parisiorum delatum, ubi iacet iuxta parentes suos.

11.

THEUDIUS, seu THEUDIS, electus anno 531: quamvis Ariana hæresi infectus, tamen nec Ecclesiæ pacem turbavit, nec Episcopis catholicis denegavit Concilium celebrare Toletanum, in quo regulæ disciplinæ ecclesiasticæ iuxta S. Isidorum fuerunt præscriptæ: à quodam se amentem simulante fuit occisus anno 548.

4.

N. uxor Theudis. Latet eius nomen, sed certo constat Hispanam et prædivitem fuisse: Catholicam Religionem professam: et non è Gothis originem duxisse, coniicitur ex bono affectu Regis viri sui Ariani erga Catholicos, quos nullo modo insectatus est.

12.

THEUDISELUS, sive THEODISELUS, electus anno 548, subsequenti Hispali occisus ab opti-

RIN-

Digitized by Google

optimatibus ab ipso ad cœnam invitatis.

13.

AGILA electus anno 549: occisus Emeritæ à suis subditis, postquam victus fuit à successore suo Athanagildo anno 554.

14.

ATHANAGILDUS electus omnium plausu et acclamatione anno 554 post mortem Agilæ: Toletum imperii sui sedem (iuxta quosdam Historiographos) constituit. Censetur Arianus, sed secreto Religionem Catholicam professum fuisse asseritur à S. Isidoro in Chronic. Goth. in editionibus Grotii, Labæi, et Magistri Florezii. Obiit in lecto suo Toleti anno 567.

15.

LIUBA I. electus anno 567. Toletum Regiam suam constituit, et regni socium adscivit Leovigildum fratrem suum. Obiit in Gallia Narbonensi anno 572, successorem regni relinquens Leovigildum.

16.

LEOVIGILDUS pacificè regnum ingressus anno 572: prius (iuxta Adonem) desponsatus Rinchildi: secundo Gosvintæ, antea uxoris Athanagildi. Filium suum Hermenegildum desponsavit Ingundi Catholicæ, eisque Hispalim ut Regiam suam donavit; verùm cum Hermenegildus Arianam hæresim abiurasset, patri exinde invisus, huius iussu Hispali fuit occisus an-

5.

RINCHILDIS uxor prima Leovigildi, filia Chilperici et Fredegundæ Francorum Regum, et mater S. Hermenegildi et Reccaredi.

6.

GOSVINTA uxor secunda Leovigildi, defuncto Athanagildo priore viro, secundò nupsit Leovigildo Regi: professione Ariana; qua de causa pravis sugge-

anno 584: funditus evertit Leovigildus Suevorum in Hispania dominium, et obiit Toleti circa finem anni 585.

HERMENEGILDUS, quamvis regia authoritate in Bœtica (ut diximus) functus, cum propter eius conversionem ad Fidem Catholicam mortem subierit, adhuc vivente patre Leovigildo, in catalogum Regum Hispaniæ sedem non habet.

17.

RECCAREDUS Rex pacificus, liberalis, clemens, piusque: ipse totaque Gothorum gens palam hæresim Arianam abiuravit in Concilio III. Toletano, cui adfuit una cum uxore sua Badona. Obiit Toleti anno 601, cum regnare cœpisset anno 586.

LIU-

gestionibus Leovigildi odium adversus Catholicos, et filium suum Hermenegildum vehementer commovit.

INGUNDIS uxor Sancti Hermenegildi, filia Sigeberti, et Brunichildis Regum Austrasiæ: tamquam uxor fidelis et Catholica Hermenegildum virum suum Arianum post nuptias anno 579 contractas fidelem Catholicum et S. Martyrem reddidit. Eo ex matrimonio natus eis fuit Athanagildus, cuius mors et sepulcrum pari modo ac matris suæ Ingundis ignoratur.

7. 8.

RINGUNTIS, et CLODOSVINDA uxores Reccaredi. Volens Reccaredus Rex sanguine Regi Francorum copulari, nuptias Ringuntis filiæ Chilperici appetiit; sed cum iter in Hispaniam Ringuntis faceret, è Tolosa patriam rediit, conscia iam obitus patris sui, tùm aliis infortuniis et laboribus commota; qua de causa Reccaredus desponsatus fuit Clodosvindæ filiæ Clotarii, quæ si pervenit in Hispaniam, perbrevi vita functa est; parvo enim tempore interiecto, invenimus Reccaredum matrimonio iunctum Badonæ.

9.

BADONA. Eius patriam, et parentes ignoramus, licet Gothicum nomen sit: tantum nobis certo constat una cum viro suo subcripsisse catholicæ professioni in Concilio III. Toletano.

HIL-

Digitized by Google

18.

LIUBA II. filius Reccaredi Regis, electus anno 601, et occisus à Witerico anno 603.

19.

WITERICUS dolo et vi electus post Liubæ necem, quam pari modo subiit, nam occisus à suis fuit ipso in prandio anno 610.

20.

GUNDEMARUS electus anno 610. Obiit Toleti anno 612.

10.

HILDAURA uxor Gundemari. Eius pietas, religio, et virtutes certo nobis constant; cetera verò, patriam, et parentes ignoramus: ab omnibus diu incolumis desiderata, obiit anno 612.

21.

SISEBUTUS electus anno 612: Iudæos è Hispaniis expulit, pluresque, ut baptizarentur, coegit: Astures, et Rucones subegit: duobus in prœliis Romanos vicit, omnia recuperans, quæ occupaverant ad oras maris Mediterranei: Tingim, Septam, vel Zeutam, aliaque oppida et castra in Africa suæ ditioni subdidit. Basilicam S. Leocadiæ extramuros Toleti extruxit. Obiit anno 621.

22.

RECCAREDUS II. Sisebuti filius, electus anno 621, eodemque obiit.

23.

SUINTILA electus anno 621, clarissimus Dux, magnus Rex, et Pater pauperum appellatus: quid-

11.

THEODORA uxor Suintilæ. Filiam fuisse fertur Sisebuti Regis, et tam pravis moribus, sicut

Oo Suin-

quidquid Imperiales detraxerant, suo regno restituit; sed in tantum à priori virtutis et clementiæ semita deflexit, ut de eius tyrannide subditi conquesti, absque ulla vi Sisenandum conclamarint Regem, et à Patribus Concilii IV. Toletani fuerit Suintila depositus, et tamquam flagitiosus damnatus.

24.

SISENANDUS electus eodem anno 631, in quo depositus Suintila: Catholicæ Religioni favit: indixit, et adfuit Concilio IV. Toletano in Basilica S. Leocadiæ. Obiit mense Martio anno 636.

25.

CHINTILA electus anno 636: suo tempore celebrari curavit in Basilica S. Leocadiæ Concilia V. et VI. Toletana, ubi à patribus conclamatus *zelo ardens puritatis fidei et celsitudinis animi:* è regno expulit Iudæos. Obiit anno 640.

26.

TULGA filius Chintilæ, electus anno 640: etsi iuvenis, moribus senex, prudens, iustus, et liberalis. Obiit Toleti anno 642 magno cum fletu, et sui desiderio; abreptus enim, quando spem magnam subditi præconceperant.

27.

CHINDASVINTUS regnare cœpit anno 642; cupiensque regnum suum ditare scriptis virorum doctrina et virtutibus præstan-

Suintila vir suus, quem Patres Concilii IV. Toletani, præside Sancto Isidoro, imprecationis et excommunicationis fulmine pariter et Theodoram perculerunt.

12.

RECIBERGA uxor Chindasvinti, non Reccesvinti: hanc opinionem tamquam probabiliorem amplectimur; contraria enim le-

Digitized by Google

stantiorum, iniunxit Eugenio Archipræsuli Toletano opus Dracontii corrigere, et augere: Romam misit Taionem Episcopum Cæsaraugustanum, ut cuncta opera S. Gregorii Magni afferret: suo tempore habitum Toleti fuit Concilium VII: obiitque anno 650.

28.

RECCESVINTUS socius in regno superstite patre suo Chindasvinto, post cuius mortem solus gubernavit: anno quinto imperii sui adfuit Concilio VIII. Toletano cum Comitibus et Proceribus regni in Basilica Prætoriensi SS. Apostolorum Petri et Pauli: licet non adfuerit, celebrare curavit Concilia Toletana IX. et X. Obiit Reccesvintus initio Septembris anno 672.

29.

WAMBA electus anno 672: sacro chrismate sollemniter inunctus Toleti à Quirico Archipræsule Toletano in Basilica SS. Apostolorum Petri et Pauli. Hac in sacra cæremonia, ait S. Iulianus, è vertice regii capitis prodiisse quemdam vaporem, fumo similem, simulque ex eo prosiliisse apem, signum absdubio virtutum Regis, et eius meliflui regiminis. Vicit Paulum tyrannum: Toletum ornavit: regnum, et Regiam dimisit, ut Deo liberius inserviret. Successorem suum Ervigium designavit sollemnitatibus, levioribus argumentis innititur, quam ut eis fidere debeamus: nam quod in epitaphio in eius laudem à S. Eugenio scripto (ut in codice Bibliothecæ Toletanæ) legitur *paro feretrum::* *Reccesvintus* mendosum credimus, potiusque legendum *Chindasvintus*, quemadmodum primo tomo in prim.part.Opusc. S. Eug. pag. 33. annotavimus.

bus, quæ in Concilio XII. Toletano referuntur. Obiit in Monasterio Pampliegæ anno 687.

30.

ERVIGIUS designatus à Rege Wamba, et huius sollemni renuntiatione electus ab optimatibus Gothorum, ut patet ex cap. 1. Concilii Toletani XII. Unctus à S. Iuliano sacro chrismate anno 680: sequenti omnium suffragiis in Concilio electus, et proclamatus: fulmine excommunicationis Patres Concilii perculerunt omnes qui ei obedire recusarent, aut contra eius vitam insidias molirentur. Adfuit Concilio XIII. Toletano, præside S. Iuliano. Sollicitudine Summi Pontificis Benedicti II. indixit Concilium subsequens XIV. ad profligandos Apollinaris errores. Regni successorem nominavit Egicam, et obiit anno 687.

13.

LIUBIGOTONA uxor Ervigii. Nomen huius Reginæ certo apparet ex canonibus quarto et quinto Concilii XIII. Toletani, in quibus denominatur: cetera desiderantur.

31.

EGICA nominatus regni successor ab Ervigio, adeptus est clavum regium anno 687: desponsatus Cixilonæ filiæ Regis Ervigii, et ipse è regia stirpe ortum duxit. Adfuit Concilio XV. Toletano in Basilica Prætoriensi SS. Petri et Pauli. Eius sollicitudine in Concilio XVI. Toletano fuit depositus Sisbertus Archipræsul Toletanus, infensus sceptro et vitæ Regis, et in Concilio XVII. regio nutu audacia Iudæorum compressa; nam Hispaniæ Iudæi cum Afris fœdissime adversus Christianos convenerant. Obiit anno 702.

WI-

14.

CIXILONA uxor Egicæ, filia Regum Ervigii et Liubigotonæ, et mater Witizæ.

N.

Digitized by Google

32.

WITIZA filius Egicæ, qui illum socium in regno fecit anno 698, et superstite Rege Egica fuit sacro chrismate inunctus anno 700. Solus regnavit etiam ante patris obitum. Suo tempore celebratum fuit Concilium XVIII. Toletanum, cui interfuerunt Episcopi supra quinquaginta, et acta deperierunt. Vivente Witiza irruit in Hesperiæ nostræ oras Ulit Saracenorum Rex, Duce Muza. Obiit 711.

33.

RODERICUS violenter in regnum ingressus anno 711: sequenti à Mauris in Bætica victus, ipseque occisus, sive captus, sive profugus, disparuit: et Arabum incursione, cædibus, cladibus, vastationibus, et horrore respersa Hispania ingemuit, iugoque Mahumeticæ servitutis deserviit partim otii causa, partim militum imperitia, et præcipue proditionibus Oppæ fratris Witizæ.

34.

PELAGIUS, exuviis gentis inclitæ Gothorum in aspera Asturum montana collectis, electus fuit prius Dux, postea Rex anno 718: filius fuit Favilæ: cuius virtute tribuendum est, ne in Hesperia nostra Christianum nomen omnino deleretur, et funditus everteretur: Gothorum regia progenies, ut ex ea paulisper post aliquot sæcula revivisceret. Vicit Mauros iuxta Cova-

va-

15.

N. uxor Witizæ. Uxorem duxisse fertur Witizam, sed illius nomen ignoratur.

16.

EGILONA uxor Roderici. Cum superstes fuisset Maurorum incursioni, viri sui devictione, seu morte apud flumen Guadalete, nupsit Abdalic Mauro filio Muzæ Ducis, ut constat ex chronic. Isidori Episcopi Pacensis authoris synchroni.

17.

GAUDIOSA uxor Pelagii. Iuxta chronic. Regis Alfonsi III. vel Sebastiani Episcopi Salmanticensis, hæc Regina denominatur Gaudiosa, simulque asseritur sepultam fuisse in Asturiis iuxta Pelagium virum suum in Ecclesia S. Eulaliæ de Velamio.

FROI-

Digitized by Google

vadongam anno 719; obiitque anno 737: sepultus in Ecclesia S. Eulaliæ de Velamio in confinio oppidi *Cangas de Onis* nuncupati, quam ædificaverat una cum uxore sua Gaudiosa.

35.

FAVILA filius Pelagii, et huius successor in regno anno 737 recognitus: construxit Ecclesiam S. Crucis apud Cangas de Onis. Dum venaretur, ab immani urso occisus anno 739, et sepultus in eadem Ecclesia S. Crucis.

18.

FROILIUBA uxor Favilæ. Ex hac Regina tamquam radice originem ducunt regiæ et imperiales familiæ Franciæ et Austriæ: filia enim eius Favinia nupsit Luifredo patri Gofredi Suevorum Ducis, qui filios habuit Hildegardam uxorem Imperatoris Caroli Magni, et Emericum à quo originem ducunt Duces Austriæ. Obiit Asturiis, iacetque in Ecclesia S. Crucis, apud Cangam de Onis, iuxta virum suum.

36.

ALFONSUS ET ERMISENDA.

ALFONSUS, cognomento Catholicus, regnum obtinuit causa matrimonii initi cum Ermisenda, sorore Regis Favilæ, et Pelagii filia: strenuus Dux, sua virtute dominium uxoris amplificavit, pluries devictis Mauris: fama conspicuus. Obiit anno 757, et iacet una cum uxore sua.

19.

ERMISENDA uxor Alfonsi I: fertur sepultam fuisse iuxta virum suum in Covadonga, ubi prœlium adversus Mauros mirabiliter obtentum à Pelagio: alii asserunt eam iacere in Monasterio S. Petri de Villanova, quod ipsa apud Cangas extruxerat.

37.

FROILA I. filius Alfonsi Catholici, in Regem electus anno 757: seditionem in provinciis Alavæ et Navarræ ortam sedavit: in Gallæcia victoriam adversus Mauros obtinuit: Ecclesiam

20.

NUNIA uxor Froilæ I. Cum Rex Froila perrexerit ad sedandum motum Alavensis provinciæ, invisit ibi Nuniam, eique postea nupsit. Propterea Alavensem fuisse non ambigitur, et à

Digitized by Google

siam Cathedralem Ovetensem construxit: fratrem suum Vimaranum vita privavit, ipsequemet eadem infausta sorte à suis dolo occisus anno 768.

à quibusdam asseritur è regia progenie Regum Navarræ originem duxisse: iacet in Ecclesia Cathedrali Ovetensi una cum viro suo, qui præfatam Ecclesiam ædificavit.

38.

AURELIUS electus in Regem anno 768: filius alterius Froilæ fratris Regis Alfonsi Catholici, vel (ut aliis placet) frater Froilæ Regis: obiit anno 774, et sepultus in Ecclesia S. Martini de Langreo, quinque leucis ab Oveto, hodie appellatur S. Martinus Regis Orelien, seu Aurelii, vocabulo corrupto.

39.

SILUS ET ADOSINDA.

SILUS matrimonio sibi copulavit Adosindam sororem Regis Froilæ, cuius iure potitus est regno: bellum adversus Mauros non gessit: in Gallæcia quosdam rebelles subegit. Obiit Praviæ in Asturiis anno 783, et inibi sepultus in Ecclesia S. Ioannis à se constructa.

21.

ADOSINDA uxor Silonis, filia Alfonsi et Ermisendæ, neptisque Pelagii: post obitum viri sui in monasterium iuxta Concilii XIII. Toletani, necnon Cæsaraugustani III. decretum se recepit: minime hoc constare asserit Marchio Mondexarensis animadversion. 116. ad Histor. Ioannis de Mariana; eius tamen venia certo nobis persuasum est, præfatam Reginam in monasterium ingressam iuxta præfata decreta, ne ignobilis et inhonora in sæculo maneret. Et post eius mortem corpus inde apportatum fuit in Ecclesiam S. Ioannis de Pravia, ut una ibi cum viro suo iaceret.

40.

MAUREGATUS vulgo fertur etiam apud quosdam Historicos filium fuisse spurium Alfonsi Catholici ex ancilla; sed Tuden-

22.

CREUSA uxor Mauregati. Eius solum nomen, et sepultura in Asturiis in Ecclesia S. Petri de Truvia nobis compertum.

OZEN-

Digitized by Google

densis affirmat fuisse naturalem ex ingenua Asture : regnum invasit, privans eo Alfonsum ab optimatibus electum : obiit anno 788, et sepultus Praviæ.

41.

BEREMUNDUS I. Diaconus, filius Froilæ : licet sacro ordine diaconatus insignitus, electus tamen fuit anno 788, et desponsatus Nunilonæ, sive Ozendæ : agnoscens se fuisse dicatum Deo, regnum dimisit Alfonso II. Casto : dein, ut privatus, in societate Alfonsi Casti ex fratre nepotis vixit usque ad annum 796, quo obiit. Eius corpus ab Alfonso Imperatore ad monasterium S. Ioannis de Corias translatum creditur.

42.

ALFONSUS II. Castus : adeptus est regnum dimissione Beremundi Diaconi : Ecclesiam Cathedralem Ovetensem refecit : suo tempore inventum est corpus S. Iacobi Apostoli : pluries Mauros vicit, et profligavit. Obiit anno 842, regni sui relinquens heredem Ranimirum I. patruelem suum.

43.

RANIMIRUS I. filius Regis Beremundi : cessione, seu nominatione patruelis sui Alfonsi Casti adeptus est regnum : insignes triumphos adversus Mauros, Normannos, et alios invasores reportavit : vias publicas latronum incursu infestas immunes reddidit, decernens furibus oculos erui. Obiit anno 850.

OR-

23.

OZENDA uxor Beremundi I. Patria, et progenitores eius ignorantur : fertur sepultam fuisse iuxta virum suum in monasterio S. Ioannis de Corias ordinis S. Benedicti, quo eius corpus è Ciella fuit allatum.

24.

BERTA, sive BERTINALDA, uxor Alfonsi II. Casti. Non abs re creditur Bertam è regia progenie Francorum originem duxisse : eius corpus iacet in Ecclesia Cathedrali Ovetensi iuxta virum suum.

25. 26.

PATERNA et URRACA uxores Ranimiri I. Paterna ante viri sui Ranimiri in regnum inaugurationem genuit Ordonium I. Obiit ante adeptam Reginæ coronam ; eiusque corpus iacet iuxta virum suum Oveti. Urraca è Castellæ provincia originem ducens, viro suo superstes fuit. Eam summis laudibus pieta-

Digitized by Google

tatis, et religionis extollunt Episcopus Tudensis, et Rodericus Toletanus: fertur obiisse Oveti anno 861, ibique sepultam fuisse iuxta virum suum.

44.

ORDONIUS successit patri suo Ranimiro: regnum victoriis protendit: Legionem, Asturicam, Tuden, et Amagiam instauravit: Mauros è Salmantica, et Cauria expulit: obiit podagræ morbo Oveti anno 866, et sepultus in Cathedrali Ecclesia, ubi cernitur eius epitaphium: ante eius obitum à vasallis præstitum fuit iusiurandum obediendi filio suo Alfonso III.

27.

NUNIA uxor Ordonii I. Latet origo huius Reginæ, eius tamen nomen certo constat plurimis ex donationibus, et privilegiis, quæ cum viro suo fecit in favorem Ecclesiarum, ut videre licet in scripturis Compostellæ, Oveti, et monasterii S. Iuliani *de Samos* in Gallæcia.

45.

ALFONSUS III. Magnus ob partas victorias nuncupatus: victor usque Conimbricam Portugalliæ pervenit: ædificari iussit permagnum templum S. Iacobi: obiit anno 910, vel alio ex tribus sequentibus, et sepultus Asturicæ: postea eius corpus Ovetum translatum, ubi iacet.

28.

XIMENIA uxor Alfonsi III. filia Garciæ Iñiguez, et Urracæ Regum Navarræ: una cum viro suo pretiosa munera obtulit, donavitque Ecclesiæ Compostellanæ, et Ovetensi. Monasterium S. Facundi ordinis S. Benedicti refecit, amplificavit, et dotavit. Obiit post virum suum, iacetque Oveti iuxta eum.

46.

GARCIA, filius primogenitus Alfonsi III, quo vivente, regnare cœpit: depopulatus est Maurorum terras usque Talaveram, quam spoliavit, et eius muros protrivit. Obiit Zamoræ absque liberis anno 913, vel 914, et inde Ovetum eius corpus translatum.

29.

NUNIA uxor Garciæ. Fertur filiam fuisse Comitis Nunii Fernandez, gubernatoris Amagiæ, unaque cum viro suo deditam fuisse erectioni, et dotationi monasteriorum, quæ vocant *de las Dueñas*, et Eslonzæ ordinis S. Benedicti apud Legionem.

47.

ORDONIUS II, frater Garciæ Re-

30.

ELVIRA uxor prima Ordonii II, fi-

Digitized by Google

Regis, et successor in regno: insignem nactus est victoriam apud oppidum S. Stephani de Gormaz: Legione construxit Cathedralem Ecclesiam, et civitatem hanc sedem suam regiam constituit: suo tempore Papa Ioannes X. approbavit ritum nostrum Hispanum, de quo certior fuit factus à Legato Apostolico Ianelo. Obiit Zamoræ, vel potius Legione, anno 924, et in Ecclesia à se inibi constructa sepultus.

filia Beremundi Gatoñez, neptis Gatonis et Egilonæ Comitum *del Vierzo*: carissima viro suo, unaque cum illo operibus piis intenta. Creditur obiisse Zamoræ anno 922. Eius corpus iacet Oveti.

31.

ARAGONTA uxor secunda Ordonii II. Fertur natam Gallæciæ, aviamque fuisse S. Rudesindi, et cum viro suo displicuisset, ab eo repudiatam: hac de causa mundum spernens, se recepit in monasterium de Salceda, provinciæ Tudensis, quod ipsa ædificaverat; ibique fama virtutis præclara, obiit in Domino.

32.

SANCIA uxor tertia Ordonii II. Cum Rex Navarræ Garcia Sanchez subsidia ab Ordonio petiisset, ut Mauros è Rivogia expelleret, cito venit Ordonius Legionis Rex magno exercitu, quo ipsemet inimicos profligavit, eisque abstulit provincias Navarræ, et Vigueræ. Hac occasione ait Sampirus Episcopus desponsatum fuisse Ordonium Sanciæ filiæ Garciæ Navarræ Regis, victoriisque comulatum, ad Regiam suam rediisse; nullaque ulterior fit Reginæ Sanciæ mentio.

48.

FROILA II. frater Ordonii II. regnavit anno uno, et duobus mensibus. Obiit Legione, et in Cathedrali Ecclesia sepultus iuxta fratrem suum. Dum viveret no-

33.

NUNILONA XIMENIA uxor prima Froilæ II, filia Sancii Abarcæ et Todæ Aznar Regum Navarræ: denominata fuit Asturiarum Regina, ut patet ex quo-

Digitized by Google

nominati fuere iudices Castellæ, Nunius Rasura, et Lain Calvus.

49.

ALFONSUS IV. Monachus, filius Ordonii Regis, et ex fratre nepos Froilæ: anno 931 regnum cessit fratri suo Ranimiro II, et monasticam vitam amplexus in monasterio S. Facundi. Obiit in monasterio *de Ruiforco* prope Legionem anno 932, ubi iacet.

50.

RANIMIRUS II, frater Alfonsi IV, cuius renuntiatione adeptus est regnum anno 931: illustris multis victoriis contra Mauros partis: cepit Matritum, et confinia usque Toletum populatus est. Obiit Legione an-

no

quodam privilegio Ecclesiæ Cathedralis Ovetensis, sed Legionis regnum nusquam obtinuit; nam vir eius morte fuit præventus anno 923, sive 924: neque Principatum Asturiarum diu sustinuerunt; Ordonius enim Rex eum occupavit post annum 13, sive 14 talis denominationis in diplomatibus.

34.

URRACA uxor secunda Froilæ II. In diplomatibus et privilegiis S. Ecclesiæ Compostellanæ, et monasterii S. Isidori *de Dueñas* Urraca subscripsit ut Regina anno 924 una cum viro suo: patria, progenitores, et mortis annus desiderantur.

35.

XIMENIA uxor Alfonsi IV. Ex quadam scriptura donationis cuiusdam monasterii factæ S. Comiti Osorio Gutierrez apparet, S. Comitem avunculum fuisse Ximeniæ, et consequenter è familia Osoriorum originem duxisse. Filium habuit Ordonium, quem appellant Pravum. Regnum Legionis occupavit, dum Sancius I. denominatus Crasus in Africam iter fecisset sanitatis causa recuperandæ, ad crasitiem corporis minuendam.

36.

URRACA THERESIA uxor Ranimiri II. Nomen et familia huius Reginæ certò nobis non constant, sed omnibus est eius comperta pietas erga monasteria quæ erexit: mater fuit duorum Regum Ordonii III. et

San-

Digitized by Google

no 950, vel 951, et sepultus in monasterio S. Salvatoris, quod erexerat, et in quo filia eius Elvira monasticam vitam degebat.

51.

ORDONIUS III, filius Ranimiri, eiusque successor omnium Episcoporum, et optimatum acclamatione: dexterrimus in disciplina militari: viriliter clavum regni tenuit adversus insurgentes. Obiit Zamoræ anno 955, aliove ex duobus sequentibus, indeque corpus eius Legionem translatum, ut una cum parente suo iaceret.

52.

SANCIUS I, frater Ordonii III, optimatum favore suffultus, thronum ascendit: licet iure hereditario ad Beremundum filium Ordonii attineret, tamen ob huius minorem ætatem, et imbecillitatem ad res Hispaniæ sarciendas Sancius electus. Cum Comes Gundisalvus, Gallæciæ gubernator, virus illi in pomo dedisset, obiit Legione anno 966, (ne-

Sancii I. et prudentissimæ, beatæ, et toto corde coniunctæ Deo Infantissæ Elviræ; ita enim eam appellant Episcopi et optimates in comitiis Legionensibus, ut ait Sampirus. Obiit Urraca anno 956, eiusque corpus iacet Oveti.

37.

URRACA uxor prima Ordonii III. filia Ferdinandi Gonzalez Comitis Castellæ, et Sanciæ Sanchez Infantissæ Navarræ: declarata nullitate huius matrimonii occasione discordiæ Ordonium inter et eius socerum, aliisque de causis, Urraca Ordonio Pravo nupsit, quo mortuo, ad tertias nuptias convolavit, et obitu tertii viri in monasterium se recepit, ibique vita functa anno 965.

38.

ELVIRA uxor secunda Ordonii III. Reiecta ab Ordonio III. Urraca, desponsatus fuit Elviræ filiæ Gundisalvi et Theresiæ Comitum Asturiarum, ex eaque filium habuit Beremundum II.

39.

THERESIA XIMENIA uxor Sancii I, filia Comitis de Monzon Ansuris Fernandez. Historici hanc Reginam cum Gotona Nuñez uxore Regis Sancii Ordoñez confundunt, sed perperam; nam Sancius Ordoñez tantum in Gallæcia, non vero in Legione regnavit. Præfata Theresia Ximenia corpus S. Pelagii Martyris è Corduba apporta-

Digitized by Google

(nequaquam verò, ut vulgò creditur, in monasterio *del Castrillo:* tom.19. Hisp.Sacræ, cap.6. num.33. et seq.) ibique iacet, sepultus iuxta parentem et fratrem suum.

53.

RANIMIRUS III. filius Sancii, post cuius mortem à proceribus Regni Legionensis fuit proclamatus, licet quinquennis, sub tutela matris suæ Theresiæ et amitæ Geloiræ. Obiit Legione anno 982, vel 984, et sepultus in monasterio S. Michaelis *de Destriana*, quod suus ædificaverat avus Ranimirus II.

54.

BEREMUNDUS II. Legione fuit proclamatus ab universis regni proceribus: cum Almanzoris irruptionem pertimescerent subditi, Ovetum transportaverunt corpora Regum, quæ Legione et Asturica erant tumulata, et in Cathedrali Ovetensi deposuerunt. Obiit podagra confectus in Vierzo anno 999, et sepultus Villæ-bonæ: inde Legionem translatum fuit eius corpus, et in Ecclesia Sancti Ioannis Baptistæ (hodie S.Isidori denominata) requiescit.

AL-

tari curavit Legionem, ubi monasterium S. Martyris advocatione extruxit, et post obitum viri sui in id se recepit; cumque præfati Martyris S. Pelagii corpus Ovetum fuisset translatum, unà cum illo in hanc civitatem migravit, ibique obiit circa finem sæculi decimi, vel initium undecimi.

40.

URRACA SANCIA uxor Ranimiri III. Nomen et cognomen huius Reginæ, eiusque sepultura in civitati Ovetensi tantum nobis certo constant: cetera desiderantur.

41.

VELASQUITA uxor prima Beremundi II. Quidam filiam fuisse Ordonii Pravi, alii Garciæ Comitis Castellæ; sed alii verosimilius asserunt filiam fuisse Ranimiri II, et à viro separatam ob cognationem quam habebant. (*Risco tom. 1. Hist. Legion. pag.231 et seq.*) Obiit post annum 1024.

42.

ELVIRA uxor secunda Beremundi II, filia Garciæ Comitis Castellæ: obitu viri sui Beremundi regnum gubernavit in minori ætate filii sui Alfonsi V; et cum is ad maiorem pervenit ætatem, Elvira in monasterium fertur se recepisse. Obiit ante annum 1028, iacetque

Le-

Digitized by Google

Legione iuxta virum suum in regio mausoleo Ecclesiæ S. Isidori.

55.

ALFONSUS V, filius Beremundi, cœpit regnare sub tutela Elviræ matris suæ. Legionem ab Almanzore eversam refecit; et in ea celebrare curavit Concilium, in quo statutæ fuerunt leges, quæ vulgò appellantur Forum Legionis. Obiit in obsidione civitatis Visei Portugalliæ sagitta transfixus die 5 Maij anni 1027, vel potius in mense Iunii anni sequentis. Corpus eius Legionem fuit deportatum, et in præfata Ecclesia S. Isidori sepultum.

43.

ELVIRA uxor Alfonsi V, filia Mendi Gonzalez, et Maioris, Comitum Gallæciæ, sub quorum cura fuit Alfonsus V. enutritus, et qui eam Regi desponsarunt. Obiit anno 1052: eius corpus iacet Legione in præfata Ecclesia S. Isidori iuxta virum et soceros suos.

56.

BEREMUNDUS III, filius Alfonsi, pius, religiosus, et castus: obiit in valle *de Tamaron* apud Carrionem anno 1037 in bello contra Reges Castellæ et Navarræ, Ferdinandum I, et Garciam sororios suos: corpus eius Legionem deportatum, et in Ecclesia S. Isidori sepultum.

44.

XIMENIA uxor Beremundi III, filia Sancii Garciæ et Urracæ Comitum Castellæ. Certo constat eius corpus iacere in præfata Ecclesia S. Isidori una cum viro suo: cetera desiderantur.

57.

FERDINANDUS I. ET SANCIA.

Causa matrimonii initi inter Ferdinandum I. et Sanciam regnum Castellæ Legioni fuit unitum: illud cessione Sancii maioris Navarræ in Ferdinandum filium suum, et Legionense, quia sine liberis decessit Beremundus frater Sanciæ: sic igitur adunatis regnis in Sancia et Fer-

45.

SANCIA uxor Ferdinandi I, filia Alfonsi V. et Elviræ, sororque Beremundi III, ante cuius obitum regnum Castellæ obtinuit Sancia; nam cum Sancius Rex Navarræ iure hereditatis Domnæ Maioris uxoris suæ, filiæ Sancii Comitis Castellæ, Comitatum hunc obtinuisset, illum cessit Ferdinando I; ita ut deinceps Comitatus Castellæ esset regnum æque ac Legionis: deno-

Ferdinando I, res christiana augeri, Religio propagari, servitus Mahometica excuti, et quasi reviviscere cuncta cœperunt. Obiit Ferdinandus Legione anno 1065, et sepultus in regia Ecclesia S. Isidori.

58.

SANCIUS I. Castellæ, et II. Legionis, primogenitus filius Ferdinandi et Sanciæ: cum pater regni divisionem fecisset, Sancio obtigit regnum Castellæ; cumque id ægrè tulisset, utpote maior natu, bellum intulit fratri suo Alfonso, eumque renuntiare Legionis regno coegit: propterea Alfonsus exul Toletum ad Regem Maurorum se recepit. Sancius obsedit Zamoram, ubi Urraca soror sua commorabatur, et inibi occisus à proditore Vellido Arnulfez anno 1072.

59.

ALFONSUS VI. Legionis, Castellæ I, frater Sancii Regis qui Alfonsum in carcerem detrusit animo oculos eruendi; sed astu sororis Urracæ è carcere eductus, ad Regem Maurorum Toleti regnantem se recepit: et ab eadem sorore conscius factus mortis Sancii, ad regnum Castellæ et Legionis fuit adscitus, et utrumque amplificavit: cepit Toletum, et alias quam plures civitates expugnavit: Toleti suo iussu inductus fuit Romanus ritus, Gothico relicto: magnus Ecclesiæ defensor, et rectissimus iudex. Obiit Toleti anno

nominati igitur Sancia et Ferdinandus Reges Castellæ, modico tempore interiecto, hereditate obtinuit Sancia Legionis regnum. Obiit anno 1067, et eius corpus iacet Legione in præfato regio mausoleo S. Isidori iuxta virum suum.

46.

ALBERTA uxor Sancii II. Nil de hac Regina præter nomen est nobis compertum.

47.

URRACA FERNANDEZ soror Sancii, et Alfonsi VI. qui ei Reginæ titulum contulit, devinctus beneficiis permagnis ab Urraca acceptis: virtutibus et animi dotibus præclara; unaque ex illustrioribus Reginis debet censeri. Obiit anno 1101. Eius corpus iacet Legione in regio mausoleo S. Isidori.

48.

AGNES uxor prima Alfonsi VI: Hispanam fuisse nobis verosimiliter persuasum. Obiit anno 1078, ferturque eius corpus iacere in monasterio S. Facundi ordinis S. Benedicti in diœcesi Legionensi.

49.

CONSTANCIA uxor secunda Alfonsi VI, filia Roberti, et Ermengaudæ de Semur Borgoniæ Ducum, antea uxor Hugonis II. Comitis Cabillonensis. Eius præcipue suasu ritus Gothicus Toletanus, seu Muzarabicus in Hispania abolitus, et Romanus in

no 1109 omnium mœrore. Corpus eius iacet in monasterio S.Facundi, quo fuit apportatum.

UR-

in eius locum suffectus. Obiit anno 1093. Iacet eius corpus in prædicto monasterio diœcesis Legionensis iuxta virum suum.

50.

BERTA uxor tertia Alfonsi VI. Quidam asserunt fuisse natam in Galliis, alii autem in Etruria; sed re vera progenitores, patria, et dies obitus ignorantur: tantùm constat iacere eius corpus in præfato monasterio S. Facundi una cum viro suo.

51.

ELISABETH uxor quarta Alfonsi VI. In epitaphio huius Reginæ, quod extat in regio mausoleo Legionensi S. Isidori, legitur filiam fuisse Ludovici Regis Francorum, et diem suum clausisse anno 1107; sed in præfato monasterio S. Facundi asseritur, non levi fundamento, eius corpus iacere cum anterioribus uxoribus Alfonsi VI.

52.

AGNES BEATRIZ uxor quinta Alfonsi VI. Nominibus Agnetis et Beatricis usam fuisse nobis persuasum, et hoc modo gravissimis difficultatibus extricamur. Filia fuit Guidonis et Mateodæ, seu Matildis, Ducum Aquitaniæ: viro suo Alfonso VI. superstes, rursus in patriam suam se recepit. Habuit etiam Alfonsus iuxta Rodericum Præsulem Toletanum, et alios Scriptores aliam uxorem filiam Beneveti Regis Mauri Hispali regnantis, quæ baptizata est nomine Mariæ Elisabeth,

et

et alio cognomine Zaida appellata, et in regio mausoleo Legionensi in eius sepulcro uxor denominatur. Sed alii inter legitimas, et primi ordinis uxores eam renuunt adnumerare, utpote Arabem, et ad secundi ordinis uxores eam ablegant.

53.

URRACA Regina, filia Alfonsi VI. et Constanciæ: primo nupsit Raymundo filio Comitum Burgundiæ; postea Alfonso I. Regi Aragoniæ: cumque exinde permagnæ exortæ fuissent lites et discordiæ, fuit declaratum tamquam incestuosum hocce matrimonium. Obiit anno 1126, eiusque corpus iacet in regio mausoleo Legionensi S. Isidori.

54.

SANCIA, filia Urracæ et Raymundi, soror Alfonsi VII. qui eam Reginam appellare decrevit: eius pietas, religio, et prudentia in monasteriis à se erectis apparet, necnon in epitaphio quod in eius sepulcro hodiedum cernitur. Obiit anno 1159, iacetque in præfato regio mausoleo Legionensi S. Isidori.

60.

URRACA et ALFONSUS VII. eius filius. Cum sine liberis decessiset masculis Alfonsus VI, hereditate primo potita est regno Urraca eius filia; et postea Alfonsus VII. huius filius primogenitus: qui Legione sollemni

55.

BERENGARIA uxor prima Alfonsi VII, filia Raymundi III. decimi Comitis Barcinonensis, et Dulcis Comitissæ Provinciæ: castitatis cultrix, veritatis amans, Dei timore plena, et pauperum et orphanorum patrona: obiit an-

Digitized by Google

mni pompa et apparatu coronam Imperatoriam totius Hispaniæ accepit anno 1135: obiitque anno 1157 in portu *de Muradal* apud Navas de Tolosa, unde corpus eius Toletum fuit deportatum, et requiescit in maiori capella S. Ecclesiæ Toletanæ.

61.

SANCIUS II. Castellæ, filius Alfonsi et Berengariæ, cognominatus Desideratus; natus etenim iam quinque transactis annis matrimonii parentum suorum, brevique obiit, sui desiderium relinquens, anno 1158. Corpus iacet sepultum in capella maiori S. Ecclesiæ Toletanæ iuxta parentem suum.

62.

ALFONSUS VIII, filius Sancii, Bonus merito cognominatus: Concham, et alias civitates è Mauris recepit. Insignis tamen et eius præcipua adversus Arabes memoratur victoria apud Navas Tolosæ obtenta anno 1212. Obiit in oppido Garci-Muñoz apud Arevalum anno 1214, et sepultus in monasterio Burgensi monialium Cisterciensium, quod

anno 1149, eiusque corpus iacet Compostellæ.

56.

RICA de Polonia uxor secunda Alfonsi VII, filia Ladislai II. Ducis Poloniæ, neptis Boleslai III, et mater Infantis Ferdinandi iacentis in monasterio Toletano S. Clementis monialium ordinis Cisterciensis: creditur perdurasse matrimonium cum Alfonso VII. ab anno 1153 usque ad 1157, in quo, defuncto Alfonso, Imperatore cognominato, è Regno Hispaniæ egressa, ad ulteriores transiit nuptias. Itaque memoria eius in Hispania deperiit.

57.

BLANCA uxor Sancii Regis III. Legionis, et II. Castellæ, filia Garciæ VI. et Margaritæ de Perche Regum Navarræ, proneptisque Ruderici Diaz de Bivar, vulgo *Zid* denominati. Cum in lucem edidisset Alfonsum VIII. anno 1156, ipso in partu vita functa, sepelitur in regio monasterio Naxerensi ordinis S. Benedicti.

58.

ELEONOR Angliæ uxor Alfonsi VIII, filia Henrici II. Regis Angliæ, aviaque duorum SS. Regum, Ferdinandi Regis Hispaniæ et Ludovici Francorum: ipsa hortante, Alfonsus vir eius ædificare iussit regium monasterium *de las Huelgas* sanctimonialium ordinis Cisterciensis; necnon Toleti erigi curavit altare in honorem S. Thomæ

Digitized by Google

quod vocant *de las Huelgas*, ab illo, ut dicitur, erectum, vel ſaltem ditatum, et ampliori fabrica ornatum.

63.

HENRICUS I. Caſtellæ, filius Alfonsi. Prius bene regnare cœpit sub tutela matris, et sororis suæ Eleonoræ, et Berengariæ; postea perperam sub tutela Comitis Alvari Nunii de Lara: adhuc decimo quarto suæ ætatis anno non expleto, obiit Palenciæ anno 1217: iacet eius corpus in præfato monasterio *de las Huelgas*: eiusque obitu hereditate accepit regnum soror eius Berengaria, quæ postea regnum filio suo S. Ferdinando cessit.

64.

FERDINANDUS II. Legionis, filius Imperatoris Alfonsi VII, et Berengariæ: gubernacula regni Gallæciæ tenuit adhuc superstite patre, illique successit in regno Legionis. Obiit in oppido Benavente anno 1188. Inde eius corpus Compostellam translatum, ubi iacet iuxta matrem suam Berengariam.

mæ Cantuarienſis concivis sui post octo annos à die martyrii. Obiit anno 1214. Eius corpus iacet in præfato regio monasterio *de las Huelgas* prope Burgos.

59.

MAFALDA uxor Henrici I, filia Regum Portugalliæ Sancii I. et Dulcis, et soror S. Theresiæ, de qua postea. Cum nondum Henricus I. duodecimum ætatis suæ annum supergressus fuisset, nupsit Mafaldæ consanguineæ suæ absque impedimenti dispensatione; qua de causa ab Innocentio III. nullitate matrimonii declarata, regressa est in Portugalliam, ibique Deo se vovit in monasterio, in quo percelebris fama sanctitatis vixit usque ad annum 1256, sive 1257, statimque ab illius obitu Beata denominari cœpit. Demum hoc anno 1792 Apostolica Sedes approbavit cultum immemorabilem huic ancillæ Domini exhibitum.

60.

URRACA Portugalliæ uxor prima Ferdinandi II, filia Regum Portugalliæ Alfonsi I. et Mafaldæ Sabaudiæ: etiam coacta est, à viro suo Ferdinando propter impedimentum consanguinitatis discedere, licet iam ei liberum edidisset Alfonsum IX. Sanctimonialis S. Ioannis postea effecta, vixit usque post annum 1188. Eius corpus iacet in cœnobio Bambæ eiusdem ordinis prope Vallisoletum.

61.

THERESIA uxor secunda Ferdinandi II. Creditur filiam fuisse Comitum Nunii de Lara et Theresiæ Fernandez de Traba, licet Archiepiscopus Rodericus, et Lucas Tudensis alios ei assignent parentes. Obiit anno 1180, iacetque in regio mausoleo Legionensi S. Isidori.

62.

URRACA DE HARO uxor tertia Ferdinandi II, filia Comitum Lupi Diaz de Haro domini Cantabriæ, Naxeræ, et Haro, et Aldonzæ Ruiz de Castro. Viro suo defuncto, Religionem est professa Ordinis Cisterciensis in monasterio *de Vileña*, quod ipsa prope Burgos erexerat, et propriis dotaverat bonis: iacet eius corpus in capella maiori præfati monasterii.

63.

S.THERESIA uxor prima Alfonsi IX, soror Beatæ Mafaldæ: ob virtutum, et miraculorum famam Beatorum albo à Clemente IX. adscripta: postquam à viro suo discessit, se recepit in monasterium Cisterciense *de Lorbaon* prope Conimbriam: sanctitate conspicua, in eo vitam duxit ad annum usque 1250, quo obdormivit in Domino, iacetque eius corpus in præfato monasterio.

64.

BERENGARIA uxor secunda Alfonsi IX. Hanc magnam Reginam alii Sanctam ut Theresiam

65.
ALFONSUS IX. ET BERENGARIA.

ALFONSUS IX, filius Ferdinandi et Urracæ Portugalliæ, prius desponsatus S.Theresiæ; et nullitate huius matrimonii decreta ob impedimentum consanguinitatis non dispensatum à S. Pontifice, postea matrimonio copulatus Berengariæ, quæ hereditate regnum Castellæ obtinuit, et ex ea filium habuit S. Ferdinandum, et ex alia Venerabilem Sanciam Alfonsi, cuius corpus iacet Toleti in regio conventu S. Fidei ordinis equestris S. Iacobi: strenue adversus

Digitized by Google

sus Mauros dimicavit. Obiit anno 1230 in oppido Villæ novæ *de Sarria*, et eius corpus sepultum Compostellæ iuxta parentem suum.

66.

S. FERDINANDUS III, filius Alfonsi IX. et Berengariæ, natus anno 1198, seu 1199, proclamatus Vallisoleti Rex Castellæ anno 1217, et cessione matris suæ regnum Legionis adeptus post obitum patris sui Alfonsi. Rex Castellæ inauguratus, insignes victorias adversus Mauros reportavit: recuperavit Regna Cordubæ, Murciæ, Giennii, et Hispalis: Regem Maurum Granatæ vectigalem fecit. Ecclesiam Toletanam, Hispalensem, Burgensem, Asturicensem, Auriensem, et alias miro opere extrui curavit. Obdormivit in Domino Hispali anno 1252, et à Clemente X. Beatorum fastis adscriptus anno 1671. Eius corpus iacet Hispali in regia capella Metropolitanæ Ecclesiæ.

AL-

siam denominant, alii sanctissimam feminam, alii mirabilem virtutum exemplo, alii heroinam incomparabilem, alii denique dexterrimam et rectissimam administram pacis et belli: hoc brevi compendio egregia eius facta compilantur. Filia fuit primogenita Alfonsi VIII, et mater S. Regis Ferdinandi. Obiit circa annum 1246 in monasterio Burgensi *de las Huelgas*, ubi iacet, meritis, et egregiis facinoribus præclara: imaginem sui in filio Ferdinando nobis reliquit.

65.

BEATRIX Sueviæ uxor prima S. Ferdinandi, filia Philippi Ducis Sueviæ, Imperatoris Germaniæ, Romanorumque Regis electi: flagrans odore virtutum, vitam duxit usque annum 1235, quo obiit in civitate Tauri, unde corpus eius fuit delatum in prædictum monasterium *de las Huelgas*, donec Alfonsus Sapiens, eius filius, illud transtulit Hispalim, ubi requiescit in regia capella iuxta S. virum suum Ferdinandum.

66.

IOANNA uxor secunda S. Ferdinandi, filia Simonis Comitis Dammartini, et Mariæ Comitissæ Pontivensis, (non Pictaviensis) proneptis Ludovici VII. Regis Francorum. Macte animi femina, virum suum S. Ferdinandum in bello adversus Mauros pluries fuit comitata; primaque ex Reginis Catholicis, post Hispalim è Mauris recuperatam, nomen, et rem

Hi-

Digitized by Google

Hiſpalenſis Reginæ eſt adepta. Viro ſuo deſtituta, in Franciam ſe recipiens, commorata fuit Abbevillæ, ubi ad ſecundas tranſiit nuptias. Obiit anno 1268.

67.

ALFONSUS X. Imperator, Toleti natus, filius primogenitus S. Regis Ferdinandi, Sapiens cognominatus: qui à puero litteris optimè imbutus, ſapientia ceteros antecelluit. Leges Partitarum ſtatuit: Tabulas Aſtronomicas, quas vocant Alfonſinas, ordinavit: necnon chronicam generalem ſcripſit, vel ſaltim ſcribi fecit ab Archidiacono Toletano Gaufrido Loaysa, ut exiſtimat eruditus vir Raphael Floranes in diſſertatione quam prelo paratam ſe habere dicit in pag. 421. chronic. Alfonſi VIII. edit. Matrit. ann. 1783. E Mauris plures civitates recepit; et iugum Mahometicum fere ab Hiſpaniis excuſſit. Electus Imperator Germaniæ. Obiit Hiſpali anno 1284, eiuſque corpus ibi iacet in Eccleſia Cathedrali Metropolitica iuxta parentem ſuum.

67.

VIOLANTIS Aragoniæ uxor Alfonſi X, filia Iacobi I. et Violantis Ungariæ Regum Aragoniæ: calliditate et aſtu in gerendis negotiis percelebris. Viro ſuo ſuperſtes poſt relictam ex eo illuſtrem progeniem, Romam iter fecit anno iubilæi à Bonifacio VIII. indicto: Hiſpaniam rediens, obiit in oppido *de Roncesvalles*, ubi iacet.

68.

SANCIUS IV, filius ſecundo genitus Regis Alfonſi. Toleti ſollemni pompa accepit coronam regni è manu Archiepiſcopi Toletani, præſentibus Epiſcopis Burgenſi, Conchenſi, et Caurienſi; prævaluit enim contra Infantes de la Cerda. Obiit Toleti anno 1295, eiuſque corpus iacet in Eccleſia maiori Toletana in cornu Evangelii.

FER-

68.

MARIA ALFONSA de Molina uxor Sancii IV. Hanc Reginam magnam omnes appellant, et Rodericus Palentinus inclitam, piam, religioſam, et ſanctam: æmulata eſt namque, ſi non auxit, cumulum virtutum, quibus fuit ornata eius avia Berengaria. Quaſi navis iactata procellis et tempeſtatibus trium Regnorum perquam commotorum, veluti ru-

Digitized by Google

rupes fortissima, stabilis permansit in medio mari adversus contumelias mariti, adversus ingratitudinem filii, et adversus innumeros proditores, qui rectissimum et prudentissimum eius gubernium offuscare intenderunt. Obiit anno 1321, eiusque corpus iacet in monasterio Vallisoletano *de las Huelgas*.

69.

FERDINANDUS IV, filius Sancii, et magnæ Reginæ Mariæ, sub cuius tutela feliciter regnavit; sed ea solutus, et devians à consiliis prudentissimæ matris, iuvenili ætate abreptus illecebris, et pravis opinionibus asseclarum, cœpit eis nimis indulgere. Obiit anno 26 ætatis suæ, anno 1312, intra diem præscriptum ab equitibus *de Carvajal*, quos inauditos morti damnaverat. Eius corpus iacet Cordubæ.

69.

CONSTANCIA Portugalliæ uxor Ferdinandi IV, filia Dionysii et S. Elisabethæ Regum Portugalliæ: viro suo unius tantum anni tempore superstes, parumper regnavit. Obiit in oppido S. Facundi diœcesis Legionensis, quin aliam sui reliquerit memoriam; socrus enim eius magna Maria omnium admirationem in se rapiebat.

70.

ALFONSUS XI. novem annis sub tutela magnæ Reginæ Mariæ aviæ suæ fuit constitutus; patre enim Ferdinando, dum unius anni esset, fuit orbatus: expleto ætatis suæ decimo quarto anno, cœpit solus regnare; et extinctis regni turbationibus, fœdere se Regi Portugalliæ copulavit ad prœlium iuxta flumen salsum, in quo perillustrem victoriam est consecutus una cum Rege socio: volensque Alfonsus capere castrum *de Gibraltar*, illud obsedit; et cum pestis in castris grassaretur, ea in-

70.

CONSTANCIA EMMANUEL sponsa Alfonsi XI, filia Infantis Ioannis Emmanuelis nepotis S. Regis Ferdinandi, et Constanciæ filiæ Iacobi II. Regis Aragoniæ: duodecimo ætatis suæ anno adhuc non expleto, tum teneræ ætatis causa, tum discordiarum, quæ inter generum et socerum exortæ fuerunt, Constancia patri suo integra, et inviolata fuit reddita: deinceps Petro Regi Portugalliæ desponsata, inter Reginas illius regni etiam locum obtinet. Obiit in oppido *de Santaren* anno 1345, eius-

Digitized by Google

infectus, obiit in obsidione anno 1350. Iacet Cordubæ iuxta parentem suum.

eiusque corpus iacet in Ecclesia S. Francisci.

71.

MARIA Portugalliæ uxor Alfonsi XI, filia Alfonsi IV. et Beatricis Castellæ, Regum Portugalliæ; sed cum illi secundo gradu consanguinitatis coniuncta esset, et huius impedimenti dispensationem non obtinuissent, postea Ioannes XXII. eis benigne indulsit, imposita pœnitentia erigendæ Collegialis Ecclesiæ. Obiit Regina anno 1357, eiusque corpus iacet Hispali in regio monasterió S. Clementis.

71.

PETRUS, filius Alfonsi et Mariæ Portugalliæ: eius fama variis coloribus ab historicis depingitur: occisus anno 1369 in campo *de Montiel* à consanguineo fratre Enrico. Eius corpus iacet Matriti in regio conventu monialium S. Dominici.

72.

BLANCA BORBONIA uxor Petri Regis. Hæc infelix Regina, optimorum parentum Petri I. Ducis Borbonii, et Elisabethæ Valesiæ iunioris filia, infausto fine obiit Assidoniæ iussu viri sui anno 1361, et Historici in varias abeunt sententias: quidam occisionis causam defendunt, alii reprobant. Nos in favorem Reginæ propendimus, eiusque famam sartam tectam incolumem servari debere potius, quam Regis iudicamus. Iacet corpus Reginæ in Ecclesia Collegiali Tudelæ *de Navarra*.

73.

MARIA DE PADILLA inter Reginas Hispaniæ enumeratur; in comitiis enim Hispalensibus celebratis anno 1362 post mortem Mariæ, testificante Rege, sollemniter declarata fuit legiti-

EN-

tima illius uxor: filia Didaci Garciæ de Padilla, et Mariæ de Hinestrosa. Eius corpus iacet in regia capella Hispalensi.

74.

IOANNA DE CASTRO, filia Petri de Castro, cuius matrimonium cum Petro Rege improbavit Innocentius VI. Regi iniungens, ut Reginæ Blancæ copularetur: licet præfata Ioanna ab Episcopo Salmanticensi Ioanne Lucero fuerit in oppido *de Cuellar* sollemniter desponsata, eamque ob causam inter Reginas à quibusdam adnumeretur, tamen rem suo in statu relinquimus. Obiit Ioanna anno 1374, eiusque corpus iacet Compostellæ.

72.

ENRICUS II, filius Alfonsi XI. et Eleonoris de Guzman: potuit in Regem proclamari Burgis anno 1366; sed pacifice non est regno potitus, nisi post occisum Petrum consanguineum fratrem in oppido *de Montiel*, ubi monasterium erexit, in quo duodecim Religiosi orarent Deum pro anima fratris sui Petri Regis. Toleti capellam quam Regum novorum vocant, erexit, et ditavit. Obiit in civitate Calceatensi anno 1379, eiusque corpus Toletum fuit apportatum, ubi iacet in regia præfata capella.

73.

IOANNES I, filius Enrici II. et Ioannæ de Emmanuel: suo tempo-

75.

IOANNA EMMANUEL uxor Enrici II, filia Ioannis Emmanuelis nepotis S. Ferdinandi, et Blancæ de la Cerda et Lara, filiæ Ferdinandi de la Cerda pronepotis S. Regis Ferdinandi, et Ioannæ de Lara, vulgo appellatæ *la Palomilla*, antea uxoris Enrici, filii S. Regis Ferdinandi et Beatricis Sueviæ. Obiit Salmanticæ anno 1381, eiusque corpus iacet in regia capella Regum novorum S. Primatis Ecclesiæ Toletanæ iuxta virum suum Enricum II.

76.

ELEONOR Aragoniæ uxor prima Ioannis I, filia Regum Arago-

Rr

pore plura in Hispaniis celebrata fuerunt Concilia, ad decernendum cuinam ex duobus electis Pontificibus, Urbano, vel Clementi, obedientia deberetur præstari; nam in ancipiti iudicio hærebat res: in quibusdam Conciliis Urbano, in aliis vero Clementi obediendum esse fuit decretum. Filium suum primogenitum decorabit titulo Principis Asturum. Statuit ut deinceps modus Æræ Cæsaris computandæ abrogaretur, et annus Incarnationis Christi Domini apponeretur. Obiit Compluti anno 1390, eiusque corpus iacet in prædicta capella Regum novorum iuxta parentem suum.

74.

ENRICUS III, filius Ioannis I. et Eleonoris Aragoniæ: in Regem proclamatus undecimo ætatis suæ anno, licet regni habenas solus non rexerit usque ad annum 14: cognominatus fuit infirmus; à decimo enim septimo ætatis suæ anno plurimas et gravissimas infirmitates est perpessus; iisdemque exhaustus, obiit Toleti vicesimo septimo ætatis suæ, anno 1407, eiusque corpus iacet in præfata capella Regum novorum.

75.

IOANNES II, filius Enrici III, cuius morte infans relictus: illius no-

goniæ Petri IV. et Leonoris Siciliæ eius tertiæ uxoris, et mater Infantis Ferdinandi vulgo *de Antequera* secundo geniti, postea Regis Aragoniæ, avi Regis Catholici Ferdinandi: obiit partus causa anno 1382 in villa *de Cuellar*, eiusque corpus iacet in præfata regia capella Regum novorum S. Ecclesiæ Toletanæ iuxta virum suum.

77.

BEATRIX Portugalliæ uxor secunda Ioannis I, unica filia Regum Portugalliæ Ferdinandi et Eleonoris Tellez de Meneses: regnum Portugalliæ, quod illi hereditate obvenerat, amisit, devicto, et profligato viro suo in prœlio *de Aljubarrota*. Obiit Vallisoleti anno 1386, eiusque corpus iacet in monasterio ordinis Beatæ Virginis de Mercede eiusdem civitatis.

78.

CATHARINA DE ALENCASTRE uxor Enrici III, filia Ioannis Ducis Lecestriæ, avi Regis Ioannis II. et pronepotis Mariæ de Padilla, et Constanciæ. Obiit Vallisoleti anno 1418. Eius corpus iacet Toleti in regia capella Regum novorum iuxta virum suum.

79.

MARIA Aragoniæ uxor prima Ioannis II, filia Ferdinandi, vulgo

nomine regnum gubernarunt eius mater Eleonor Aragoniæ, et Infans Ferdinandus, qui cepit Antiquariam, vulgo *Antequera.* Expleto decimo quarto ætatis suæ anno regni gubernacula accepit in Matritensibus comitiis anno 1419. Cum eius privatus Alvarus de Luna fere clavum regni solus teneret, exinde exorta dissidia, et regni turbatio: Alvarus capite fuit truncatus, et regni provinciæ propter nimiam Regis docilitatem, licet re vera esset litterarum et iustitiæ cultor, ad summum rerum discrimen devenerunt. Obiit Vallisoleti anno 1454, eiusque corpus iacet apud Burgos in monasterio Carthusianorum *de Miraflores.*

76.

ENRICUS IV, filius Ioannis II. et Mariæ Aragoniæ: prosperitate gaudens initio regni, adversitates tamen, post transactos decem priores felices annos, infaustos postremos reddiderunt suo tempore decidit maxime regia potestas; ipso enim superstite in Regem fuit proclamatus frater suus Alfonsus, et ipsemet Enricus in patibulo regiis

go *de Antequera*, et Eleonoris Urracæ Castellæ, filiæ Alfonsi XI. et Eleonoris de Guzman: fortiter restitit viro suo, ne prævaleret Alvarus de Luna; hacque de causa veneno periisse, creditur, in oppido *de Villacastin* anno 1445. Eius corpus iacet in regio monasterio Gualupensi ordinis S. Hieronymi.

80.

ELISABETHA Portugalliæ uxor secunda Ioannis II, filia Ioannis Infantis Portugalliæ secundo geniti Regis Ioannis I. Portugalliæ, et Elisabethæ de Barcelos: eius suasu et industria in carcerem fuit coniectus Comestabilis Alvarus de Luna, privatus Regis: præcipua gloria huius Reginæ censetur matrem fuisse magnæ Reginæ Catholicæ Elisabethæ: obiit in villa *de Arevalo* anno 1496 post transactos quadraginta duos annos castæ viduitatis, et amentiæ in quam inciderat, ex quo virum suum carissimum amisit. Eius corpus iacet in monasterio Carthusianorum *de Miraflores* apud Burgos iuxta virum suum.

81.

BLANCA Navarræ uxor prima Enrici IV, filia Regum Navarræ Ioannis II. et Blancæ: nuptiarum sollemnitate, maiori qua assolebat pompa, peracta, et transacto tempore, à viro suo discedere fuit compulsa propter impotentiam respectivam. Cum hereditate postea regnum obtinuisset Navarræ, illud cum vita simul amisit anno 1464 ma-

ni-

giis insignibus fuit spoliatus: maxima in pauperie constitutus, supellectili et hereditate sua divenditis. Obiit Matriti anno 1474, eiusque corpus iacet sepultum in monasterio Hieronymiano Guadalupensi.

77.

FERDINANDUS V. ET ELISABETHA.

Fœdere matrimonii Elisabethæ Re-

nibus Comitissæ de Fox sororis suæ in custodia castri *de Ortes* in Bearne. Iacet eius corpus in Ecclesia Cathedrali *de Lescar*.

82.

IOANNA Portugalliæ uxor secunda Enrici IV, filia Regum Portugalliæ Eduardi, et Eleonoris: infortunia plurima, etiam honoris et famæ læsionem perpessa, post mortem viri sui ad meliorem frugem et animi quietem se recepit. Obiit anno 1475, iacetque eius corpus in magno conventu Matritensi S. Francisci.

83.

IOANNA denominata Excellens domina. Desunt hucusque autentica testimonia, ut eam non ex legitimo matrimonio procreatam asseramus, immo iterato in comitiis regni fuit proclamata, et iureiurando declarata ut vera et legitima filia regno succedens. Hoc primo contigit in ipsius baptismate, et secundo, quando fuit desponsata Duci de Berris: iis accedit sollemne iuramentum matris suæ et Regis in ipso actu desponsationis asseverantis legitimitatem suam, ita ut omnis suspicionis nota à sua Regina matre debeat arceri. Obiit Conimbriæ monialis professa in monasterio ordinis S.Claræ.

84.

ELISABETHA Catholica uxor Ferdinandi V. Post religiosam professionem Ioannæ superius memoratæ anno 1480 remansit

Digitized by Google

Reginæ Castellæ et Ferdinandi filii Ioannis II. Regis Aragoniæ et Siciliæ, copulatis hisce regnis, miro incepit ordine Hispania inclarescere, regia potestas emicare, superbiæ nobilitatis obviam iri, iustitia administrari; ita ut eorum prudentia, religione, et constantia Hesperiæ nostræ regnum ad maximum fastigium fuerit evectum. Obiit Ferdinandus in oppido *de Madrigalejo* anno 1516, eiusque corpus iacet in regio mausoleo Granatensi. Ferdinandus, inquit Mariana, iustitiæ cultu, prudentiæ laude, animique præstantia excellentior omnibus Principibus qui unquam in Hispania extiterunt.

sit Elisabetha firmissimo et insuperabili iure ad coronæ Castellæ successionem, et re vera suis heroicis virtutibus digna præsertim ad clavum regni tenendum, naturæ dotibus prædita, magnanimitate, prudentia, et politia gubernandi, rectitudine legislatoris, probitate boni civis, vigilantia, et rectitudine Senatoris, et incomparabali virtute Regis, Ducis, bellatricisque præclarissimæ eminebat: collaudent alii Alexandri triumphos, Titi humanitatem, Iulii Cæsaris in re militari peritiam, Senatus Consulti Romani responsa; nobis sat sit unam Reginam habuisse Catholicam in fide, victricem in expugnatione Granatæ, novique orbis Americæ, prudentem gubernatricem, humanissimam dominam, laboriosissimam feminam, et fidelem comitem sponsi sui Ferdinandi in secundis adversisque rebus. Obiit Metimnæ campi anno 1504, eiusque corpus iacet in regio mausoleo Granatensi, quod ipsa sibi et viro suo, ut etiam post mortem una requiescerent, paraverat.

78.
PHILIPPUS I. ET IOANNA.

Philippus filius Imperatoris Maximiliani I. fœdere matrimonii cum Ioanna filia herede Regum Catholicorum regnum Hispaniæ obtinuit. Toleti prius ambo fuerunt conclamati Asturiarum Principes anno 1502, et

85.

IOANNA uxor Philippi I. Pulchri denominati, felix absdubio mater duorum Imperatorum Regumque Caroli I. et Ferdinandi, et quattuor Reginarum Franciæ, Daniæ, Bohemiæ, et Ungriæ, et Portugalliæ, videlicet, Eleonoris, Elisabethæ, Mariæ, et Catharinæ; sed obitu viri sui carissimi felicitas statim in luctum, et

et Reges anno 1505; licet tunc temporis degerent in Flandria: venerunt postea Castellam, et Rex Burgis obiit anno 1506, eiusque corpus iacet in præfato regio mausoleo Granatensi.

79.

CAROLUS I, filius Ioannæ Reginæ Castellæ: matris obitu regnum Castellæ obtinuit, et avi Maximiliani ad imperium Romanorum electus. Se, successoresque suos titulo Maiestatis deinceps appellari decrevit. Ticini victoriam obtinuit adversus Franciscum I. Regem Galliarum, quem à militibus in bello obtentum, Barcinonæ, Segoviæ, et Matriti detinuit: in Germania iuxta flumen Albin Lutheranos profligavit. Regnum et imperium sponte dimisit, ut Deo liberius inserviret in monasterio Hieronymiano *de Iuste*, in quo obiit anno 1558, eiusque corpus fuit postea translatum ad regium monasterium Escurialense, ubi iacet.

80.

PHILIPPUS II, filius Caroli I, et Elisabethæ Portugalliæ: Princeps absdubio tanto illustrior, quanto Heterodoxis magis invisus: perspicacis ingenii, maturi iudicii, tenacissimæ memoriæ, et in bono astu perrari: tanto Rege resplenduit maiestas, increvit religio, legibus obsecundatum: virtutibus cumulatus, obiit in regio monasterio Escurialensi anno 1598, ibi-

et miserandum mentis captum spatio quinquaginta annorum perpessum, versa est; ideo in villam *de Tordesillas* fuit recepta: ibique obiit anno 1555. Eius corpus iacet una cum viro suo in præfato regio mausoleo Granatensi.

86.

ELISABETHA uxor Caroli I, filia Emmanuelis Regis Portugalliæ, et Mariæ filiæ Regum Catholicorum Ferdinandi et Elisabethæ. Absente Imperatore et Rege viro suo, pluries regnum gubernavit. Obiit Toleti anno 1539, unde corpus eius à S. Francisco de Borxa, tunc Gandiæ Duce, fuit allatum Granatam in regium mausoleum, in quo iacuit, usque dum Philippus II. eius filius anno 1574 transferri curavit in regium mausoleum Escurialense, ubi requiescit.

87.

MARIA Angliæ Regina uxor secunda Philippi II. Silentio præterimus Mariam Portugalliæ primam uxorem Philippi II; obiit etenim, dum adhuc Philippus Princeps Asturiarum erat inauguratus. Maria igitur uxor secunda filia erat Enrici VIII. Angliæ, et miserandæ Catharinæ filiæ Regum Catholicorum, quam vir suus, captus amore Annæ Bolenæ, infelici succes-
su

Digitized by Google

ibique iacet iuxta parentem suum.

su repudiavit. Hereditate successit Maria in Angliæ regnum obitu parentis ſui, defectuque masculini sexus; et nupta Philippo II. vixit ad annum 1558, quin ad Hispaniam venerit, aut prolem reliquerit.

88.

ELISABETHA VALESIA uxor tertia Philippi II, filia Franciæ Regum Enrici II. et Catharinæ de Medicis: præventa adverso partu, obiit anno 1568; eiusque corpus fuit sepultum in regio monasterio Matritensi monialium Discalceatarum S. Francisci, indeque fuit translatum in regium monasterium Escurialense.

89.

ANNA AUSTRIACA uxor quarta Philippi II: consanguinea in secundo gradu viri sui, ut filia Maximiliani II. Imperatoris, et Mariæ sororis Philippi II: fertur adeo virum suum peramasse, ut cum ille ægritudine laborasset Pacis augustæ, dum Portugalliam iter faceret ut Rex inibi inauguraretur; Deo obtulerit Anna pro illius incolumitate assequenda suammet vitam, mori potius volens, ut regnum tanto Rege non careret, neque Ecclesia tanto protectore et patrono fraudaretur. Exaudivit Dominus eius deprecationem, accepitque victimam illi sponte oblatam, nam Rex statim ab infirmitate convaluit, et uxor Pacis augustæ ad Dominum migravit anno 1580. Eius cor-

81.

PHILIPPUS III, Philippi II. filius, et Annæ Austriacæ: pius, benignus, et optimis præceptis imbutus: eiecit ex Hispania Mauros fraudulenter ad fidem conversos, regni tranquillitatem turbantes; et ne eorum exilio agricultura deficeret, quamplura privilegia cultoribus agrorum concessit. Obiit Matriti anno 1621, eiusque corpus iacet in regio monasterio Escurialensi.

82.

PHILIPPUS IV, filius Philippi III: licet rectus, clemens, beneficus, et erga vasallos benignus, non tamen adeo constans in virtute, quin aliquando illecebris abriperetur, nimiumque præpotentium, privatorumque consiliis addictus, magnam dominiorum suorum partem amiserit: diuturnum et tenax adversus Gallos sustinuit bellum, cui tandem finem imposuit matrimonium à filia eius Theresia contractum cum Ludovico XIV. Obiit Matriti anno 1665, eiusque corpus iacet in regio mausoleo Escurialensi.

corpus iacet in regio mausoleo Escurialensi.

90.

MARGARITA AUSTRIACA uxor Philippi III, filia Archiducis Caroli ex fratre Ferdinando nepotis Caroli V, et Mariæ Bavariæ. Ferrariæ fuit desponsata Philippo III. à Summo Pontifice Clemente VIII; et cum in Hispaniam pervenisset, immature obiit anno 1611, pietatis et religionis non subobscuris editis signis. Iacet eius corpus in regio monasterio Escurialensi.

91.

ELISABETHA BORBONIA uxor prima Philippi IV, filia Franciæ Regum Enrici IV. et Mariæ de Medicis. Dum Rex absens esset Valenciæ, Aragoniæ, et Bæticæ, mira prudentia regnum Elisabetha administravit. Obiit Matriti anno 1644, eiusque corpus iacet in regio mausoleo Escurialensi.

92.

MARIA ANNA AUSTRIACA uxor secunda Philippi IV, filia Imperatoris Ferdinandi III. et Mariæ Austriacæ sororis Philippi IV. Viro superstes, ab eo postrema in voluntate regni gubernatrix, tutrixque Caroli II. fuit nominata, cuius minori ætate non levis exorta pacis publicæ turbatio. Obiit anno 1696, eiusque corpus iacet in præfato regio monasterio Escurialensi.

CA- MA-

Digitized by Google

83.

CAROLUS II, filius Philippi IV, et Mariæ Annæ Austriacæ, sub cuius tutela mansit, exindeque non leviter regni turbata tranquillitas, quæ adhuc maiorem post eius ætatem nullatenus est restituta, tum debili regii corporis valetudine, tum nimis eius pacato genio. Obiit Matriti anno 1700, ætatis suæ 39, postrema sua voluntate declarans iustum et legitimum heredem regni dominum Philippum V.

93.

MARIA LUDOVICA BORBONIA uxor prima Caroli II, filia Philippi Ducis Aurelianensis, filii Ludovici XIII. Galliarum Regis, et Enriquetæ Annæ Angliæ, filiæ miserandi Caroli, cuius vita suasu impii Cromuel sacrilego ausu à subditis ablata: prudentia, dulcedine morum, benignitate, et religione omnium in se conciliavit amorem. Sed immatura morte præventa, in ipso iuventutis flore obiit, cunctos mœrore afficiens, anno 1689. Eius corpus iacet in regio monasterio Escurialensi.

94.

MARIA ANNA DE NEOBURG uxor secunda Caroli II, filia Philippi Guillielmi Electoris Rheni Palatini, et Elisabethæ Amaliæ de Hesse: regni perturbationes minori ætate Caroli exortæ, præsertim excreverunt postremis vitæ Regis annis propter nimiam uxoris voluntati conniventiam. Obitu viri sui æquum visum fuit Mariam è finibus Hispaniæ egredi; sed postea Philippi V. voluntate in Hispaniam regressa, Guadalaxaræ fuit commorata, ibique obiit anno 1740. Eius corpus iacet in regio mausoleo Escurialensi.

84.

PHILIPPUS V, filius secundo genitus Ludovici Delphini Galliarum, et Mariæ Annæ Bavariæ: dignus profecto genere et virtute regia dignitate, quam heroi-

95.

MARIA LUDOVICA SABAUDIÆ uxor prima Philippi V, filia Ducum Sabaudiæ Victoris Amadæi II. et Annæ Mariæ Aurelianensis; mater quattuor In-

Digitized by Google

roicè tutatus, pietate, iustitia et clementia ergà subditos regnum non solum servavit, sed auxit: commercium, artes, litteras, militiam, statumque politicum omnibus modis fovit. Adeo ut Hispanica natio quasi è somno inertiaque resurgere visa sit. Obiit Matriti anno 1746. Eius corpus iacet in Ecclesia Collegiata S. Ildefonsi, quam ipse erexit, et dotavit.

85.

LUDOVICUS I, filius Philippi V. et Mariæ Ludovicæ Sabaudiæ, in Regem proclamatus anno 1724 renuntiatione parentis sui Philippi V, qui ei epistolam tunc temporis scripsit verbis cedro, et auro dignis; sed eodem anno morte præventus, iacet in regio mausoleo Escurialen-

Infantum, è quibus duo, Ludovicus I. scilicet, et Ferdinandus VI. Reges nostri fuerunt inaugurati: obiit ante vicesimum sextum annum expletum, propter prudentiam qua in Regis absentia regnum administrabat, ab omnibus diu desiderata. Iacet eius corpus in regio Escurialensi monasterio S. Laurentii.

96.

ELISABETHA FARNESIA uxor secunda Philippi V, filia unica et heres Eduardi Ducis Parmæ et Placentiæ, et Dorotheæ Sophiæ Comitissæ Palatinæ Rheni: prosperis numquam elata, adversis numquam defessa, fidelissima coniux, castissima femina, maturitate et prudentia regiminis prædita, digna profecto, ut ipsa superstite sederent carissimi filii, et eius nepotes in clarioribus Europæ thronis Hispaniæ, Germaniæ, Portugalliæ, Sardiniæ, Tusciæ, Neapolis et Siciliæ. Obiit anno 1766. Eius corpus iacet in regia Ecclesia Collegiata S. Ildefonsi iuxta carissimum virum suum, ut quem vitæ diuturna sodalitas iunxerat, nec sepultura separaret.

97.

LUDOVICA ELISABETHA AURELIANENSIS uxor Ludovici I, filia Philippi II. Ducis Aurelianensis et Mariæ Ludovicæ Borboniæ, filiæ magni Ludovici XIV: vivere, et regnare incipiente viro suo Ludovico I, obitu illius immaturo disparuit, regressaque Lutetiam Pa-

lensi, eiusque pater Philippus regni gubernacula rursus assumere coactus, ne sua ulteriori dimissione aliquid detrimenti pateretur Hispania.

86.

FERDINANDUS VI, filius Philippi V. et Mariæ Ludovicæ Sabaudiæ: Princeps Asturiarum post mortem Ludovici fratris proclamatus, et Rex Hispaniarum obitu parentis sui: clemens, pacificus, et iustus: utrique Castellæ in portu *de Guadarrama* viam fecit: Regiam suam ornavit: artibus nobilibus architecturæ, picturæ, et sculpturæ magnopere favit: maris exercitum auxit, fabricasque lineas, laneas, sericas communivit privilegiis. Obiit Villaviciosæ anno 1759, eiusque corpus iacet in regio monasterio monialium Visitationis S. Francisci Salesii, quod ipse Matriti nuper construxerat.

87.

CAROLUS III, filius Philippi V, et Elisabethæ Farnesiæ. Cum Ferdinandus eius frater absque liberis decessisset, è regno Neapolis et Siciliæ, quod feliciter rexerat ab anno 1734, ad regnum Hispaniæ iure vocatus, proclamatur anno 1759; tantoque regni moderatore, res Hispana prolabens, modestissimis institutis, optimis moribus ac præceptis pristinum in statum restituta: Regia sua decorata. Obiit die 14 Decembris anno 1788, iacetque in regio monasterio Escurialensi.

Parisiorum, vixit in domo regia Luxemburgensi ad annum usque 1742, quo è vivis excessit.

98.

MARIA BARBARA uxor Ferdinandi VI, filia Regum Portugalliæ Ioannis V. et Mariæ Annæ Austriacæ filiæ Imperatoris Leopoldi I. Matriti regium erexit monasterium Salesianum Visitationis S. Mariæ. Obiit in regio palatio *de Aranjuez* anno 1758, unde eius corpus in præfatum monasterium quod ipsa erexerat, fuit delatum, ibique iacet iuxta virum suum.

99.

MARIA AMALIA Saxoniæ uxor Caroli III, filia Regum Poloniæ Augusti II. Electoris Saxoniæ, et Mariæ Iosephæ Archiducissæ Austriæ filiæ Imperatoris Iosephi I: regno Neapolitano una cum carissimo viro suo Carolo III. ab anno 1738 usque ad annum 1759 potita, ad Hispaniæ possessionem deveniens, nobis sui desiderium, egregiarumque eius animi dotum reliquit; obiit etenim subsequenti anno 1760. Eius corpus iacet in regio mausoleo Escurialensi.

Digitized by Google

88.

CAROLUS IV.

QUEM DEUS BONO REGNI ET ECCLESIÆ TRANQUILLITATI DIU INCOLUMEM TUEATUR.

CAROLUS IV, filius Caroli III. et Mariæ Amaliæ Saxoniæ: proclamatus 17 Ianuarii anni 1789. Ei (verba Tertuliani usurpantes) diuturnam vitam, regnum tranquillum, Regiam tutam, exercitum fortem, fidelem Senatum, honestum populum, orbem pacificum, et omnia quæcumque hominis et Regis vota sunt, enixe optamus.

100.

ALOYSIA

UXOR CAROLI IV. REGIS AC DOMINI NOSTRI QUAM D. O. M. SOSPITEM DIU SERVET.

ALOYSIA, filia Infantis Hispaniæ Philippi Borbonii, Ducis Parmæ, Placenciæ, et Guastalæ, et Aloysiæ Elisabethæ, Regum Franciæ Ludovici XV. et Mariæ Carlotæ Leczinska filiæ: una cum carissimo viro suo regnare cœpit ab anno 1788. Utinam pallida mors diu hic sistat gradum, amplioris que temporis spatio Regibus nostris pretiosa vita frui permittat.

Digitized by Google

CONCILIA TOLETANA, IN EPITOMEN REDACTA.

CONCILIUM I.

Hucusque Hispania, ut recte ait Claudius Floridus, Priscillianistarum schismate discerpebatur, et à disciplinæ diversitate non parum accipiebat nocumenti. Hæ causæ fuere celebrandæ Synodi ipso anno sæculari Christi 400. Interfuerunt Episcopi undeviginti, inter quos Asturius Toletanus Antistes. Præfuit Patruinus Episcopus Emeritensis, antiquitatis ratione habita. Proscriptus est execrandus Priscillianus, Præsul intrusus Abulæ, de cuius hæresi hæc habentur in litteris S. Leonis Magni ad S. Thuribium missis. *Nihil est sordidum in quorumcumque sensibus impiorum, quod in hoc dogma non confluxerit; quoniam de omni terrenarum opinionum luto multiplicem sibi fæculentiam miscuerunt* (*Priscillianistæ*), *ut soli totum biberent, quidquid alii ex parte gustassent.* Perillustris honos et gloria ex eo nostræ Toletanæ Ecclesiæ accrescit, quod in ea primum sollemni et publica confessione Spiritus Sancti à Patre et Filio processionis articulus clarioribus verbis fuerit expressus, ut patebit legenti regulam Fidei ab hoc Concilio conscriptam. Ut disciplinæ diversitas tolleretur, præsertim in ordinationibus, quæ tanta erat, ut sæpe schismati occasionem tribuerit, suggessit Patruinus remedium, sequendos Nicenos canones. Consenserunt ceteri Præsules, atque viginti canones conscripti fuere, licet in supputatione ordine scripturæ tantummodo decem et septem sequentes appareant.

Diaconi aut Presbyteri coniugati, nisi ab uxoribus se abstineant, ad presbyteratum vel episcopatum ne promoventor.

Publice pœnitens pro gravi peccato, si laicus est, ab ordinibus arcetor. Cogente necessitate, inter Lectores, Ostiarosve tantum deputator. Si Diaconus, tamquam Subdiaconus habetor.

Lector qui viduam uxorem duxerit, ad summum Subdiaconus constituitor.

Subdiaconus qui secundo matrimonio coniungatur, ab ordine removetor, Lectoribusque aut Ostiariis adnumerator. Qui tertio, laicis adscribitor.

Cuiuslibet ordinis Clericus vivens in loco, ubi templum sit, deponitor, nisi accesserit ad sacrificium quotidianum. Sed pœnitens ab Episcopo veniam consequator.

Puella Deo sacra cum nullo mortalium familiariter agito, nec sola ad convivia procedito. Si peccaverit, decem annos pœniteat; si vero nupserit, ad pœnitentiam non ad-

admittitor, nisi maritum reliquerit. Sed cum ea sit filia Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi, nisi morienti communionem haudquaquam præstato.

Uxor clerici, quæ peccaverit, domi custoditor, ac ligator, ad ieiuniaque salutaria cogitor. Cum ea, nisi pœniteat, coniux ne manducato.

Christianus qui militiæ nomen dederit, suscipitor, si placuerit, inter Clericos; ad Diaconatum vero ne promovetor.

Nulla professa, viduave domi cum aliis, absente Episcopo, aut Presbytero, pensum divinum absolvito. Lucernarium (hic, ut credo, lectio intelligitur, seu interpretatio vespertina sacræ Scripturæ) extra Ecclesiam ne legitor. Si alibi, Episcopus, Presbyter, aut Diaconus adsit.

Servi, libertive, nisi probata vita, et domini consensu accedente, ad clerum ne admittuntor.

Potentiores, quemquam expoliantes, ab Episcopo moneantur. Nisi restituant, anathemati subiacentor.

Clerici suum Episcopum ne linquunto, et ad alium tranferunto.

Qui Ecclesiam adeunt, et numquam communicant, si moniti non resipuerint, excommunicantor. Sed qui acceptam Eucharistiam non deglutierit, (huius inter alia nefarii sceleris rei erant Priscillianistæ) ut sacrilegus habetor.

Clericus, laicusve, de vitando monitus excommunicato, nisi obtemperaverint, anathemate vinciuntor.

Uxoratum concubinam habentem à communione privato. Qui solus sit, non repellitor, si uni tantum et solutæ, et usque ad mortem fideliter adhæreat. (Hoc intelligendum, perquam recte Baronius, ad mentem Augustini in cap. V. lib. de Bono coniugali).

Vidua Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi, quæ secundo nupserit, Eucharistiam nisi vitæ in fine haudquaquam sumito.

Presbyter sanctum chrisma non conficito, nec cum eo Diaconus quemquam ungito.

Post hæc Priscilliani placita novis decretis exagitare, atque convellere placuit. Episcopi Symphosius et Dictinius, atque Comassius Presbyter, eiurata secta, Ecclesiæ conciliati. Dictinium Asturica, cuius urbis Præsul fuit, in cœlitum numero habet, colitque iam à mille fere annis, nimirum erroris suspicione imposita salutaris pœnitentiæ dolore per totam vitam expiata, ut pereleganter scripsit Mariana.

CONCILIUM II.

Amalarici regni anno quinto, Christi 527, habitum, ut constat ex omnibus Hispanis Conciliorum codicibus, quos contra nequic-

Digitized by Google

quicquam insurgunt Baronius et Pagius à Florezio peræque opugnati. Præfuit Montanus septem aliis Episcopis virtute ac doctrina præstantibus, qui cum Zorobabele suo, ut perbelle ait Baronius, in medio licet hostium positi, templum reædificare magna animi constantia sunt agressi. In eo conventu sancitum:

1.

Pueros parentum voluntate et voto in sacratorum virorum collegia allectos, atque in Clericorum more detonsos, cum ad octavum decimum ætatis annum venissent, coram rogandos, vellent ne castimoniæ cultores esse. Si assentirent, nefas esse amplius, professione relicta, connubii vinculis implicari: dissentientibus, liberum uxores ducere. Ii, si provecta ætate uxoris consensu à mutuis amplexibus abstinerent, sacris ordinibus initiarentur.

2.

Tales, unius Ecclesiæ alumnos, ad aliam transire non posse, nec ab alio Episcopo suscipi; alioquin hic totius fraternitatis reus esto.

3.

Nullum Clericum à Subdiaconatu habere domi feminam, quæ non sit mater, soror, aut propinqua. Qui secus fecerint, omni communione interdicuntor.

4.

Clericos in terris Ecclesiæ vineas agellosve sibi facientes, possidere, dum vixerint; defunctis, heres Ecclesia esto, nisi aliud placuerit Episcopo.

5.

Nullam propinquam ducendam uxorem. Aliter, legis violator, quanto propinquiori coniungeris, tanto graviori pœna mulctaberis.

CONCILIUM III.

Flavius Reccaredus, mense decimo elapso, ex quo Rempublicam capessierat, ut auctor est Blicarensis, Ariana perfidia abdicata, religionem Catholicam amplexus, de ea in Hispaniam revocanda serio cogitabat. Hoc animi consilio, eius regni anno quarto, Christi 589, ex tota quam late patebat ditione Gothica, Episcopos Toletum ad Synodum celebrandam convocavit. In ea primum Rex allocutus, postea Catholicæ fidei professionem, Arianæ hæresis abdicationem, de scripto conceptam, suo et Badæ Reginæ nomine Patribus obtulit, quæ formula ab eis faustis acclamationibus prosecuta. Octo Episcopi erant, proceres quinque, pravis antea opinionibus imbuti, qui similem fidei professionem suæ manus subscriptione firmarunt. Tres et viginti canones editi, disciplinæ ecclesiasticæ instaurandæ causa.

1.

Conciliorum statuta, Synodicæ Sanctorum Præsulum Romanorum epistolæ, et prisci canones servantor. Contra eorum vetita honores ecclesiasticos ne ambito.

2.

Symbolum fidei ante orationem Dominicam (hodie fit à Clericis Mozarabibus) in Missa præcinitor.

3.

Res Ecclesiæ, nisi pro eius utilitate, suffragio monachorum, aut Ecclesiarum diœcesanarum, ab Episcopis ne alienantor. Peregrinis, Cle-

Digitized by Google

Clericis, egenis ipsis de rebus ipsi subveniunto.

4.

Unam de parœciis in monasterium erigere de consensu Synodi Episcopo ius esto. Quidquid ei præstiterit sine detrimento Ecclesiæ, ratum habetor.

5.

Episcopis, Presbyteris, Diaconibus uxoratis, ab hæresi conversis, usus coniugum et cohabitatio interdicitor. Si fecerint, inter Lectores adscribuntor. Catholici qui ab suspectis feminis non separentur, eæ venumdantor, et pretium pauperibus erogator: illos vero pœna canonica plectito.

6.

Servi Ecclesiæ ab Episcopis manumissi, nec illi, nec eorum soboles ab Ecclesiæ patrocinio recedunto. Quos alii manumiserunt, et Ecclesiæ commendarunt, sub episcopali patrocinio sunto.

7.

In convivio sacerdotali Scriptura sacra legitor.

8.

Servos ex familia fisci donatos Ecclesiæ à Principe nullus repetito, sed pretio contentus pro donati capite, is posthac servus Ecclesiæ habetor. *Vel*: Clerici qui ex familia fisco addicta electi fuerint, in Ecclesiæ ministerio remanento, et censum Principi reddunto. Nemo eos sub prætextu quod ab Rege fuerint donati, vindicato.(Canon difficillimus, qui utrumque sensum admittit).

9.

Ecclesiæ nuper ab Ariana sectà conversæ una cum bonis suis ad Episcopum diœcesanum pertineant.

10.

Viduæ aut Virgines ad nuptias non compelluntor. Qui coegerint, excommunicantor.

11.

Pœnitentes non pro lubitu, at secundum veteres canones pœnitentiam agunto.

12.

Ut relapsus præcaveatur, pœnitentiam postulanti, si vir sit, tondeto, si mulier, vestem mutare præcipito.

13.

Clericus coram iudicibus sæcularibus Clericum non pertrahito. Si pertraxerit, causa cadat, et excommunicator.

14.

Iudæi munere publico non funguntor, mancipia Christiana non habento, feminas Christianas nec uxores nec concubinas ducunto, et si ex eis prolem genuerint, baptizator.

15.

Si quis servus fisci Ecclesiam construxit, et dotavit, ut hoc Princeps confirmet, Episcopo curæ esto.

16.

Per totam Hispaniam et Galliam omnia vestigia idolatriæ, potestatibus sæculi et Ecclesiæ operam iungentibus, delentor. Qui neglexerint, anathemate percelluntor.

17.

Parentes proprios filios necantes, omni pœna, capitali excepta, mulctantor.

18.

Episcopi semel in anno ad Synodum Provincialem conveniuntor. In ea locus, tempusque ad aliam constituitor. Itidem locorum iudices et actores fiscalium patri-

Digitized by Google

trimoniorum calendas Novembris quotannis cum Episcopis adsint, ut discant pie et iuste cum populis agere, nec alium premere, levare alium. Episcopi factis eorum invigilanto. Si prævaricati fuerint, eos monento; nisi resipuerint, ad Principem renuntianto: et si adhuc inemendabiles perstiterint, excommunicanto.

19.

Omnia Ecclesiarum bona sub Episcoporum iure perstanto. Earum fundatores hoc ius auferre non conantor.

20.

Episcopi à Presbyteris et Diaconis nova onera aut pensiones exigere prohibentor. Quas antiquo iure obtinent, his contenti sunto. Reluctantes ad Metropolitanum deferuntor.

21.

Iudices et Præfecti sub excommunicationis pœna servos Ecclesiarum, Episcoporum, aut Clericorum exactionibus ne vexanto.

22.

In exequiis Christianorum non funebre carmen, sed psalmi cantantor. Pugnis pectora ne tunduntor.

23.

Ab Sanctorum sollemniis saltus et cantiones lascivæ funditus tolluntor. (*Meminerit Lector*, ait hic Fleurius, *hæc in Hispania prohiberi.* Sed meminisse poterat Fleurius, *nos addemus*, ante quadraginta fere annos eadem in Galliis à Childeberto prohibita. Tom. 1. Capitular. Reg. Francor. col. 5. edit. Venet. 1772.)

Interfuerunt Synodo quinque Metropolitani, quinquaginta septem Episcopi per se, et alii quinque per Vicarios. Præfuit Massona Emeritensis, nimirum consecrationis antiquitate aliis prælatus. Subscribit secundo loco Euphemius Toletanus, tertio S. Leander Hispalensis, qui nec Primatis, nec Legati Pontificii partes implevit, ut somniavit Lucas Tudensis. Nihilominus eius, et Eutropii Abbatis cœnobii Servitani præcipuæ partes in Concilio fuere, et in fine Sanctus Antistes peroravit simplici et impolito stilo, ut sæculi conditio ferebat, ait Baronius, sed divina scientia valde referto, et sapientia mirifice exornato. In hoc Concilio primum additam Symbolo particulam *Filioque* nobis certum videtur ex rationibus Cardinalis de Aguirre in disputat. 92. Theologiæ S. Anselmi.

CONCILIUM IV.

Sisenandus vir magno animo, neque minus domesticis copiis insignis, quam belli artibus clarus, regnandi ambitione incensus, et Francorum auxilio suffultus, Regem Suintilam omnibus exosum regno expulit. Sed considerans, scissis provincialium studiis pro se, et pro æmulo, regnum diu stare non posse, optimum iudicavit fore, Religionis prætextum popularibus obtendere. Ex tota ditione Præsules Toletum ad Synodum coegit, ecclesiasticæ disciplinæ, vitio temporum collapsæ, novis legibus adstringendæ causa. Maior tamen cura suberat, ut Suintilæ actionibus Patrum decreto reprobatis, qui eius partibus erant ad-

Digitized by Google

dicti, posito factionis studio, animos ad concordiam revocarent. Ad quintum Decembris diem anni 633 in S. Leocadiæ Basilica primus conventus est habitus. In eo Sisenandus coram Patribus humi prostratus, inter singultus et lacrimas preces pro se, divini Numinis propitiandi causa, fundi petiit: quorum causa convenerant, sancirent suis decretis disciplinam ecclesiasticam. Regis oratione accensi Patres, septuaginta quinque canones condiderunt, quorum primus fidei complectitur confessionem, in qua Mysteria Trinitatis et Incarnationis enucleatissime explicantur.

2.

Missale et Breviarium unum esto in Hispania.

3.

Synodi nationales, sin minus provinciales quotannis coguntor. In his causæ omnes diiudicantor.

4.

Patres sedendo, atque sententias in Conciliis dicendo, consecrationis antiquitatem sequuntor. Patrum voluntate, Proceres, quos interesse visum erit, ad conventum admittuntor. Summo mane Templi, ubi conventus est habendus, ianuæ clauduntor, una excepta Patribus admittendis, adhibita ianitorum custodia. Proponendi ea, de quibus disceptandum, Metropolitani ius esto: de privatis causis referre, Archidiaconi partes.

5.

Tribus mensibus ante festum Epiphaniæ quoto die Pascha sit celebrandum, Metropolitani Sacerdotes inter se conmunicanto, et sibi contributis Ecclesiis idem litteris significanto.

6.

Baptismus ad mentem Gregorii Magni unica mersione confertor. Sic hæreticis succensetor trinam immersionem necessariam arbitrantibus.

7. 8.

In Parasceve Ecclesiæ non clauduntor, sed officium celebrator: passio Domini prælegitor, et criminum indulgentiam clara voce populis postulato. In ea ieiunium non solvitor ante peractas indulgentiæ preces.

9.

Ecclesiæ Galliæ Hispaniæ instituto cereum Paschalem sacra cæremonia et precatione lustranto.

10.

Clerici omnes orationem Dominicam iuxta præceptum Christi, Apostolorum monita, et SS. Patrum Cypriani, Hilarii, Augustini sententiam in publico aut privato officio quotidie recitanto.

11. 12.

Nec Episcopus nec alius Clericus sub pœna suspensionis calendis Ianuarii et Quadragesima *Alleluia* canunto. Quod vocatur *Laudes* post evangelium in Missa decantanto.

13. 14. 15. 16.

Hymnus qui à SS. Patribus sit compositus, non respuitor: trium puerorum in Missa præcinitor: in psalmorum fine *Gloria et honor Patri, &c.* dicitor: idem additor responsoriis lætis; tristibus autem eorum initium repetitor.

17.

Liber Apocalypsis inter sacros numerator, et à Pascha Pentecostem usque in Missis legitor.

In

18.

In Missa post orationem Dominicam ante communionem benedictio dator.

19.

Criminosi, infames, pœnitentes publici, in hæresim lapsi, in ea baptizati aut rebaptizati, corpore vitiati, servi, ignoti, neophyti, simoniaci, ambitiosi, laici, militiæ dediti, curiæ nexibus obligati, litterarum inscii, minores triginta annis, per saltum promoti, à decessoribus successores designati, à clero et populo non probati, à Metropolitano et Comprovincialibus non electi, Episcopi ne sacrantor.

20.

Diaconi ante vicesimum quintum, Presbyteri ante tricesimum annum ne initiantor.

21. 22. 23.

Sacerdotes casti sunto. Episcopi, Presbyteri, Diaconi summa integritate viris commorantor.

24.

Clerici iuvenes sub custodia senis sapientis uno loco habitanto. Si pupilli sunt, Episcopus non solum vitæ et morum, sed bonorum suorum curam agito.

25. 26. 27.

Sacerdotes canones et sacram Scripturam ignorare, nefas esto. Parochis ab Episcopo Rituale traditor, et ei obedientiam de recte vivendo præstanto.

28.

Episcopo, vel cuilibet de clero, etiam iniuste deposito, nisi dignitatis insigniis sollemniter restitutis, id est, Episcopo orarium, annulus, et baculus : Presbytero planeta et orarium : Diacono alba et orarium: Subdiacono calix et patena, munere suo fungi denuo interdictum esto.

29.

Iidem Magos, Aruspices, Augures, aliosve divinatores consulentes, deponuntor, utque in perpetuum pœniteant, in monasterio recluduntor.

30.

Sacerdotes absque Regis venia nec eius ad hostes, nec ad eum hostium oratores sunto. Qui fuerint, ad Regem deferuntor, et à Synodo mulctantor.

31.

Episcopi criminum læsæ maiestatis iudices ne fiant adhuc ex præcepto regio, nisi iuramentum eis præstetur de vita nocentibus obtinenda. Alioquin rei apud Christum effusi sanguinis sunto, et hic à gradu suo deiiciuntor.

32.

Iudices, abutentes potestate, ab Episcopis commonentor: contumaces ad Principem renuntiantor.

33.

Episcopi de oblationibus, tributis, frugibus, Ecclesiæ concessis, præter tertiam partem nihil sumunto. Eius bona sub eorum iure perstanto.

34. 35.

Triginta annorum possessio Episcopi in alia diœcesi eius provinciæ præscribito in favorem possessoris; ac Basilicæ denuo exædificatæ ad Episcopum, cuius territorium fuerit, spectanto.

36.

Episcopi singulis annis diœcesim lustranto. Si nequiverint, Presbyteris, aut Diaconis, morum probitate ornatis, vices demandanto.

Digitized by Google

37.

Quod Episcopus polliceatur in obsequii remunerationem Ecclesiæ impensi, ratum esto, et in Synodo provinciali firmator.

38.

Ecclesiarum fundator, ac eorum filii, laborantes inopia, ex Ecclesiæ bonis aluntor.

39. 40.

In choro Diaconi Presbyteris ne anteferuntor. Uno tantum orario, nec auro contexto, nec coloribus variegato, in sinistro humero incedunto.

41.

Omnes Clerici, vel Lectores, detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant.

42. 43.

Nisi sit mater, soror, filia, vel amita, nulla alia femina cum Clericis habitato. Mulieres quæ Clericis interdicto libidinis consortio iunctæ sint, ab Episcopo venundentur, imposita Clericis pœnitentia.

44.

Si vidua, vel repudiata, vel meretrix nupserit Clerico, ab Episcopo separantor.

45.

Clerici sponte sumentes arma in seditione, in monasterium pœnitentiæ contradantur.

46.

Clerici sepulcra demolientes suspendantur, et triennio pœnitentiæ deputentur.

47.

Omnes ingenui Clerici ab omni publica indictione ac labore immunes sunto, ut soli Deo serviant.

48. 49. 50.

Œconomi ad res ecclesiasticas administrandas instituantur. Monachis ad mundum redire non liceat: liceat vero Clericis ad monasticam vitam migrare.

51.

Episcopi non alia iura, præter statuta à canonibus, in monasteriis exercere præsumant.

52. 53.

Monachi ad mundum reversi, iterum ad monasterium suum revocentur. Religiosorum vagorum, qui nec inter Clericos, nec inter Monachos habentur, licentia ab Episcopo coercetor.

54.

Qui in mortis periculo pœnitentiam accipiunt, generali tantum confessione facta, si revaluerint, poterunt ad gradus ecclesiasticos pervenire: secus qui aliquod peccatum mortale publice declaraverint.

55. 56.

Pœnitentes viri, ac similiter viduæ, aut virgines, qui divertentes laicis adscribantur, ad pœnitentiam revocentur: si renuerint, ut apostatæ condemnentur. Sanctimoniales viduæ ne nubunto.

57. 58.

Iudæi ad fidem venire ne coguntor; sed qui iam ita venerint, eam tenere cogantur. Iudæorum fautor, sive Episcopus, sive Clericus, sive sæcularis anathemati subiiciatur.

59. 60. 61.

Iudæi dudum ad fidem conversi, et ad priores ritus reversi, puniuntor: quos circumciderint, si filii sint, à parentibus separantor; si servi, libertati traduntor. Iudæorum filii Christianis ad educationem committantur. Fideles filii Iudæorum baptizatorum, ac postea præ-

Digitized by Google

prævaricantium, à paterna hereditate ne excluduntor.

62. 63.

Iudæi baptizati cum non baptizatis ne communicent. Iudæi infideles, si renuerint baptizari, ab uxoribus Christianis separentur, eorumque filii fidem et conditionem matris sequantur: patris vero sequentur, ex matre infideli et patre baptizato progeniti.

64. 65. 66.

Iudæi baptizati, ac postea prævaricantes, ad testimonium ferendum non admittuntor. Iudæi, vel qui ex Iudæis sunt, publica officia ne gerunto. Iudæi Christiana mancipia nequaquam habeant.

67. 68. 69. 70.

Episcopi ex familia Ecclesiæ liberos ne faciant: si vero quem manumittere voluerint, non retento Ecclesiæ patrocinio, duo mancipia eiusdem meriti et peculii offerant commutationis ergo. Sacerdotes tamen prædia Ecclesiæ relinquentes, vel adquirentes, iuxta rei collatæ modum possint libertos facere, retento Ecclesiæ patrocinio. Hi liberti ac posteri eorum coram Episcopo se ex familia Ecclesiæ liberos effectos fuisse, fateantur.

71. 72.

Liberti qui Ecclesiæ patrocinium reliquerint, ut manumissi non habentor. Ab aliis manumissi, et Ecclesiæ commendati sacerdotali defensione protegantur.

73.

Qui penitus liberti sint, clericatum possint suscipere: secus qui, retento obsequio, manumissi fuerint.

74.

De familiis Ecclesiæ manumissos liceat ad ordines promovere, eorumque bona ad ius Ecclesiæ manumittentis post eorum obitum pertineant. His sicut et aliis Ecclesiæ libertis accusare, vel testificare adversus Ecclesiam, nullatenus licet.

75.

In hoc canone agitur de commonitione plebis, ne in Principem delinquatur: de electione Principum, et de transgressione fidei, quæ Principibus promittitur: de commonitione Principum, ut iuste iudicent, et de ultione nequiter iudicantium: de execratione Suintilæ, et coniugis, et prolis eius: nec non de Geilane germano eius, ac rebus eorum.

Cum non pauca in quattuor hisce prioribus Conciliis stabilita, in subsequentibus quoque decernantur, cumque illud nobis propositum sit, ut operis huius brevitati consulamus, reliquorum Conciliorum historiam summatim dabimus, ea dumtaxat statuta referentes, quæ nobis præcipua, ac notatu digniora videantur.

CONCILIUM V.

Huic alius non interfuit Metropolita præter Eugenium II. Toletanum, qui præfuit undeviginti Episcopis provinciarum Hispaniæ, et Galliæ Narbonensis, duobusque Vicariis Episcoporum. Celebratum fuit in Basilica S. Leocadiæ anno Christi 636, primo Regis Chintilæ, qui ingressus fuit Concilium cum Comitibus Palatinis, et Proceribus, auctore Isidoro Pacensi. Actum præcipue fuit de firmanda electione Chintilæ, et de incolumitate, et obedientia præstanda Regi electo.

CON-

Digitized by Google

CONCILIUM VI.

Interfuerunt quinque Metropolitani, quadraginta duo Episcopi, et quinque Vicarii Episcoporum: celebratum fuit die nona Ianuarii anno 638, secundo præfati Regis Chintilæ, in Prætorio Toletano in Ecclesia S. Leocadiæ, quod, ut clarissimus Pater Florez interpretatur, erat aula quædam eiusdem Basilicæ, ubi Concilia celebrari consueverant. In primis plura ad disciplinam ecclesiasticam spectantia decreta sunt, nec non et de obedientia regiæ maiestati præstanda, cuius insignis pietas in eo quod neminem, nisi Catholicum, in regno suo degere sineret, commendatur, et imitanda proponitur. S. Braulius Cæsaraugustanus, qui in Conciliis quarto et quinto maxime claruerat, in sexto quoque primas partes egit; cuius et nomine ad Papam Honorium celebrem, et memoria dignam, illam epistolam misit, quæ non parum Romanorum animos commovit, ut Archipræsul dominus Rodericus testatur, et erga cuius genuinam sententiam et mentem plura nostrates auctores commenti sunt. Præfuit Concilio Selva Metropolita Narbonensis: secundo loco subscribit Bracarensis: tertio Eugenius Toletanus: quarto Hispalensis, et secundum acta eiusdem Concilii à clarissimo Florezio edita tom. 15. Hispaniæ Sacræ, quinto loco subscripsit Protasius Metropolita Tarraconensis, non Placentinus, nec Valentinus, ut aliqui asserunt.

CONCILIUM VII.

Huic Synodo interfuerunt quattuor Metropolitæ, viginti quattuor Episcopi, et undecim Vicarii Episcoporum. Celebratum fuit die 19 Octobris anno Domini 646, et quinto Regis Chindasvinti. Canone sexto singulare privilegium Toletano Metropolitæ conceditur (regebat tunc Ecclesiam Toletanam S. Eugenius tertius, qui tertio loco subscribit in editionibus Conciliorum, et Aguirrii, sed secundum MSS. codices quartus ei debetur) ut nempe ad eiusdem solatium et levamen, ob Principis obsequium et reverentiam, ad maius et illustrius regiæ sedis decus finitimi Episcopi teneantur Toleti alternis mensibus, prout Archipræsuli placuerit, commorari, eo dumtaxat tempore excepto, quod et in fructuum collectione, et vindemia facienda insumi solet. Plerique Auctores (sed perperam) hoc privilegium idem existimant esse, quo Metropolitani universi hodiedum gaudent, convocandi ad Concilium Suffraganeos, vel cogendi eosdem ut secum una sollemniora festa celebrarent, aut de gravioribus causis et negotiis pertractarent, quod à Conciliis Emeritensi, et tertiodecimo Toletano Metropolitis concessum est; quin et illud privilegium idem esse dixerunt, quod S. Leo Vicario suo Illiricensi traditur concessisse.

CONCILIUM VIII.

Celebratum fuit die 16 Decembris anno 653, Reccesvinti quinto. Habitum est in Basilica SS. Apo-

sto-

Digitized by Google

stolorum Petri et Pauli, quæ Prætoriensis appellabatur, sita (ut Salazar de Mendoza testatur) intra Gothorum palatia, in eodem solo, ubi nunc cœnobium *Sanctæ Fidei*, et xenodochium *Sanctæ Crucis*. Aulam in qua congregati erant Patres, Rex ingressus, ipsosque allocutus, libellum tradidit, in quo omnia, quæ præcipue discutienda erant, capita continebantur. Ex canonibus huiusce Concilii, præsertim ex quarto, quinto, et sexto, non obscure colligitur, sanctam disciplinam ecclesiasticam in Episcopis, Presbyteris, ceterisque Clericis non fuisse collapsam. Interfuerunt quattuor Metropolitæ, quadraginta octo Episcopi (erravit quippe recentior quidam, qui non ita pridem decem duntaxat et octo convenisse, asseruit). Præfuit uti antiquior Orontius Metropolita Emeritensis. Secundo loco subscribit Antonius Metropolita Hispalensis: deinde S. Eugenius III. Toletanus, qui tunc primum Episcopum urbis regiæ se nominat. Postea subscribit Potamius Metropolita Bracarensis. Post Episcopos, subscribunt decem Abbates, inter quos S. Ildephonsus (sed et in hoc paulo ante citatus auctor deceptus est, qui duodecim Abbates recensuit, cum duæ postremæ subscriptiones ad Archipresbyterum, et Primicerium Toletanos pertineant): deinceps Vicarii Episcoporum absentium: post hos sexdecim viri illustres aulici, Comites, Duces, et Proceres, cum numquam hactenus in Conciliis subscripserint.

CONCILIUM IX.

Cui præfuit S. Eugenius III, coactum est in Ecclesia S. Mariæ, Templo scilicet maximo, mense Novembri, anno Christi 655, regni Reccesvinti septimo: convenerunt quindecim Episcopi, sex Abbates (ubi et prædicti auctoris neoterici corrigendus est error, qui enumerat octo) inter quos recensendus est S. Ildephonsus, et cuiusdam Episcopi Vicarius, nec non quattuor viri illustres, qui in aula regia præcipuis muneribus fungebantur.

CONCILIUM X.

Celebratum die prima Decembris anno Domini 656, Reccesvinti octavo. Interfuerunt Metropolitæ Hispalensis, Bracarensis, et Emeritensis, qui et præfuit: Episcopi quadraginta sex per se ipsos, et quinque per Vicarios. Secundo loco subscribit S. Eugenius III. et post eum Hispalensis et Bracarensis Metropolitani. Quod vero nulla prorsus ullius Abbatis subscriptio in hoc Concilio legatur, scriptorum vitio, vel errori merito adscribitur: ratione quippe satis probabili censetur, S. Ildephonsum saltem interfuisse, cui potissimum tribuitur, quod canone decimo sollemnitas Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis translata fuerit à die 25 Martii ad 18 Decembris: quo deinceps per plura sæcula ab Ecclesia nostra celebrata est. Ad numerum quod spectat Præsulum qui intervenerunt, omnes quotquot codices in hodiernum diem asservantur, et uni-

ver-

Digitized by Google

versi fere auctores unanimiter sentiunt fuisse viginti, quamquam Yepes, rerum Benedictinarum scriptor, asserat, ex MSS. quibusdam Escurialensibus, quorum apographa apud se quondam fuerant, constare, quinquaginta Episcopos subscripsisse, præter absentium Vicarios singillatim decem: et eorumdem quinquaginta nomina affert, quæ exinde transcripsit P. Florezius in tomo quarto decimo Hispaniæ Sacræ. Inter codices quos Yepes consuluit, et eos quibus ceteri usi sunt, hoc intercedit discrimen, quod in his Segobricensi et Accitano Episcopis nomina *Eusicii* et *Magnarii* tribuantur, in illis vero nominibus *Floridii* et *Iuliani* designentur.

CONCILIUM XI.

Celebratum in Ecclesia maiori S. Mariæ anno quarto Regis Wambæ, die septima Novembris, anno Domini 675. Interfuerunt septemdecim Episcopi provinciæ Carthaginiensis, duo item per Vicarios suos: Abbates insuper quinque, non septem, ut falso existimat iam sæpe citatus recentior. Præfuit Quiricus Metropolita Toletanus. Canon quintus gravissimis verbis ad castitatem servandam, quæ turpiter violari consueverat, quin præcedentium Conciliorum sanctiones tam pestilenti morbo sanando profuissent, Clericos districte hortatur, ac monet. Censent plures in hoc Concilio præscripta fixaque fuisse Episcopalium sedium Hispaniæ, et Galliæ Gothicæ limina, id quod acerrimi iudicii vir Pater Florezius validissimis refutat argumentis.

CONCILIUM XII.

Habitum in Basilica SS. Apostolorum à die nona usque ad vicesimam quintam Ianuarii anno 681: convenerunt Metropolitani tres, Hispalensis nempe, Bracarensis, et Emeritensis, et unus supra triginta Episcopi, quibus omnibus præfuit S. Iulianus Toletanus: deinde subscribunt Abbates quattuor: post hos, Episcoporum Vicarii tres: postremo quindecim viri illustres, qui subscripsere, prout in aula regia digniora, et honorificentiora obibant munera. Rex Ervigius, qui vix primum regni sui annum expleverat, aulam, in qua Concilium celebrabatur, ingressus, solitum tomum regium tradidit, in quo præter alia postulabat, ut denuo ius eius legitimum ad sceptrum declararetur. Annuerunt ipsius votis, ut par erat, Patres, et insuper sanxerunt, ut eidem universi parerent. Ab hoc tempore cœperunt præsidere Antistites Toletani, quin antiquitatis eorum ratio haberetur, in quo decori dumtaxat sedis Toletanæ consultum. Et licet in controversiam vocari possit, num Hispalensis Præsul interfuerit, necne, at illud certum et exploratum est, Bracarensem et Emeritensem, S. Iuliano antiquiores, adstitisse: præterquam quod Metropolita Toletanus eo insigni privilegio ab eodem Concilio ornatus creditur, ut simul cum Rege eligeret, et per se ipsum consecraret omnes, quotquot singulis Hispaniæ provinciarum Ecclesiis præficerentur: quod profecto dignitatis et auctoritatis insigne longe illum supra reliquos Metropolitanos extollit. Videa-

deatur Florezius tomo sexto Hispaniæ Sacræ, dissertat. secunda, §. quarto, et seq.

CONCILIUM XIII.

Celebratum in Basilica SS. Apostolorum Petri et Pauli die quarta Novembris, anno Domini 683, Ervigii quarto, qui Concilio etiam adfuit, et tomum regium Patribus exhibuit. Actum est de restituendo honore iis, qui tyranni Pauli factioni adhæserant, de vectigalibus minuendis, de familia regia, Reginæque decore sartis tectis servandis, et demum de aliis, paucis admodum tamen, ad disciplinam pertinentibus. Præfuit S. Iulianus tribus Metropolitanis Bracarensi, Emeritensi, et Hispalensi, quadraginta quattuor Episcopis, octo Abbatibus, Vicariis septem supra viginti, quos inter Narbonensis, et Tarraconensis annumerantur. Subscribunt postremo loco viginti sex clarissimi viri in aula regia servientes, quorum munera singillatim recensebimus. Non enim uno, eodemque titulo ii omnes signati leguntur; alius quippe se *Ducem* nominat, alius *Comitem*, *Procerem* alius, alius simul *Comitem*, *Ducemque*; neque deest, qui *Comes*, et *Procer* inscribatur, aut qui, sui muneris facta mentione, subiungat, *et Dux*, vel *Comes*, *et Dux*. *Ducis* vero nomen apud Gothos præcellentissimum omnium habebatur, atque idem prorsus designabat, quod nos *Generalis et Supremi Provinciæ Ducis* appellatione dignoscimus: tota namque iurisdictio, integrum imperium, sive quod ad negotia civilia, politicaque gerenda, sive quod ad rem militarem administrandam attinet, penes ipsos erat. *Comites* absdubio dicebantur illi, qui apud nos *à consiliis*, vel *à secretis* Status nuncupantur. *Proceres* iidem penitus sunt, qui Magnates, Primatesve Hispaniæ. Diversa vero munera, quibus illi, qui subscribunt, gaudebant, diversis quoque titulis exprimuntur: *Comes Scantiarum*, seu *Archipincerna*: *Comes Thesaurorum*, ad quem ærarii regii custodia pertinebat: *Comes Patrimonii*, qui victui regio curando præerat: *Comes Notariorum* Notariorum ordini præfectus: *Comes Spathariorum* Dux regiæ cohortis: *Comes Cubiculariorum* eorum primus, qui in regia camera ministrabant, sicut et *Comes Cubiculi*, qui Regi privatim perpetuo assistebat: *Comes Stabuli*, qui equitatui præsidebat: *Comes civitatis Toletanæ* idem qui Prætor, cuius intererat rempublicam regere, et administrare.

CONCILIUM XIV.

Celebratum à die quarto ad vicesimum usque Novembris, anno 684, eiusdem Regis Ervigii quinto. Interfuerunt septemdecim Episcopi, quibus S. Iulianus præfuit, sex Abbates, decem Vicarii, ex quibus octo partes egerunt Metropolitarum Tarraconensis, Narbonensis, Emeritensis, Bracarensis, et Hispalensis: quam ob rem nationale Concilium hocce re vera tale auctoritate fuit, nonnulli licet illud inter provincialia recenseant, propterea quod soli convenerint Car-

thaginiensis provinciæ Antistites. Subscriptum est, ut et Summus Pontifex exoptabat, sextæ Synodo œcumenicæ, in qua damnati sunt Monothelitæ, qui unam tantummodo voluntatem in Christo statuendam esse, contendebant. Qua vero in Ecclesia Concilium habitum sit, non memoratur; tametsi non obscure colligatur, in eodem, quo superius, loco coactum fuisse, in Basilica nempe SS. Apostolorum Petri et Pauli.

CONCILIUM XV.

Celebratum in eadem Basilica die undecima Maii, anno Domini 688, regni Egicæ primo. Præsedit S. Iulianus quattuor Metropolitanis qui interfuerunt, scilicet Narbonensi, Hispalensi, Bracarensi, et Emeritensi, sex supra quinquaginta Episcopis, undecim Abbatibus, quinque Vicariis Præsulum, inter quos Tarraconensis: subscribunt demum septemdecim Proceres Palatini. Confirmata est luculenter, et firmiter habita ea sententia, qua in Christo Domino tres distinctæ substantiæ cognoscuntur, corpus, anima, et divinitas; et denique de rebus ad Regem, et ad eius prædecessoris filios spectantibus actum est.

CONCILIUM XVI.

Habitum in eadem Basilica SS. Apostolorum, die secundo Maii, anno 693, Regis Egicæ sexto, qui etiam Concilio interfuit, et regium libellum, ut moris erat, tradidit. Ex huius Concilii decretis perspicuum est, eo tempore in omni Gothorum imperio ad extremum usque depravatos mores, et omnem Christianæ disciplinæ fervorem plane extinctum. Patribus provinciæ Narbonensis convenire non licuit, *ingruente* (ut idem Rex in suo libello testatur) *inguinalis plagæ vastatione, cuius interitu passim* ipsa Galliæ provincia *ab omnibus desolata dignoscitur*. Graves in hoc Concilio decernuntur pœnæ adversus idololatras, et Episcopos, seu Presbyteros qui ipsis conniverent. Horrendum sodomiticum, quod omnes sive cleri, sive populi ordines infecerat, pœna gravi vetatur: in suicidii immane scelus canone quarto iusta pœna statuitur: Sisbertus Toletanus Metropolita ab officio deponitur, et fidelium communione privatur, eo quod Regem una cum tota regia familia de medio tollere molitus fuerat; et quoniam adeo nefandum crimen, prolis regiæ mortem machinandi, latius in dies grassabatur, anathematis districtis fulminibus canone decimo prohibetur. Præses adstitit Felix Metropolita Toletanus, quamquam ibidem in locum Sisberti electus: adfuerunt quattuor Metropolitani, Hispalensis, Emeritensis, Tarraconensis, et Bracarensis, quinquaginta quinque Episcopi, Vicarii tres, Abbates quinque, Proceres aulici sexdecim.

CONCILIUM XVII.

In Basilica S. Leocadiæ celebratum die nona Novembris, anno 694, eiusdem Regis septimo, qui et solitum tomum tradidit. Certus patrum numerus, qui illic interfuerunt,

runt, ignoratur omnino; at id extra dubium est, sexagesimum excessisse: neque ambigi potest, quin, quemadmodum in superioribus Conciliis, Metropolita Toletanus præcellentiorem locum occupaverit, ceterisque Antistibus præfuerit. Nonnulli ex Gallia convenerunt: salubres editi canones plures sunt, quorum in postremo æqua pronuntiatur adversus Iudæos sententia, gravissimaque pœna indicitur iis, qui Afris fœderati, in Regem coniurationem excitaverant.

CONCILIUM XVIII.

De anno quo celebratum est, nihil certum affirmari potest, cum (ut ex Isidoro Pacensi coniicitur) Principibus Egica et Witiza regnantibus, fuerit coactum: eius proinde celebratio ad illud tempus referenda est, quod fluxit à fine mensis Novembris anni 698, quando Egica socium sibi adscivit filium suum Witizam, usque ad tertium decimum, vel quartum decimum eiusdem mensis anni 700, quo die unctus fuit Witiza, ut solus regnaret; eius etenim pater ad extremam iam et decrepitam ætatem pervenerat. Hinc igitur fit, non fuisse celebratum Concilium anno 701, nec 702, ut quidam auctores falso opinantur. Archiepiscopus Rodericus asserit, fuisse celebratum in Ecclesia S. Petri extra Toleti mœnia, actumque fuisse de regni administratione recte gerenda, et successione Witizæ, cui pater suus eam firmare volebat. Huius Concilii decreta disparuerunt: nos latet, quot Episcopi interfuerint: id certo constat, adfuisse plusquam quinquaginta, et canones huius Concilii generali collectioni fuisse insertos; ex quo nonnulli coniiciunt, disciplinæ ecclesiasticæ non fuisse adversos: alii contra suspicantur, cum ex eo quod in nulla canonum collectione Hispanorum extant, tum ex nimia disciplinæ ecclesiasticæ relaxatione, quæ in antecedentibus Conciliis indigitatur, tum ex illa prophetica S. Isidori Hispalensis assertione, Hispaniarum nimirum vastationem imminere, tum denique ex ipsamet coniuratione subditorum in Regem suum, languente militari peritia, et per omnes hominum ordines late grassante omnis generis scelerum ingluvie. Licet in assignando anno quo Concilium hoc celebratum fuit, omnes dissentiant, nemo tamen diffitetur, ad primordia regni Witizæ reiiciendum, cum nimirum ille Princeps nondum in vitia præceps ruerat. Præfuit Felix idem qui in Concilio superiori, si Pacensi fides habenda est, non Gundericus, ut aliis non ita probabiliter placuit.

CONCILIA TOLETANA
Extra numerum, invasionem Arabum præcedentia.

Concilium nationale celebratum die decima septima Maii, anno 597, duodecimo Regis Reccaredi, in SS. Apostolorum Basilica. Interfuerunt tres Metropolitæ, Emeritensis, Narbonensis, et Toletanus

nus (qui erat Adelphius) cum aliis tredecim Episcopis diversarum provinciarum, ex quo numero fuit S. Ioannes de Valclara, seu Biclarensis, civitatis Gerundensis, cuius opera desiderantur, non secus ac Pacensis, in editionibus Loaysæ, et Aguirrii, sed à cl. Florezio restituta. Licet quindecim dumtaxat appareant subscriptiones Episcoporum, tamen re vera decem et sex adstitere. Duos tantum canones præfati Concilii Patres edidere: in primo actum est de castitate servanda ab Episcopis, Presbyteris, et Diaconis; in secundo de donatione Ecclesiæ facta, et modo eius distributionis.

Concilium provinciale celebratum die 23 Octobris, anno 610, primo Regis Gundemari. Coactum fuit ad compescendum schisma Episcoporum quorumdam, qui obedire renuebant Metropolitæ Toletano, decretumque fuit, ut soli Toletano obedientiam præstarent, non quidem novo, et inusitato excellentiæ Toletanæ privilegio, sed iam ab antiquioribus Patribus in suis decretis Synodalibus præcellentia declarata. Quindecim Episcopi provinciæ Carthaginiensis subscribunt, præter Toletanum, (tunc temporis erat Aurasius) qui in causa propria iudicis partes agere noluit. Confirmatum fuit à Rege hoc decretum, pœnis statutis adversus transgressores, præter impositas à Concilio: ipseque curavit, ut omnes Episcopi diversarum provinciarum, qui Toletum venerant occasione exaltationis Regis ad thronum, assentirentur: ita ab omnibus fuit executioni mandatum. Subscripserunt igitur viginti sex Episcopi, et quattuor Metropolitæ, Hispalensis, Tarraconensis, Emeritensis, et Narbonensis, insuper duo SS. Episcopi Ioannes Biclarensis, et Fulgentius Astigitanus.

Aliud Concilium tempore S.Helladii Archiepiscopi Toletani celebratum fuit. Constat ex quadam epistola S. Isidori Hispalensis, remissa ab hoc præclarissimo Doctore ad Helladium Præsulem Toletanum contra quemdam (ut aiunt) Episcopum Cordubensem, peccati lasciviæ reum, ut de eo Concilium ferret iudicium. De prædictæ epistolæ auctoritate videri potest clarissimus Florezius.

CONCILIA CELEBRATA
A Præsulibus Toletanis in civitate Toletana, et in aliis Provinciis post Maurorum expulsionem.

Expugnata civitate Toletana ab Alfonso VI. anno, ut superius diximus, 1085, die 25 Maii, convocavit Rex anno sequenti Episcopos, Abbates, et optimates regni sui: qui omnes convenerunt Toletum die 18 Decembris, anno 1086; et post actionem gratiarum Deo repensam propter insignem Toleti occupationem, decreverunt eligere Archipræsulem Toletanum, qui malis præteritis subveniret: electusque fuit Bernardus Abbas monasterii S. Facundi. Dotem munificentissimam constituit Rex sanctæ

Digitized by Google

ctæ Ecclesiæ Toletanæ, et dissolutum fuit Concilium.

Anno 1088 Bernardus Archiepiscopus Toletanus adfuit tempore verno Concilio habito in oppido vulgo *de Husillos* prope Palentiam, in quo præfuit Cardinalis Ricardus Legatus Apostolicus, et præfixi fuerunt limites inter duas diœceses, Burgensem scilicet, et Oxomensem.

Anno 1089 adfuit idem Bernardus Archiepiscopus Toletanus Concilio Tolosano in Galliis, cui per Legatos præfuit Urbanus II. precibus Regis Alfonsi VI. ut asserit Presbyter Bertoldus, seu Bernaldus, scriptor coætaneus, *pro restauranda Christianitate in Toletana civitate.*

Anno 1090 tempore verno adfuit idem Bernardus Archiepiscopus Toletanus Concilio habito Legione in Hispania, eo fine, ut characteres Gothici abrogarentur, eorumque loco omnes uterentur characteribus Gallicis. Præfuit hoc in Concilio Cardinalis Rainerius Legatus Apostolicus, postea ad Pontificatum evectus nomine Paschalis II.

Anno 1094 præfatus Bernardus Archiepiscopus Toletanus Concilio Tolosæ in Gallia habito præfuit ut Legatus Apostolicus, ut apparet ex Bulla Urbani II. à Baluzio edita.

Anno 1095 mense Novembri adfuit idem Bernardus Toletanus Concilio Claramontano.

Anno 1096 adfuit idem Bernardus Toletanus mense Martio Concilio Turonensi ab Urbano II. celebrato.

Eodem anno, mense Iulio adfuit etiam Concilio Nemausensi, cui præfuit idem Pontifex Urbanus.

Anno 1097 præfuit idem Archiepiscopus Bernardus Concilio Gerundensi, celebrato, secundum Baluzium, ad corroborandam ecclesiasticæ libertatis dignitatem.

Anno 1100 adfuit idem Bernardus Palentino Concilio celebrato die quinta Decembris, cui præfuit Cardinalis Ricardus Legatus Apostolicus, ut asserit Pulgar in historia civitatis Palentinæ tom.2. lib.2. pag.131.

Anno 1102, nullatenus vero 1110, nec sequenti, ut credidit Cardinalis Aguirrius, convocavit Archiepiscopus Bernardus, et præfuit Concilio *de Carrion de los Condes*, ubi Episcopi Iriensis, et Mindoniensis iura sua exposuerunt super limitibus suarum diœcesium. Florez tom. 18. tract. 59. cap. 4. et tom. 20. pag.75.

Anno 1103, vel proxime sequenti, idem Bernardus Archiepiscopus Toletanus Legione in Hispania celebravit aliud Concilium, in quo rursus actum est de finibus diœcesium Iriensis, et Mindoniensis. Hist.Compost. pag.78. tom.20. Hispaniæ Sacræ.

Anno 1113, die 25 Octobris præfuit idem Bernardus Toletanus Concilio Palentino, quod indixerat ad subveniendum malis, quæ regnum vexabant, et in historia Compostellana referuntur lib. 1. cap.92. et sequentibus.

Anno 1114, die 16 Octobris præfuit idem Bernardus Concilio Legionensi, eo fine, ut pax inter Reginam Urracam, et eius sponsum Alfonsum Regem Aragoniæ restitueretur.

An-

Digitized by Google

Anno 1115, die sacro Pentecostes celebratum fuit Oveti aliud Concilium, in quo graves pœnæ adversus fures, et violatores immunitatis ecclesiasticæ imponuntur. Primo loco subscripsit Bernardus Archiepiscopus Toletanus.

Anno 1117, verna tempestate adfuit idem Bernardus Concilio Burgensi, cui præfuit Cardinalis Bosus, ut asserit F. Paulus Rodriguez in MS. vitæ Archiepiscopi Bernardi.

Anno 1129, hebdomada prima quadragesimæ præfuit Archiepiscopus Toletanus Raymundus Concilio nationali Palentiæ congregatò à Rege Alfonso VII, in quo anathemate fuerunt perculsi omnes inobedientes Regi, necnon monetæ falsarii. Histor. Compost. lib. 13. cap.7.

Anno 1154, die secunda Ianuarii præfuit Ioannes Archiepiscopus Toletanus Concilio Salmantino, quod convocari decrevit Rex Alfonsus VII, ut lites inter Episcopos Ovetensem, et Lucensem de limitibus suarum diœcesium exortæ sopirentur. Subscribunt in hoc Concilio Rex Alfonsus VII, eiusque duo filii Sancius, et Ferdinandus.

Anno 1179 adfuit Zerebrunus Toletanus Præsul Concilio tertio Lateranensi. Doctor Acheri tom. 1. pag. 639.

Ante annum 1221 asserit Colmenares in historia civitatis Legionensis pag. 188. celebratum fuisse Concilium in civitate Guadalaxarensi ab Archiepiscopo Toletano D. Roderico Ximenio de Rada.

Anno 1229, die 29 Aprilis adfuit idem Archiepiscopus Rudericus Concilio Tarraconensi, cui præfuit Cardinalis Legatus Apostolicus: in eo fuit declarata nullitas matrimonii inter Iacobum Aragoniæ Regem, eiusque sponsam Eleonorem; nam licet bona fide contractum, tertio consanguinitatis gradu erant coniuncti.

Circa hæc tempora refert Castejon tom. 2. Primatus Toletani, Archiepiscopum Toletanum Gundisalvum Garciam Gudiel Vallisoleti celebrase Concilium; sed cum non designet annum, in hoc non immoramur.

Anno 1302, die 29 Aprilis celebravit in oppido Pennafidelensi Archiepiscopus Toletanus Gundisalvus Diaz Palomeque Concilium provinciale, in quo gravibus sub pœnis prohibetur Clericorum concubinatus: renovantur pœnæ impositæ contra usurarios in Conciliis Lateranensi, et Lugdunensi: declaratus fuit dies festus S. Ildefonsi: quotidie post completorium decretum fuit cantari antiphonam *Salve Regina*. In errorem lapsi sunt, qui hanc Synodum tribuerunt D. Ægidio de Albornoz Archiepiscopo Toletano: necnon Pulgar in Palentina historia deceptus est, volens unum Concilium in duo dividere à D. D. Gundisalvo, et Ægidio celebratis.

Anno 1323, mense Maio Archiepiscopus Toletanus Ioannes, Aragoniæ Infans, Toleti celebravit Synodum diœcesanam, in qua quamplura reperiuntur perutilia decreta dogmatica, moralia, et de ecclesiastica disciplina.

Anno 1324, die 21 Novembris idem Ioannes, Aragoniæ Infans, Toleti coegit Concilium provin-

vin-

Digitized by Google

vinciale, in quo perutiles canones inveniuntur spectantes ad Clericorum modestiam, ad servitium personale Beneficiorum, et contra omnem exactionem pretii pro eleemosyna Missæ; nigris enim coloribus describitur tam execrabilis avaritia.

Anno 1325, die 11 Decembris idem Archiepiscopus Infans Aragoniæ celebravit Compluti Synodum diœcesanam, in qua exponuntur varii canones antecedentis Synodi.

Anno 1326, die 11 Februarii idem Archipræsul Infans Aragoniæ Toleti coegit Synodum diœcesanam, suoque nomine præfuit in ea Vicarius Generalis.

Eodem anno 1326, die 25 Iunii idem Archipræsul Ioannes Compluti celebravit Concilium provinciale, et in canone primo agnoscitur adhuc perdurasse ecclesiasticam disciplinam, ut Episcopi suffraganei obedientiam præstarent sub iuramento Metropolitæ suo.

Anno 1333 Archiepiscopus Ximenius de Luna Compluti Concilium provinciale convocavit, cuius acta disparuerunt.

Anno 1339, die 19 Maii Archiepiscopus Toletanus Ægidius de Albornoz Toleti congregavit Concilium provinciale, in cuius secundo canone valde commendatur instructio cleri.

Anno 1345 idem Archiepiscopus Ægidius de Albornoz Compluti Synodum diœcesanam celebravit, eiusque acta asservantur in archivo S. Ecclesiæ Primatis Toletanæ.

Anno 1347, die 24 Aprilis idem Archiepiscopus Albornoz Compluti celebravit Concilium provinciale, cuius canon tertius observatione dignus est.

Anno 1354, die 9 Maii Archiepiscopus Toletanus D. Blasius, seu Bascus Fernandez de Toledo Compluti celebravit Synodum diœcesanam, aliamque rursus celebravit anno 1356. Ita constat ex archivis S. Ecclesiæ Toletanæ.

Anno 1355, die 1 Octobris idem Archipræsul D. Blasius Fernandez de Toledo celebravit Toleti Concilium provinciale.

Anno 1379 Archiepiscopus Toletanus D. Petrus Tenorius præfuit tribus Conciliis celebratis Compluti, Toleti, et in oppido, vulgo *Illescas*, ad deliberandum, cui ex duobus Pontificibus electis, scilicet Urbano VI. et Clementi VII, deberent Hispani obedire, et post longas dissertationes decretum fuit, ut iudicium Ecclesiæ universalis expectaretur.

Anno 1430, vel 1431, adfuit Concilio Senensi sub Martino V. D. Ioannes de Contreras Archiepiscopus Toletanus.

Anno 1473 Archiepiscopus Toletanus D. Alfonsus Carrillo celebravit Concilium provinciale in oppido *de Aranda de Duero*. Notatu digni sunt canones 13. 15. 19. 20.

Anno 1479 idem Archipræsul Alfonsus Carrillo præfuit Compluti Theologorum cœtui contra Petrum de Osma, qui convictus abiuravit ibi errores suos. *Non venit in mentem* (ait Melchior Canus lib. 5. de Locis Theologicis cap. 4. concl. 7.) alia Episcopalis Synodus *in iudicio fidei à Romano Episcopo confirmata præter Com-*

Complutensem sub Alfonso Carrillo Archiepiscopo Toletano, ubi damnatus est Magister Oxomensis, qui falso de clavibus Ecclesiæ, et pœnitentiæ sacramento sentiebat.

Anno 1497 Cardinalis Ximenius de Cisneros Compluti Synodum diœcesanam celebravit, et eodem anno, vel proxime sequenti, aliam celebravit in oppido Talabricensi: in utraque perutiles canones statuti fuerunt, inter quos illi præcipui, qui adhuc hodie generaliter observantur, ut in omnibus parochialibus Ecclesiis asserventur libri, in quibus adscribantur omnes baptismatum, defunctorum, et matrimoniorum schedulæ, seu notæ, necnon ut quotannis fierent matriculæ, seu indices civium omnium, qui tempore Paschali debent sacramentum communionis suscipere.

Anno 1536, die 10 Aprilis Toleti congregavit Synodum diœcesanam Archiepiscopus Cardinalis D. Ioannes de Tavera.

Anno 1565, cum adhuc penderet causa contra Archiepiscopum Carranza, Toleti fuit congregatum Concilium provinciale, quod inchoatum fuit die 8 Septembris illius anni, et absolutum die 25 Martii anni proxime sequentis. Typis mandatum fuit præfatum Concilium Compluti, et in eo præfuit D. Christophorus de Roxas Episcopus Cordubensis, ut antiquior suffraganeus.

Eodem anno 1566 quo absolutum fuit prædictum Concilium provinciale, etiam Synodus diœcesana celebrata fuit.

Anno 1580 Cardinalis D. Gaspar de Quiroga Toleti Synodum diœcesanam celebravit.

Anno 1582 idem Cardinalis Archiepiscopus Quiroga Toleti celebravit Concilium provinciale, cui adfuit, ut Secretarius, clarissimus Ioannes Baptista Perez Canonicus Toletanus, qui post absolutum Concilium abunde fecit satis obiectionibus Concilio Romæ positis, ne denominaretur Sancta Synodus, nec nomen Regii Legati Marchionis de Velada in eo appareret. Inter consultores huius Concilii annumeratus fuit doctissimus Benedictus Arias Montanus. Sessiones habitæ fuerunt in aula Conciliorum palatii Archiepiscopalis.

Anno 1596 Toleti Synodum diœcesanam congregavit Serenissimus Cardinalis et Archiepiscopus Albertus, Archidux Austriæ, et eius nomine præfuit D. Garcia de Loaysa et Giron, Coadministrator in spiritualibus, et postea successor in Archiepiscopatu.

Anno 1601 Cardinalis Bernardus Sandoval et Roxas Toleti celebravit Synodum diœcesanam.

Anno 1620 Serenissimus Infans Hispaniarum Cardinalis Ferdinandus Synodum diœcesanam congregavit, et eius nomine præfuit Doctor Alvarus de Villegas, Coadministrator in spiritualibus.

Anno 1648 Synodum diœcesanam celebravit Cardinalis D. Balthasar Moscoso et Sandoval.

Anno 1682 Synodum diœcesanam celebravit Cardinalis D. Ludovicus Emmanuel Portocarrero, eiusque constitutiones hodiedum vigent, et ab omnibus debent observari.

CA-

Digitized by Google

CATALOGUS
PRÆSULUM ECCLESIÆ TOLETANÆ HISPANIARUM PRIMATIS.

S. EUGENIUS I.

Sanctum Eugenium, magni Dionysii discipulum, primum Episcopum Toletanum fuisse, plura, neque spernenda, nobis argumenta suadent. In primis enim Ecclesia Toletana à septem retro sæculis id firmissimè tenet, à cuius traditione, ob rationum momenta quæ negantis sententiæ adsertores proferunt, nullatenus discedemus. Sed nec exiguam huic nostræ traditioni auctoritatem conciliat Romanum martyrologium à sapientissimo, prudentissimoque Pontifice Benedicto XIV. recognitum; in eo namque nostrum Eugenium Toletanum Episcopum fuisse, ac Beati Dionysii discipulum, in territorio Parisiensi martyrium subiisse, ac demum subsequentibus sæculis Toletum corpus eius translatum fuisse, iisdem fere verbis asseritur. Iis accedit, Antonium de Ribera Notarium Apostolicum authentico testimonio (quod inter alia regia diplomata Galliarum Regis in quadam capsella servatur in sacrario S. Ecclesiæ Toletanæ) testari, se vidisse tabellam in clathro pendentem capellæ S. Eugenii in præfata Ecclesia S. Dionysii, quæ sequentia verba continebat: *Gaudeat exultans plebs Toletana, cui Dionysius Areopagita egregium Pastorem destinavit Eugenium: socios quoque strenuos aliis urbibus; Toleto autem fortissimum Eugenium.* Quod si ad lectiones, quas XVII. calendas Decembris in officio S. Præsulis Ecclesia Toletana legit, ea qua par est veneratione, animum convertamus: si denique historias nostræ gentis inspiciamus, omnia inter sese mirifice consentire, reperiemus. Fateamur ergo S. Eugenium, Beati Dionysii discipulum, primum Antistitem, atque adeo parentem, et institutorem Ecclesiæ Toletanæ fuisse; cuius quidem augendæ, amplificandæque amore impulsus, cum in Gallias ad S. Dionysium reversus fuisset, Dioli oppido, à Lutetia Parisiorum haud longe dissito, de fide interrogatus, constanti animo martyrii palmam assecutus est. Illius vero corpus sanctissimum, qua occasione Ecclesiæ nostræ restitutum sit, paucis ostendemus. Iter ad Rhemense Concilium faciens Raymundus Toletanus Antistes, Lutetiæ Parisiorum aliquantulum immoratus, ad S. Dionysii monasterium Religionis gratia se contulit: dum vero eius adyta, et sacra loca pie viseret, in sanctum D. Eugenii prædecessoris sui corpus, Hispanis tunc ignotum, incidit. Quod cum, absoluto Concilio, in Hispanias rediens, Alfonso Regi nunciasset, cœpit carissimi sibi thesauri conquirendi desiderio flagrare. Eius

votis annuens Ludovicus VII. Rex Galliarum, S. Martyris brachium Alfonso VII. Hispaniarum Imperatori concessit; ac subsequenti tempore Carolus IX. Galliarum Rex Philippo II. Regi nostro corpus sanctissimi Martyris, et Episcopi nostri dono dedit.

2.
MELANCIUS.

Initio sæculi IV. interfuit Concilio Illiberitano, cui subscripsit septimo loco secundum ordinem præscriptum in editionibus Synodi correctioribus, quibus adstipulamur. Quapropter cum Osium Cordubensem præcesserit, qui subscribit loco undecimo, necesse est, ut ante annum 294, quo circiter electus fuit Osius, Melancium Episcopum statuamus. Vide tom. 10. Hispan. Sacræ, pag. 162, 200, et seq. Quod autem à S. Eugenio primo ad Melancium usque, alius Episcopus non commemoretur, neminem movere debet, ut seriem Toletanorum Præsulum interruptam arbitretur. Non enim mirum, si historiæ illius temporis, in quo idololatria dominabatur, et cuius extinctionem gravia, diuturna, et periculosa bella antecesserunt, et subsecuta sunt, certa monumenta desint.

3.
PELAGIUS.

4.
PATRUNUS.

5.
TURIBIUS.

6.
QUINTUS.

7.
VINCENTIUS.

8.
PAULATUS.

9.
NATALIS.

10.
AUDENCIUS.

Vide tom. I. nostræ collection. pag. XXXIX. Audencium à Gennadio commemoratum Toletanum fuisse Præsulem traditur à S. Ildephonso, qui Asturium post Audencium eam Ecclesiam gubernasse scribit cap. 2. de Viris Illustrib. Scripsit adversus Manichæos, Arianos et Photinianos librum de fide, quem iniuria temporum periisse, dolet idem Gennadius. Ferreras hist. Hisp. ad annum 386.

11.
ASTURIUS.

Vide S. Ildephonsum in prædicto tom. I. pag. 285. Interfuit anno 400 Concilio Toletano I. cui subscribit sexto loco.

12.
ISICIUS.

13.
MARTINUS.

14.
CASTINUS.

CAM-

15.

CAMPEIUS.

16.

SINTITIUS.

17.

PRAUMATUS.

18.

PETRUS I.

19.

CELSUS.

20.

MONTANUS.

Vide S. Ildephonsum in eodem tom. I. pag. 285, & nos pag. 1. et seq. Præfuit Concilio Toletano II, et sedit ab anno 522 ad 531 novem annos ex S. Ildephonso.

21.

IULIANUS I.

22.

BACAUDA.

23.

PETRUS II.

24.

EUPHEMIUS.

Ecclesiam Cathedralem consecravit in mense Aprilis anni 587, et Concilio III. Toletano interfuit in mense Maio anni 589. Excellenti probitate vir, et eruditionis laude non vulgari adeo conspicuus, qui vel in exteris regnis mirandus extiterit, ut patet in tom. 1. Antiquitat. Eccles. per Scheltratem. Sedit ab anno 579, vel adhuc ante illum: antiquior enim erat ordinatione, quàm S. Leander Hispalensis, qui anno præfato eam sedem iam gubernabat.

25.

EXUPERIUS.

26.

CONANCIUS.

27.

ADELPHIUS.

Subscripsit XVI. calendas Iunii, anno 597, cuidam Synodo Toletanæ ex earum classe, quæ extra numerum vocantur, ut patet in nostra serie Conciliorum.

28.

AURASIUS.

Vide S. Ildephonsum in tom. I. nostræ collection. pag. 286. A Patribus Synodi Toletanæ sub Gundemaro sanctissimus proclamatur. Vixit in Sacerdotio annis fermo duodecim, inquit S. Ildephonsus, quos numerabimus cum Florezio à fine anni 603 ad usque initium 615. Scripsit epistolam adversus Froganum seu Froianum quemdam, qui, deserto Christianorum dogmate, ad Hebræorum partes transivit, Toletique, ut videtur, Synagogam Iudaicam erexit. Non assentimur cl. Baierio, qui hunc Froianum affirmat eum esse quem commemorat Taio Cæsaraugustanus: cum alter vixerit initio sæculi septimi, alter verò medio iam sæculo, videlicet post annum 653, post quem cum Vasconibus rebellavit, ut refert prædictus Taio. Videsis tom. 30. Hisp. Sacr. pag. 189.

Digitized by Google

29.

S. HELLADIUS.

Vide ibi S. Ildephonsum pag.287. Sedit, teste eodem Sancto, decem et octo annos, obiitque mense Februario, anno 633.

30.

IUSTUS.

Vid. ibid. S. Ildephonsum. Interfuit Concilio IV. Toletano, cui præfuit S. Isidorus Hispalensis; et rexit ab eodem anno 633 ad usque Martium anni 636. Falluntur egregie Morales, Mariana, Aguirre, nonnullique scriptores alii, qui nimis festinanter S. Ildephonsum legentes, hunc Iustum confudêre cum altero S. Helladii Diacono, ac postea Episcopo ignotæ sedis, qui ob intemperantiam morum à suis Clericis, *dormiens*, *laqueo strangulatus, expiravit.* Tam aperte Ildephonsus utrumque Iustum distinguit, ut non multum indigeamus quadam prolixa Higueræ nota ad Luitprandum id ipsum confirmantem, inquit Nicolaus Antonius. Sed nobis digna videtur, quæ consulatur ad annum 632, num. 48. Ab aliis auctoribus inter Sanctos noster recensetur Iustus: (ita homines in diversa aguntur: quem alter fœda morte extinctum credit, is ab altero cœlitibus adnumeratur) sed non satis firma ratione, ut videre licet apud Bollandianos ad diem tertiam Septembris in prætermissis.

31.

EUGENIUS II.

Præter ea quæ narrat ibi S. Ildephonsus pag.289, vid. quæ refert S. Eugenius III. in epist. ad S. Braulionem Cæsaraugustanum in eod. nostro tom. I. pag. 80. Interfuit Conciliis V. et VI. Toletanis, et rexit ab anno 636 ad usque 646.

32.

S. EUGENIUS III.

Vid. ibi S. Ildephonsum pag. 290, et nos pag. 13, et seq. Sedit ab anno 646 ad 657, quibus adfuit Conciliis Toletanis VII. VIII. et X. præfuitque IX. Constat ex martyrologio Usuardi, Eugenium Sanctorum fastis iam adscriptum sæculo nono, die decima tertia Novembris, qua eum celebrat Ecclesia Toletana ab initio sæculi XVII. Ita velim corrigas pag. 15. tom. I. col. 2.

33.

S. ILDEPHONSUS.

Videas eumdem tom. I. pag. 96. et seq. et tom. II. pag. 323. Rexit à mense Decembris anni 657 ad usque diem 23 Ianuarii 667.

34.

QUIRICUS.

Præsul sanctæ memoriæ à Felice et S. Iuliano dictus: doctrina, vitæ integritate, et pro ecclesiastica disciplina zelo præclarus: congregavit Concilium Toletanum XI. anno 675, et sedit ab anno 667. ad annum 679.

35.

S. IULIANUS II.

Vid. tom. II. collection. nostræ pag. XVI: congregavit Concilia Toletana XII. anno 681. XIII. anno 683. XIV. 684. et XV. anno 688. Rexit Ecclesiam à fine Ianua-

Digitized by Google

nuarii anni 680 ad usque diem 6 Martii 690. Vehementer quidem errant nonnulli Theologi qui asserunt, tertium librum S. Iuliani *de comprobatione sextæ ætatis* censorio stigmate confixum à Romana, ut dicunt, Indicis Congregatione, propterea quod Sanctus Antistes in calculo annorum à mundo condito ad usque Christum natum prætulerit codicibus Hebræis codices septuaginta interpretum: qua de re aliquid annotavimus sub pag. 130, tom. II. Verùm cum postea deprehenderimus, Gravessonium, et eum secutum Woutersium, qui quidem auctores omnium manibus teruntur, in ea fuisse sententia; operæ pretium facturi existimamus, hic admonere lectorem nostrum, parum diligenter, ne amplius dicam, hoc argumentum ab eis tractatum. Nam si Romana Congregatio Iulianum propterea perculisset, perculisset item Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Cyrillum, Epiphanium, aliosque complures, tam Græcos, quam Latinos Ecclesiæ Patres Iuliano consentientes, vel potius, quibuscum Iulianus consentit, quos adducunt Baronius, et Natalis Alexander: perculisset martyrologium Romanum, quod utitur eadem chronologia: perculisset denique ipsam Catholicam Dei Ecclesiam, quæ, ut scribit præfatus Cardinalis, in supputatione annorum ab origine mundi septuaginta interpretes secuta est, aut sequi consuevit. Tantum abest, ut huius rei causa Iulianus nota aliqua inuri queat. Quid quod etiam post declaratam in Synodo Tridentina authenticam editionem vulgatam sacrorum Bibliorum, viri præclarissimi, Baronius, Morinus, Pezronius magnis rationum ponderibus propugnarunt opinionem Iuliani, quin Ecclesia in huiusmodi controversia, ad fidem, bonosque mores non pertinente, iudicium suum interponat? Quippe quæ maiestatem, àuctoritatemque suam, ut recte inquit Natalis Alexander, ad has minutias chronologicas non demittat. Sed quoniam Gravessonius videtur fultus Malvendæ auctoritate, necessarium est animadvertere, triplicem editionem operis Malvendiani de Antichristo promulgatam esse: primam Romæ ab auctore anno 1604: secundam Valentiæ in Hispania, adhuc eo vivente: tertiam post eius mortem, Lugduni, anno 1647, quæ adeo differt à prima Romana, sive ordinem capitum respicias, sive substantiam, ut fermè asseram ab editoribus ita fore commutatam. Secundam non vidimus, nullo enim pretio, nec ulla diligentia ad manus eam habere potuimus. Igitur Malvenda in prima editione sibi obiiciens (lib. 1. cap. 14.) locum Iuliani, cuius sententiæ non adhæret, neutiquam recurrit ad Congregationis decretum; sed eodem modo cum Iuliano agit, ac cum ceteris Patribus Iulianum præeuntibus in ea sententia. Unde ergo erutum est decretum Congregationis adversus memoratum librum Iuliani, aut à Malvenda, si adhuc velis, seu potius, ut ego arbitror, ab eius editoribus Lugdunensibus, à quibus illud accepit Gravessonius, atque ab eo Woutersius? Si placeat, credatur, eos minus rectè in-

intellexisse de toto libro expuncto expunctionem glossæ, ut loquitur Index Romanus, vel notæ marginalis, ut Hispanus dicit, quæ glossa, vel nota haud est fœtus Iuliani, sed eorum qui luci publicæ librum commiserunt. Nolim equidem editores Parisinos, Colonienses, et Lugdunenses Bibliothecæ veterum Patrum adnotationem marginis delevisse, et eius censuram reliquisse. Ita enim fit, ut qui rem accurate non perpendant, de Iuliano possint accipere (et quare non de ceteris SS. Patribus, quos attulimus?) quod de eius libri editoribus Indices præfati notaverunt. Alia nobis dicenda facile occurrunt; sed malumus religiosi, quam audaces videri.

36.
SISBERTUS.

Sedi Toletanæ præfectus anno Christi Domini 690, ab ea tandem deponitur à Patribus Concilii XVI. Toletani, anno 693, die secunda Maii.

37.
FELIX.

Antea Archiepiscopus Hispalensis: ea sanctitatis gloria, et prudentiæ dono conspicuus, ut eum Patres Concilii XVI. quo depositus fuerat Sisbertus, concordibus suffragiis ab Egica Rege in sedis huius regimen expetierint. Scripsit vitam, quam recudimus, S. Iuliani; atque etiam credimus eum auctorem esse opusculi de traditione Missæ Apostolicæ, quod edidit Florezius. Præfuit Concilio Toletano prædicto, et fortasse etiam decimo septimo, et decimo octavo.

38.
GUNDERICUS.

Dono sanctitatis illustris, et in multis mirabilibus celeber habitus, ab Isidoro Pacensi et Roderico Toletano proclamatur. Rexit Ecclesiam ab anno circiter 700 ad annum circiter 710.

39.
SINDEREDUS.

Quamvis sanctimoniæ studio clareret, ut idem ait Isidorus, nihilominus (ipse subdit) longævos et honorabiles viros suæ Ecclesiæ imprudenti zelo exagitavit, atque instinctu Witizæ Principis eos vexare non cessavit. Postea incursus Arabum pertimescens, non ut pastor, sed ut mercenarius, Christi oves contra decreta maiorum deserens, Romam se contulit, ubi cuidam Synodo sub S. Gregorio II. anno 721 coactæ subscripsisse creditur. Quando mortuus fuerit, ignoratur.

40.
URBANUS.

Ecclesiæ Toletanæ præcipui Sacerdotes, ne in calamitate Saracenica rectore carerent, Urbanum prisci moris virum, morum sanctitate excellentem, Præsulem crearunt. Fuerat is eiusdem Ecclesiæ veteranus Melodicus, ut ait Pacensis, id est Primicerius, seu primus Cantor: et quoniam, Sinderedo superstite, electus est, nonnulli negant, eum fuisse proprium Antistitem, sed functum dumtaxat munere absentis Episcopi spatio circiter viginti quattuor annorum.

SU-

Digitized by Google

41.

SUNIEREDUS.

42.

CONCORDIUS.

43.

CIXILLA.

Præsul præstantissimus, incredibilis propè zeli, prudentiæ, et optimæ vitæ: turbidum inter cum Barbaris commercium totus incubuit, ut illustrium suorum prædecessorum bonam memoriam scriptis conservaret. Edidit inter alia vitam S. Ildephonsi, quam recudimus; et Christianis carus, Saracenis ipsis venerandus, rexit Ecclesiam ab anno circiter 774 ad annum circiter 783.

44.

ELIPANDUS.

Præsul ætate, ac sapientia venerabilis, et ex ipso eius impugnatore Alcuino, vir senectute gravis, moribus nobilis: adversus errores Migetii constanti zelo pugnavit. Eius doctrina à quibusdam scriptoribus suspecta de Nestoriana labe censetur, ab aliis tamen vindicatur. Consule, quæ diximus tom. I. nostræ collectionis à pag.XIV. usque ad XX. Præfuit ab anno circiter 783 ad annum circiter 808.

45.

GUMESINDUS.

46.

WISTREMIRUS.

Virtutum omnium laude, sed maxime indeffessæ erga gregem, variis tunc ærumnis oppressum, sollicitudinis conspicuus. Mirum eius encomium legi potest apud S. Eulogium in epistola ad Wiliesindum Episcopum Pampilonensem, quæ extat tom.II. collectionis nostræ, pag.539; ubi Wistremirum appellat Spiritus Sancti faculam, et lumen totius Hispaniæ.

47.

S. EULOGIUS.

Electus Toletanæ sedis Archiepiscopus anno 859, quo in persecutione Regis barbari Cordubensis, virtute clarus et fide, palma martyrii coronatur. Præclara ipsius gesta, et scripta debitis encomiis extollit Alvarus Cordubensis. Vide in prædicto tom.II. pag.394. et seq.

48.

BONITUS.

Quæ de hoc Antistite fabrefacta sunt in illius cerebro, qui vera aut falsa dicere pariter habuit, larvatus auctor sub nomine Luitprandi, merito exsibilaveris cum Nicolao Antonio, et ceteris qui hominis illius convellere auctoritatem assecuti sunt.

49.

IOANNES I.

Præter successionem in pontificatu, quam adstruit, sicuti in omnibus præcedentibus (si exceperis Eugenium I, Melancium, et Eulogium) codex Emilianensis Conciliorum, decimo Ecclesiæ sæculo conscriptus, qui servatur in Regio cœnobio Escurialensi, cetera quæ de Ioanne memorat, ut oppugnet, præfatus Nicolaus, puræ putæ nugæ sunt eiusdem personati Luitprandi. Obiit ex eodem codice anno 926.

PAS-

50.

PASCHALIS.

Toletanam sedem constat obtinere anno 1067, non vero 1077, ut sæpè scripsit Florez tom. 5. Hisp. Sacr. tract. 5. cap. 5. num. 102. et seq. usque ad finem. Ordinatus fuit Legione anno 1058, ut patet ex apographo in scrinio illius Ecclesiæ reperto. Tom. 35. Hisp. Sacr. pag.83.

51.

BERNARDUS.

Primus post recuperatam ab Alfonso VI. urbem Archiepiscopus, religione, et litteris nulli secundus: optimi mores, præstantissimum ingenium, opinio doctrinæ, spectata magnis et multis in rebus integritas animi, gentis voluntates homini externo, et in Gallia nato, conciliarunt, ait Ioannes Mariana. Templum maximum, ovans ille, lætusque, ex ritu Christiano sollemni cæremonia Deiparæ nomine, Mahometanis sordibus expiatis, sacravit. Obiit anno 1124, et sedit ab anno 1086. Iacet in S.Andreæ veteri sacello Ecclesiæ Primatis.

52.

RAYMUNDUS I.

Pro Ecclesia Oxomensi consecratus, ad Toletanam inde promovetur. Primatus iurium strenuus vindex, quæ duplici Honorii, et Lucii utriusque diplomate roboravit. Interfuit Concilio Palentino, quo ecclesiastica immunitas fuit defensata; et tradita Corduba, in eius Mezquita Catholico ritu sollemnia peregit. Præfuit ab anno 1125 ad 1150, aut 51. Tumulatus creditur in eodem sacello.

53.

IOANNES II.

Magno vir animo, et antiquæ probitatis, omnibusque perfecti Præsulis dotibus illustris: interfuit Concilio Turonensi ab Alexandro III. coacto ad sedandum in eius et Victoris IV. electione subortum schisma; et præfuit Salmantino conventui Episcoporum et Magnatum à Rege congregato. Demum maximis curis confectus, et annorum plenus, moritur anno 1166, die 29 Septembris. Sepultus creditur ibidem in Ecclesia Toletana. Prænobilis familia Hispalensis Marchionum *de Campoverde*, qui cognominantur *Gonzalez Torres de Navarra*, haud levibus fundamentis, per amicam manum ad nos transmissis, hunc Antistitem numerat inter alios domesticos Proceres, à quibus maximè illustratur.

54.

CEREBRUNUS.

Primum Archidiaconus Toletanus, deinde Episcopus Seguntinus, et Alfonsi VIII. magister: quo et aliis sibi creditis à Rege muniis egregiè functus, obiit anno 1180, die 12 Maii. Iacere creditur in eodem sacello.

55.

PETRUS III.

DE CARDONA.

Quem nonnulli in catalogum Ecclesiæ Toletanæ Præsulum non referunt: sed verius apparet ad eam promotum ex Pontificiis diplomatibus Alexandri et Lucii III. eum electum confirmantibus, vel nonnul-

Digitized by Google

nulla negotia delegantibus, quæ in scrinio huius S. Ecclesiæ adservantur. Rexit usque ad annum 1182, quo obiit, die 26 Iunii. Quædam adversaria non contemnenda, quæ servantur in Bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ, hunc Antistitem accensent Cardinalibus S. R. E.; quamquam in eorum catalogis hucusque editis eius memoria desit.

56.

GUNDISALVUS I.

PEREZ.

Quem antiquitatum scriptores magnum, et præexcelsæ virtutis virum appellant: decessit III. calendas Septembris anni 1193. Sepulturæ mandatus existimatur in eodem S. Andreæ sacello.

57.

MARTINUS II.

LOPEZ DE PISUERGA.

Præsul, cuius vita, testimonio Roderici successoris, honor fuit suæ gentis: stola eius, diadema Ecclesiæ: sapientia eius, pax multorum: lingua eius, informatio disciplinæ: manus eius, subsidium pauperum: cor eius ad compassionem humilium: cingulum eius, zelus fidei, et arma eius ad persecutionem blasphemiæ. Electus iam constat die 13 Aprilis, anno 1194, et mortuus 28 Augusti, 1208. Tumulatus creditur in eadem capella Primatis Ecclesiæ.

58.

RODERICUS I.

XIMENIUS DE RADA.

Electus Episcopus Oxomensis anno 1208, et ad sedem Toletanam promotus anno 1210: magna rerum scientia, nec minus virtute commendabilis, cuius auctoritas, ut pereleganter inquit Mariana, semper in Hispania vivet, memoria vigebit. Prœlii ad saltus Castulonensis fauces, quibus Losæ nomen est, triumphus haud modica ex parte eius auxiliis, opi, et militari peritiæ tributus. Præclaris multis in Primate gestis, sive pietatem, fortitudinem, prudentiam, misericordiam respicias; Talaveræ in Carpetanis erecta Collegiali Ecclesia, ministrisque in ea dotatis, obiit anno 1247, minime 45, aut alio, IV. nonas, aut IV. idus Iunii, secundo Rhodano patriam versus è Gallia navigans, ait Nicolaus Antonius. Corpus eius ad nos delatum Hortenses monachi Cisterciensis ordinis, in Castellæ et Aragoniæ regnorum confinio positi, honorificentissimo sepulcro tumulavêre: quod hodie incorruptum post quinque et amplius sæcula, vestibus etiam illæsis, magna cum fama sanctitatis miraculorum argumentis suffulta, in præcipua veneratione est. Vide eius vitam et præclara gesta à nobis conscripta initio huius III. tomi.

59.

IOANNES III.

DE MEDINA POMAR.

Brevissimum pontificatus eius tempus nihil posteris dicendum reliquit. Obiit die 23 Iulii, anno 1248. Iacet in sacello Ecclesiæ nostræ, Sanctissimæ Trinitati dicato.

60.

GUTERRIUS I.

Præsul virtute clarus, et regimine commendandus: templum maximum

Digitized by Google

mum Hispalensis urbis, à Maurica servitute per S. Ferdinandum recuperatæ, sollemniter benedixit die 23 Decembris, anno 1248: VIII. idus Februarii, anno 1249 transfertur ab Innocentio IV. ex sede Cordubensi ad Toletanam, cui præfuit ad usque annum 1250; quo decessit V. idus Augusti, aut die sequenti. Iacet in præfato S. Andreæ sacello Ecclesiæ Primatis. Hunc Præsulem alii, ut Gomez Bravo in catalogo Cordubensi, cognominant *Ruiz Dolea*; alii vero *Sanchez de Torres*, ut legimus in commemoratis adversariis præfatæ nobilissimæ familiæ Hispalensis Marchionum *de Campo verde*. Sed nos neutri parti adhærémus, cum nesciamus, qua Bravo ratione ductus, Guterrium insigniverit illo cognomine. Quod autem idem ille sit ac Episcopus Cordubensis, contra sententiam eiusdem Bravo, atque Didaci Ortiz de Zuñiga in Hispalensibus annalibus, patet ex Bullis, ut dicunt, Innocentii IV, quas edidit Balluzius in tom. 1. Miscellan. pag. 218, et seq. edition. Mansi.

61.

SANCIUS I.

Filius Regis S. Ferdinandi, Toleti sub Roderici disciplina educatus, perpetuus Ecclesiæ Administrator ab eodem Innocentio creatur. Grandioris post hæc ætatis, sacris ordinibus initiatus, consecratur anno 1259. Præclaris erga Ecclesiam, et Rempublicam officiis illustris, magno civium dolore moritur die 27 Octobris, anno 1261, aut ineunte anno sequenti. Constat electum fuisse VIII. idus Octobris, anno 1250. Iacet ad lævam, dextramve altaris maximi Toletani inter cetera regia cadavera.

62.

DOMINICUS PASCASIUS I.

Ecclesiæ Toletanæ decanatu potitus, Rodericum Primatis tunc Præsulem, ad præstitum bellum saltus Castulonensis comitatus, Crucem Archiepiscopalem per hostium cuneos semel et secundo circumtulisse, evasisseque incolumem, scribit ipse Rodericus, quamquam telis omnibus petebatur, multæque sagittæ crucis hastili confixæ fuerunt. Brevissimo temporis spatio Ecclesiam rexit: nam cum electus constet die secunda Martii, anno 1262, statim mortuus apparet ad diem secundam Iunii. Sepultus creditur in sæpe dicto S. Andreæ sacello.

63.

SANCIUS II.

Iacobi I Regis Aragoniæ filius, et Alfonsi Sapientis sororius, perpetuus Ecclesiæ administrator à Clemente IV. creatur die 21 Augusti anni 1266. Ætate iuvenis, sed maturitate et consiliis ætati superior, illustria multa assecutus est. Tandem bono, sed intempestivo zelo commotus, in difficilius pugnæ discrimen ardenter irruens, à Mauris occiditur in bello prope Martos die 21 Octobris, anno 1275. Iacet cum altero Sancio Castellæ Regis filio.

FER-

64.

FERDINANDUS I.

RODRIGUEZ DE COVARRUBIAS.

Successit Sancio, ut benè ait Ioannes Mariana; sed quinto post anno amotus fuit Romani Pontificis decreto.

65.

GUNDISALVUS II.

GARCIA GUDIEL.

Patria Toletanus, ac eius Ecclesiæ Archidiaconus, ut vocant, titularis; post autem Episcopus Conchensis, et inde Burgensis: primus fuit, secundum opinionem magis receptam, sedis Toletanæ Præsulum Cardinalitia purpura insignitus. Eum legitime in decessoris Ferdinandi locum electum Nicolaus III. Pontifex declaravit. Obiit Romæ die 4 Iulii (iuxta alios 2, aut 11 Maii) anno 1299, et translatus creditur ad chorum Ecclesiæ Primatis. Sedit à die 3, seu 4 Maii anni 1280.

66.

GUNDISALVUS III.

DIAZ PALOMEQUE.

Decessoris ex sorore nepos, avunculo successit in Archidiaconatu Toletano, in Ecclesia Conchensi, ac demum in Toletana. Præsul pietate, prudentia, et religione commendabilis: Concilium Pennafidelense coegit nimis perperam ab aliquibus tributum Ægidio Albornozio. Sedit ab anno 1299 ad diem 2, aut 7 Novembris anni 1310. Sepultus creditur in sacello Ecclesiæ Primatis, S.Luciæ dicato, quo translatum referunt ex altero quod Regum veterum appellant.

67.

GUTERRIUS II. GOMEZ.

Natus Toleti, ibidemque titularis, ut dicunt, Archidiaconus: electus fuit Archiepiscopus die 9 Decembris anni 1310, et obiit circa finem Iunii 1321.

68.

IOANNES IV.

Iacobi II. Regis Aragoniæ filius, zelo, prudentia, et doctrina præclarus: Toletanus Pontifex Ilerdæ consecratus est eximia utriusque gentis lætitia, spe, plausu, prosperum iustumque pontificatum faustis vocibus ominantium. Quattuor Toleti et Compluti Concilia congregavit. Primatum huius sanctæ Ecclesiæ contra Tarraconensem, ceterosque Aragoniorum Antistites vindicavit. Amplissima hac Metropoli uberrimo fructu gubernata, ob simultates cum Ioanne Emmanuele S.Ferdinandi nepote, causaque adversæ valetudinis, eam dimisit, et pro Tarraconensi commutavit, adiuncta Alexandrini Patriarchæ appellatione ex Romani Pontificis decreto, ne præiudicium aliquod inferretur Ecclesiæ Toletanæ. Sedit ab anno 1321 ad annum 1328, aut 29.

69.

EXIMINUS DE LUNA.

Cum Ioanne IV Archiepiscopatum Tarraconensem pro Toletanò commutavit. Congregavit, ac præfuit Concilio Complutensi anno 1333. Bene de Ecclesia meritus, extremum diem Compluti clausit. Sedit ab anno 1327 ad 1338, quo obiit die 16 Novembris. Tu-

mulatus creditur in sæpe dicto sacello Ecclesiæ Primatis S. Andreæ dicato.

70.

ÆGIDIUS ALBORNOZIUS,

S. R. E. EPISCOPUS CARDINALIS SABINENSIS.

De cuius virtutibus silere, quam pauca dicere præstaret, nisi ab Innocentio VI. cumulatissimo donatus elogio, dum Italicam legationem ei demandavit, Ægidius maxime commendaretur. En præcipuam illius partem. .... *Quod personam tuam.... Altissimus scientiæ magnitudine, industriæ claritate, et aliis multis virtutibus insignivit, ad te, in cuius affectu geritur pacificare discordes, et virtutum semina serere, nostrum intuitum, ut fortem opere et sermone, mittamus ad fortia, et tuis robustis humeris onera grandia imponamus, duximus dirigendum. Ideoque gerentes de tuis claris meritis, et virtuosis operibus fiduciam in Domino specialem, quamvis nos, et fratres nostri tanti viri præsentia, nobis, et Ecclesiæ Romanæ necessaria, et perutili, careamus inviti... te, tamquam pacis Angelum, ad ... partes.... Lombardiæ &c.... vices nostras.... committendo, ut in eis ... statuas... prout tibi gratiæ cœlestis infusio, et tua etiam providentia ministrabit.... destinamus.... et.... te zelatorem pacis, amatorem iustitiæ, ac veritatis amicum, et in arduis negotiis clara fidelitate probatum, reformatorem... provinciarum &c.... specialiter ordinamus.* Quid post hæc? Expectationi Pontificis præclare satisfaciens Ægidius, Viterbi moritur die 23 Augusti, anno 1367. Prius Assisii deposito eius corpore custoditur, deinde confluentium humeris Toletum transfertur, propriæque restitutum Ecclesiæ, in sacello S. Ildephonsi conditur. Rexit ab anno 1339 ad annum 1350, quo desinente, nuncium sedi misit, cum Cardinalis creatur.

71.

GUNDISALVUS IV.

DE AGUILAR.

Præsul humilis in prosperis, in adversis constans: Seguntiæ, ubi forte exulabat, moritur V. calendas Martii, anno 1353, ibique sepultus iacet. Præfuit ab anno 1351. Nepos eius Nicolaus Aguilar, Episcopus Carthaginiensis, hac in Ecclesia statuit quotannis celebrari *duodecim Missas rogatas* (illius audis verba) *pro anima Gundisalvi, Archiepiscopi Toletani, avunculi sui.*

72.

BLASIUS, seu BASCUS

FERNANDEZ DE TOLEDO.

Decanus Ecclesiæ Toletanæ, deinde Episcopus Palentinus: pius, beneficus, et misericordiæ cultor. Levissimis ex causis, Regis iussui obtemperans, illicò exul è regno, Conimbricæ mansit; ubi sanctam vitam et exilium clausit die 7 Martii, anno 1362. Eius corpus in choro Primatis Ecclesiæ repositum. Sedit ab anno 1353.

GO-

73.

GOMEZIUS MANRIQUE.

Prius Archiepiscopus Compostellæ: vir prudens, mitis, et iustus, qui Ecclesiæ bonum et civium pacem cognatorum votis constanter præposuit. Iacet in choro Ecclesiæ Primatis, et præfuit ab anno 1362 ad annum 1375, quo decessit XIV. calendas Ianuarii.

74.

PETRUS TENORIUS IV.

A Gregorio XI. de Conimbricensi ad Toletanam sedem promovetur, eruditionis laude præstans, quam, Italica peregrinatione obita, maximam ceperat, Baldo præceptore usus: prudentia ex multarum rerum usu collecta, atque animi magnitudine ea tempestate clarissimus. Extant multa et præclara ædificia in universa Toletana provincia Tenorii expensis constituta, munificentissimi animi certissima argumenta. Toleti pontem, cui nomen est à S. Martino, eversum restituit, et templo maximo amplissimum peristylium coniunxit, ubi ipsius sepulcrum cernitur sacello S. Blasio dicato, quod impensa Præsulis extructum erat. Aliis locis alia, munifice omnia, religioseque. Obiit anno 1399. die 28 Maii.

75.

PETRUS DE LUNA V.

Filius fratris Pontificis Benedicti XIII. nuncupati, Ecclesiæ Dertusanæ Administrator: inde ad Toletanam transfertur. Sedit ab anno 1404, et vita functus die 18 Septembris, anno 1414. Iacet in sacello, cui ab Ildephonso nomen est, in Ecclesia Primate.

76.

SANCIUS III. DE ROXAS.

Primum Episcopus Palentinus: vir domi clarus, militiæque, præcipua ingenii dexteritate, atque animi magnitudine. Compluti die 24 Octobris, anno 1422, diuturno morbo consumptus est, cum Primati Ecclesiæ præfuisset ab anno 1415 post diem 10 Iunii. Sepulcrum marmoreum in D.Petri templi maximi Toletani sacello, quod eius impensa erat extructum, cernitur.

77.

IOANNES V.

MARTINEZ DE CONTRERAS.

Antea Decanus Ecclesiæ Toletanæ. Interfuit Concilio Senensi sub Martino V, quo, velut Hispaniæ Primas, alios Archiepiscopos non Primates, etiamsi ætate et ordinatione antiquiores fuerint, præcessit, uti gemina eiusdem Pontificis diplomata, quæ Ioannes Mariana transcripsit, indicio sunt. Obiit Compluti die 16 Septembris, anno 1434. Corpus in templi Toletani maximi sacellum, cui à S. Ildephonso nomen est, celebri funere illatum. Electus creditur die 18 Novembris anni 1422.

78.

IOANNES VI.

CEREZUELA.

Frater uterinus Comestabilis Alvari de Luna, primum Episcopus Oxomensis, inde Archiepiscopus Hispalensis, demum Rege annitente, Toletanus renunciatur. Deces-

cessit Talaveræ die 3, aut 4 Februarii, anno 1442. Funus eius in templi Toletani sacellum delatum est, quod Alvari impensa extructum erat magnificentissimum. Electus creditur anno 1434 ante diem 30 Octobris, et confirmatus fuit ab Eugenio IV. die 8 Novembris.

79.
GUTERRIUS III.
ALVAREZ DE TOLEDO.

Gubernatis prius sedibus Palentina et Hispalensi, ad Toletanam transfertur: magno vir animo, atque doctrina excultus; severior tamen aliquanto, quam ætatis mores ferre possent. Obiit Talaveræ die 4 Martii, anno 1446; unde in Albam ad Tormim translatus creditur. Ibi in S. Leonardi Hieronymiano cœnobio sepulcrum è candido marmore monstratur sine inscriptione, è medio templo, ubi locatum erat, ad dextram aræ maximæ translatum. Sedit ab anno 1442.

80.
ALPHONSUS II.
DE ACUÑA CARRILLO.

Antea Seguntinus Episcopus: magno vir etiam animo, turbido tamen et inquieto, uti consequentes reipublicæ motus diuturni, gravesque indicio sunt. Oppas vulgo ignominiæ causa vocabatur, quasi ingenio simili parem cladem allaturus patriæ. Demum annis gravis, nonque modo civilibus, sed militaribus quoque muneribus idoneus, à quibus tamen necessitate magis temporum, iraque, quam voluntate abscesserat, ipsis calendis Iuliis (non Iuniis) anni 1482 moritur Compluti, ubi extremam ætatem, melioribus studiis intentus, agebat. Ibi tumulus eius in S. Francisci monasterio, quod ipse instituerat, constitutus est ad aram maximam. Decessit, annos natus 68, non vero 60, ut scripsit Ferdinandus Pulgarius, ex quibus triginta quinque et menses quinque præfuit Ecclesiæ Toletanæ, minimè triginta septem, ut ipse refert auctor.

81.
PETRUS V.
GONZALEZ DE MENDOZA,
S. R. E. CARDINALIS.

Vir magnus, maiorum gloria non magis, quam suis virtutibus clarus, et in republica administranda maxima per totam vitam prudentia et auctoritate: sed qui, retenta Seguntina Ecclesia, aliisque permultis beneficiis ecclesiasticis, laxata disciplina, renunciatus est Toletanus Archiepiscopus. Ita erant, ait Mariana, eius ætatis mores: quod libebat, licitum videbatur: et Mendozius inter fortunæ obsequia non satis cupiditatibus imperavit. Verum litterati omnes æternum laudent eum necesse est, qui collegium instituit Vallisoleti, unde velut ex arce sapientiæ multi prodierunt, litteris et eruditione præstantes. Installatur (sic postea pro *in possessionem sedis mittitur* nobis dicere licebit) die 20 Martii, anno 1483. Obiit Guadalaxaræ die 11 Ianuarii, anno 1495. Et iacet in templo Toletano ad dextram aræ maximæ.

FRAN-

Digitized by Google

82.

FRANCISCUS I.

XIMENEZ DE CISNEROS,

S. R. E. CARDINALIS.

Præsul inclitus omnibus virtutibus Christianis, ecclesiasticis, civilibus, politicis, et sibi tantum æqualis. Nullius fortè usquam, uspiamve maius, quam huius, Nicolaus ait Antonius, fuit de litteris meritum. Ei debemus Complutensium bibliorum, et officii Mixtarabici, hoc est, Missalis, et Breviarii ritus Gothici, fere obliterati, editionem. Debemus Complutensis Academiæ, toto orbe terrarum celebratissimæ, præstantium hominum parentis, erectionem, in quo difficillimum est, aut mente concipere, aut verbis exprimere, quantum Hispaniæ, quantum Ecclesiæ totius commodis Ximenius inservierit. Debemus alia tam præclara, excelsaque non solum in litteris, sed in rebus aliis publicis gesta, ut peræque quispiam eo de panxerit.

Cernere te cœlo demissum Numen ab alto,
Lector, Ximenii dum conspicis ora, putato.

Installatur die 26 Septembris, anno 1495, et moritur die 8 Novembris, anno 1517. Tumulus eius Compluti in S. Ildephonsi collegio ferreis cancellis, opere miro elaboratis, cinctus visitur.

83.

GUILLIELMUS I. CROYUS,

S. R. E. CARDINALIS.

Natione Flandrus, iuvenis nobilissimis ortus natalibus, ac eruditionis laude commendabilis, ut testis est bene locuples Desiderius Erasmus in nonnullis eius epistolis, atque satis constat ex ea, quam ad Erasmum scripsit Guillielmus, peracuta quidem, ornata, modesta, et digna quæ legatur inter Erasmianas, sub num. 350. Pro auctoritate qua familia Croyorum pollebat, designatus Episcopus Cauriensis, post autem Archiepiscopus Toletanus, sedi Cameracensi, quam tribus annis administravit, nuncium misit, ut videre licet in tom. 3, Galliæ Christian. edit. Paris. anno 1725, quidquid in contrarium dixerit Gregorius Mayansius in historia valde prolixa rerum gestarum Ludovici Vives. Obiit Wormaciæ Germanorum, non visa Hispania, die 11 Ianuarii, anno 1521, ætatis suæ 23. Sepultus iacet in Hervelera prope Lovanium in cœnobio Cælestinorum iuxta maius altare. Installatur post diem 23 Iulii anni 1518.

84.

ALPHONSUS II.

DE FONSECA.

Antistes moribus ornatus perurbanis, sed in quos non temere immortalis Ximenius acriter invexit in quadam epistola ad Cæsarem Carolum. Salmanticæ, et Compostellæ, ubi primum fuerat Archiepiscopus, collegia construxit studiosis in sacris disciplinis erudiendis. Obiit die 4 Februarii, anno 1534. Installatur VI. calendas Maii anni 1524. Quod à nonnemi-

mine, tamquam magnus verborum artifex, ab Ioanne Siliceo, tamquam stolide clemens, traductus fuerit, auctor est Alvarus Gomezius in lib. 8. de rebus gestis Cardinalis Cisnerii; sed nos quidquam eius famæ detrahere nolumus.

85.

IOANNES VI. TABERA,

S. R. E. CARDINALIS.

Prudentia eximius et temperantia alicubi scribitur; sed iuris, quod suum arbitrabatur, adeo fuit tenax, ut suis emolumentis, licet minutis, impendio plus studuisse dicatur, quam Episcopum deceret. Pietate flagrans in pauperes, eorum infirmitatibus curandis, magnificentissimum S. Ioannis Baptistæ extra Toleti mœnia nosocomium erexit, et pingui censu dotavit. Obiit calendis Augusti, anno 1545. Installatur die 13 Maii, anni 1534.

86.

IOANNES VII.

MARTINEZ SILICEO,

S. R. E. CARDINALIS.

Magnus vir animo, sed acri, et in quod incumbebat vehementi: ob pietatis, doctrinæ, integritatis, munificentiæ merita supra sortem nativitatis suæ clarus ac venerabilis, functisque honoribus omnino par. Præceptor datus Philippo Hispaniarum Principi, et à confessionibus, et à sacris simul ei fuit. His meritis præfectus Ecclesiæ Carthaginiensi, mox ad Toletanam, regio alumno postulante, transfertur, cuius in possessionem mittitur die 30 Ianuarii, anno 1546, et cuius gubernacula tenuit, multis impetitus calumniis, usque ad 1557, die 31 Maii, quo Pinciæ denascitur, sepulturæ loco sibi designato ad Virginum collegium, ubi iacet, impensis suis Toleti erectum.

87.

BARTHOLOMÆUS I.

CARRANZA ET MIRANDA.

Ordinis Prædicatorum, vita, genere, atque eleemosynis clarus. Magnis muneribus à Carolo V, et Philippo Rege Catholico sibi commissis egregie functus; animo in prosperis modesto, et in adversis æquo. Obiit Romæ, quo perductus, venit, causam dicturus fidei, anno 1576, die 2 Maii. Installatur die 5 Martii, anno 1558. Ne quis miretur virum præclarissimum hæresis insimulatum, legat præ aliis Iacobum Echardum in tom. II. Scriptorum ordin. Prædicator. pag. 242, à sectione *Inter opera*, et seq. usque ad finem. Nos verò Ecclesiæ iudicio nostrum submittimus.

88.

GASPAR I. DE QUIROGA,

S. R. E. CARDINALIS.

Hispaniæ Generalis Inquisitor, primum Conchensis, dein Toletanus Præsul renunciatus: in propugnanda iustitia constans, adversa multa perpessus est; sed tandem prosperis aliis, et fastigio honoris commutantur. Obiit XII. calendas Decembris, anno 1594, et installatur X. calendas Novembris 1577. Iacet apud oppidum Madrigalium (in diœcesi Abulensi) patrium eius solum, in Ecclesia cœnobii Augustiniani ab eo constructi.

AL-

Digitized by Google

89.

ALBERTUS I.

S. R. E. CARDINALIS.

Archidux Austriæ, Imperatoris Maximiliani II. filius, eodem anno 1594 à Clemente VIII. successor designatus Gaspari Quirogæ: post eius mortem possessionem sedis iniit die 3 Aprilis anni sequentis, et administravit usque ad 1598, quo Elisabetha Clara Eugenia, Philippi II. et Elisabethæ Valesiæ filia, in uxorem ducta idibus Novembris, Belgii dominatum adeptus, nuncium misit Ecclesiæ die nona Iulii. Digna sunt ut legantur, quæ de Alberto scribit post Miræum Andreas Victorellus in historia Pontificum Romanorum Alfonsi Ciaconii, et Bartholomæus Medina in epistola nuncupatoria eius expositionis in tertiam partem D. Thomæ. In qua nuncupatione illud præ ceteris insigne memorat, hunc Principem coluisse impensius Theologica studia.

90.

GARSIAS I.

LOAYSA GIRON.

Pro Alberto Austriaco vices gerens, eo renunciante, Philippus II. postulavit, ut eidem sedi præficeretur. Sed dum pallium Compluti à Roma expectat, letali contracto morbo, decessit VIII. calendas Martii, anno 1599, cum Ecclesiæ possessionem inivisset XV. calendas Septembris præcedentis anni. Erat ille quidem longiori ævo dignissimus, quippe quem aliorum delicium ob gratissimam frontis serenitatem, honestissimam oris speciem, et incomparabilem morum suavitatem appellabant; verum Deo præscribere nemo potest, Mariana inquit dissertissime, qui singulis vitæ certos fines descripsit nulla èxorabiles arte. Regiis præpositus eleemosynis, et capellæ, studiisque Philippi Principis ab eodem Philippo II, edidit Concilia Hispaniæ.

91.

BERNARDUS II.

SANDOVAL ET ROXAS,

S. R. E. CARDINALIS.

Episcopus primum Civitatensis, Pampilonensis, et Giennensis, postea Toletanus: hæreticæ pravitatis supremus in Hispania vindex, in pauperes munificus, in parentes pius, in omnes ingenuus. Magna in Deiparam incensus pietate, sacrum ærarium, quod Albertus Austriacus cœperat in Ecclesia Primate, variis ab imo ad summa marmoribus ornatum prosecutus est, et sacellum Sanctissimæ eiusdem Virginis descensione consecratum, arctissimo antea inclusum spatio, in ampliorem, pulchrioremque formam redegit. Romæ S. Anastasiæ templum, quo insignitus fuerat Cardinalitio titulo, magnifice à fundamentis restituit. Obiit die 7 Decembris, anno 1618. Installatur die 23 Iunii, anno 1599. Vir nobilissimis ortus natalibus, sed cui forte plus æquo cordi erant.

92.

FERDINANDUS II.

S. R. E. CARDINALIS.

Philippi II. III. IV. nepos, filius, frater, et perpetuus Toletanæ Ecclesiæ Administrator. Omni virtu-

te claruit, sed præcipue modestia, veracitate, affabilitate. Moritur Bruxellis die 9 Novembris, anno 1641; fuerat etenim Flandriæ Gubernator à Philippo fratre nominatus; et sedit à die 5 Maii anni 1620. Iuris ecclesiastici defensor acerrimus, opera semper usus est summorum virorum, ne quid contra ius fasque committeretur. Tanta inerat ei in ore, totoque corpore venustas, ac in sermone humanitas, ait Oldoinus, ut nemo in colloquium admissus, illius amantissimus non discederet.

93.
GASPAR II.
DE BORJA ET VELASCO,
S. R. E. EPISCOP. CARD. ALBANENSIS, ET PROREX NEAPOLITANUS.

Princeps munificus ac liberalis, inquit Oldoinus, præsertim in pauperes; ita ut dum esset Romæ, in eis alendis singulis annis effuderit decem mille aureos. Quapropter ibi pater pauperum appellatus, ab urbe discedentem egeni magno planctu prosecuti sunt. Licet fuerit promotus è sede Hispalensi, et designatus Archiepiscopus Toletanus ineunte anno 1643, nihilominus non fuit installatus usque ad diem 20 Martii 1645, quo obiit V. calendas Ianuarii.

94.
BALTHASAR I.
MOSCOSO ET SANDOVAL,
S. R. E. CARDINALIS.

Ex Giennensi Ecclesia ad Toletanam translatus, in gregem sibi utrobique commissum indulgentissima liberalitate semper usus, nullum egenum à se discedere mœstum permisit, amplius pauperibus erogans, quam egestas sperare auderet; ut miraculi genus fuerit tantis expensis censum sufficere. Romæ dum fuit, quotidie pauperes convivas habuit. Illius domus in media curia Romana cœnobium magis præ se ferebat, quam Principis aulam. Demum in propugnanda iustitia constans, et Ecclesiæ immunitatis defensor, obiit XV. calendas Octobris, anno 1665: installatur nonis Octobris anni 1646.

95.
PASCHALIS II.
DE ARAGON,
S. R. E. CARDINALIS.

Postquam in Academia Salmantina omnium acclamatione lauream in utroque iure recepit, et in Toletana publici professoris iuris munus subiit, atque publica è cathedra cum publico plausu, quod in Salmantina didicerat, docuit; Archidiaconus Elborensis (*de Talavera*), Hispaniæ in urbe Protector, Neapolitanus Prorex, Inquisitor maximus, à consiliis fuit sanctioribus, aliaque munia obivit. Demum Archiepiscopus, vigilans, pius, humilis, et pacifer, decessit immaturè IV. calendas Octobris, anno 1677. Installatur nonis Martii, anno 1666. Iacet Toleti intra chorum cœnobii monialium, ut dicunt, Capuccinarum, quod à fundamentis erexit.

96.
LUDOVICUS EMMANUEL I.
FERNANDEZ PORTOCARRERO,
S. R. E. EPISCOP. CARD. PRÆNESTIN. ET REGII ORDINIS S. SPIRITUS IN GALLIA COMMENDATOR.

Regni Siciliæ Prorex, et Hispani im-

Digitized by Google

imperii unicus haud semel Gubernator: modestus, benignus, misericors: præficitur Ecclesiæ Toletanæ anno 1677. Installatur V. calendas Februarii anni sequentis, et moritur XVIII. calendas Octobris anni 1709.

97.

FRANCISCUS II.

VALERO ET LOSA.

Eximius illius ævi in schola Complutensi Theologus, pro Ecclesia Pacensi consecratus Episcopus, inde ad Toletanam transfertur. Censu pauper, misericordia dives, zelo mirabilis. Factus forma gregis ex animo, oves sibi concreditas verbo vitæ continuo pavit, cibum cuique tribuens pro captu congruentem. Præsulis perfecti dotes feliciter adeptus, obiit 23 Aprilis, anno 1720. Installatur nonis Maii, anno 1715.

98.

DIDACUS I.

DE ASTORGA ET CESPEDES,

S. R. E. CARDINALIS.

Primus Excellentiæ titulo, in successores perpetuo protrahendo, decoratus, omni virtute conspicuus, sed præcipue dulci erga omnes genio, et ardenti in egenos misericordia: sacræ Sinaxi asservandæ marmoreum altare, nullis parcens impensis, in Primate construxit. Aliis pluribus commendandus, obiit die 9 Februarii, anno 1734: sedit à die 26 Augusti anni 1720.

99.

LUDOVICUS ANTONIUS II.

DE BORBON,

HISPANIÆ INFANS, ET S.R.E. CARD.

Toletanæ perpetuus Administrator. Post multa erga eam gratitudinis, pietatis, et liberalitatis officia renunciavit dignitati 18 Decembris, anno 1754. Administravit à die 13 Februarii anni 1736.

100.

LUDOVICUS ANTONIUS III.

FERNANDEZ DE CORDOBA,

S. R. E. CARDINALIS.

Comes de Teba, Ecclesiæ Toletanæ Decanus, eiusdem Archiepiscopus eligitur anno 1755, et installatur die 13 Septembris. Vere pater pauperum, utpote qui tenui victu contentus, amplissimos dignitatis reditus in viduas, pupillos, egenos omnes erogaverit. Demum paterna fervens erga populum suum caritate, ingenti civium dolore moritur die 26 Martii, anno 1771. Iacet in choro sanctimonialium Capuccinarum.

101.

FRANCISCUS ANTONIUS

LORENZANA,

S. R. E. CARDINALIS.

Eques magna cruce Regii, singularisque ordinis Hispani Caroli III. insignitus. Antea Doctoralis, ut vocant, Seguntinus, postea Canonicus Toletanus, atque in hac Ecclesia decoratus dignitate, quæ Abbatia Sancti Vicentii nuncupatur. Pro Ecclesia Placentina Episcopus ordinatus, eiusque possessionem adeptus anno 1765, ad metropolim Mexicanam sequenti anno trans-

Digitized by Google

fertur : inde Toletanæ præficitur, quam regit à die 12 Martii anni 1772. Faxit Deus, ut sibi commiſſum gregem virtutibus instruat, unaque cum eo ad vitam perveniat ſempiternam.

AP-

APPENDIX SECUNDA.

SUMMI TEMPLI TOLETANI
PERQUAM GRAPHICA DESCRIPTIO.

AUCTORE

BLASIO ORTIZIO,
Iuris Pontificii Doctore, eiusdem Templi Canonico, Toletanæque Diœcesis Vicario generali.

Digitized by Google

[1]ALPHONSUS CEDILIUS,

SANCTÆ ECCLESIÆ TOLETANÆ PORTIONARIUS, TOLETANIQUE GYMNASII IN ARTE GRAMMATICA ET RHETORICA PROFESSOR,

PIO LECTORI SALUTEM.

EX antiqua nimirum consuetudine, candide ac pie lector, in ipso statim librorum ferme omnium frontispicio exhortatoria infigi solet epistola, quæ multos continuo non oscitanter, sed attente ad perlegendum, alioqui non lecturos, excitet, invitet, et alliciat: maturo id quidem consilio fieri, nemo est, qui ambigat. Tum præcipue cum iis de rebus liber scribitur, quæ commendatione sic egeant, ut verborum fuco, aut eloquii pigmentis exornari maxime desiderent, non aliter multum placituræ. Si vero opus id sit, quod veritatem, cuius magna vis est, undequaque contineat, et ita, iuxta Horatii præceptum, misceat utile dulci, ut omne ferat punctum, hac ad lectorem exhortatione supersederi posset. Vino enim (quod aiunt) vendibili suspensa hedera nihil opus. Talem (ni fallor) librum hunc is reperiet, qui sincero animo, et non livoris cote exasperato, ipsum evolverit. Multa quippe sunt, quæ eum multis commendant nominibus, lectuque arguunt perquam dignum. Nam præter auctorem ipsum, quem generis antiquitas, vitæ sinceritas, iuris pontificii peritia, et labor in rebus quidem seriis indefessus ita plane extollunt, de iis potissimum liber agit, quorum singula, aliis sane reperta locis, ad veræ, magnæque laudis testimonium satis superque sufficerent. Quanti ergo putas æstimandum, ubi ea omnia divinæ dono providentiæ

(1) Alphonsus Cedilius, Matritensis, Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ Porcionarius, sacra eruditione, et præcipue virtutibus clarus, notus valde est Toleti, ubi Rhetoricam docuit, præclarosque discipulos habuit, inter alios Alexium Vanegas, et Alphonsum Villegas, quem norunt omnes propter eius opus *Flos Sanctorum* nuncupatum.

Digitized by Google

tiæ coniuncta inveneris? Quæ tandem? Toletum utique, civitas toto ferme terrarum orbe memoratissima: Tagus eam alluens, non à poetis modo, sed et ab historicis, cosmographisque identidem celebratus: et quod longe præstat, et maxime mirum est, celeberrimum, et famigeratissimum sacratissimæ Dei matris, semperque Virginis Mariæ templum. Misso nunc fluvio, quem aureæ multum commendant arenæ: quippe quem inter fluvios aurum vehentes Plinius et multi magni nominis auctores iure nominant. De prima huius inclitæ urbis fundatione, quæ longo intervallo inter alias caput extulit urbes: et quis prima eius iecerit fundamenta (de quo adhuc etiam sub iudice lis est), complura, ex variis certe auctoribus desumpta, satis hic dilucide explicantur. Sed totus fere auctor est in sanctissimo Deiparæ Virginis templo hoc, ad minutissima usque describendo. Ubi ea non sine magna animi voluptate leges, quæ non peregrinis modo, sed multis etiam Toletanis civibus parum hactenus fuerunt cognita. Quam multa, quam varia, quam memoratu digna in hoc, licet parvo opere, sedulo tamen scripta reperies? Quis non admirabitur, aut potius velut in ecstasim rapietur, ingenti affectus gaudio, divinum, summeque admirandum, Dei matris semperque Virginis descensum legens? cum ipsa Virgo, Sanctarum longe omnium Sanctissima, ex supremo cœlorum culmine, choris comitata cœlestibus, olim descendit, ut hanc dicatam sibi ædem viseret, beatumque Ildephonsum, veste de cœli thesauris allata, virgineis suis ipsa manibus exornaret. Bone Deus! quantum te oblectabit vera officii, Mozarabi appellati, quod in hac potissimum Ecclesia recolitur, descripta pulcherrime origo? Et ne, quæ in libro sine multo quidem negotio legenda tibi sunt, prædicere videar, vitio enim id fortasse daretur, cetera non inamœna tacitus præteribo. Quæres autem, quid auctorem, virum bonum, iuxta ac prudentem, ac circunspectum, ad præsens edendum opus impulerit. Ea profecto causa, ut Philippo, inter terræ Principes longe maximo,

Digitized by Google

mo, aliquod in hac re præstaret obsequium, quippe quem singula cognitu dignissima, quæ in hac sunt Ecclesia, cognoscendi avidum non ignorabat. Atque ut iam hinc nota essent, quæ longe retro sæculis in hac Ecclesia, omnium ferme, quas habet orbis, celeberrima, diu multos latuerunt. Percunctaberis, credo, etiam de operis stilo atque elegantia. Multa sane sese offerent eleganter, et perquam venuste adscripta: multa alio loquendi genere, ubi non tam in dicendo lepos, quam in docendo veritas exquiritur; ibi enim melius ipsa loquitur res, quam hominum prædicatio. Nonnumquam similia, nonnumquam eadem verba, subinde repetita, (id quod sæpe hic usu venit) eloquii venustatem admittere abnegant. Manilium imitari visus est auctor: qui de astronomia locuturus, dixit: *Ornari res ipsa negat, contenta doceri.* Vel Pomponium Melam ita scribentem: *Impeditum opus, et facundiæ minime capax.* In hoc itaque libello varia cum sint, velut in hortis poma, decerpat sibi quisque, quod commodum fuerit: et boni consulat, quod pius et honestus auctoris labor eis dumtaxat offert, quibus mentis oculi non sunt livore et odio vitiati. Cæterum, cum opera ab his, quibus dicata sunt, pondus, æstimationem, atque auctoritatem capere interdum soleant, ut experientia, et Plinii etiam constat testimonio, non inscite in ipsa naturalis historiæ præfatione ita dicentis: *Multa valde pretiosa ideo videntur, quia sunt templis dicata*: quid iam hic liber non sibi tuto polliceri poterit, felicissimo Philippi auspicio, Principis eximii, et omnibus numeris absoluti, in lucem prodiens? Quem ut maximum, si ditionis amplitudinem expectes, ita optimum appellare poteris, si Cæsareas eius virtutes, vereque Christianas animo contemplere. Demens ego, qui tanta ingenii et linguæ inopia, aliud præsertim agens, illius laudem ineo, ad quam vel Livius, aut facundissimus quisque orator longe esset impar. Auspicatissimo igitur Principis, omni ex parte laudabilis, favore prodeat iam liber; spretis inde invidorum morsibus, optima quæque dilacerare solitis. Vale in Christo.

Digitized by Google

AD LECTOREM TETRASTICHON.

Facundo plures celebrarunt ore Toleti
Aerias turres, auriferumque Tagum.
Ast huius templum, quo non augustius ullum,
Nunc primum celebrat gemmeus iste liber.

ALIUD.

Attonitus quicumque legis fastigia templi,
Ingentes aras, æmula tecta polo.
Desine mirari, superat, quod maxima Virgo
Consecrat plantis hæc pavimenta suis.

TEMPLUM TOLETANUM AD SPECTATOREM.

Non quod sim nitidum, fulgens, sublime, superbum,
Excultum, pictum, marmora pulchra gerens,
Esse tibi tanti cupio, quem picta retardant;
Quod fuit hic Virgo, laurea tota mea est.

Non visa est usquam similis tibi machina templi,
Non similis visa urbs, non similis fluvius.

AD

Digitized by Google

AD SERENISSIMUM HISPANIARUM PRINCIPEM

PHILIPPUM

CAROLI V. AUGUSTI FILIUM

BLASII ORTIZII

IURIS PONTIFICII DOCTORIS, TEMPLI TOLETANI CANONICI,

GENERALISQUE VICARII,

IN DESCRIPTIONEM

SUMMI, MAXIMIQUE TEMPLI TOLETANI, A SE EDITAM

PRÆFATIO.

Inter laudes celsitudinis tuæ præclaras, MAXIME PRINCIPUM, *puriore luce tamquam aliquod sidus irradiat, quod amore fidei Ecclesiasticam reverentiam conservas: cuius defensores sunt Principes et Reges (ut sacri canones Isidoro auctore testantur, cap. Principes 23, q. 5.)*: Principes sæculi nonnumquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. *Quod optime in genitore tuo semper Augusto conspicimus, qui pro fide Ecclesiæ tot pericula, totque indefessos labores sustinuit, et adhuc sustinet. Ipse vero iure sanguinis eidem Ecclesiæ etiam (ut omnibus constat) cuncta tradis, summittis, et dedis. Verum cum nihil sit, quod lumine clariori præfulgeat, quam recta fides, in Principe, nihilque, quod ita nequeat casu labefactari, quam vera religio, ad eas capessendas, ac custodiendas, istum animum regium ab ineunte ætate inclinasti. Cæsaribus enim virtus contingit ante diem. Nam cum Auctorem vitæ utraque respiciat, recte tenebras respuit, et nescit subiacere defectui.*

 Quam-

Quamobrem, GLORIOSISSIME PRINCEPS, *votis omnibus respublica Christiana, Iberica præcipue nostra divinam potentiam interpellat, ut ipsa pietatem tuam in hoc ardore fidei, in hac devotione mentis, in hoc integro religionis studio, sine labe in longiora tempora conservet, et augeat. Fides quippe et religio confirmant imperium, et regna custodiunt, et in sublime rerum fastigium provehunt, grataque sibi tranquillitate conservant: l. inter claras, C. de Sum. Trinit. et Fide Cathol. Scriptum est enim:* Cum Rex iustus sederit supra sedem, non adversabitur eï quidquam malignum. *Atque voce prophetica proclamatur:* Iucundetur sibi, et abundet cœlum desuper; et effundant montes iucunditatem, et colles lætitia lætabuntur: *in leg. liquet, C. de Sum. Trinit. et Fide Cathol. Quæ quidem benedictiones iustis Principibus non deerunt, quandoquidem divinitus Prophetæ eas promulgarunt: et vates regius in psalmo 71. orando cum clamore supplicat:* Deus iudicium tuum Regi da, et iustitiam tuam filio Regis: *digna Prophetæ deprecatio, quia* cor Regis in manu Dei est, et ubi voluerit, inclinabit illud. *Et alibi psalmo 98:* Honor Regis iudicium diligit. *Perpendens itaque,* INCLITE PRINCEPS, *fidem et religionem parentibus, avis, atque proavis, quasi naturale seminarium insitas, in te, iure legitimo successorem, transfusas coruscare; attendens præterea sollertiam, qua cuncta huius sacrosanctæ Ecclesiæ Toletanæ non vulgari devotione investigaveris, lingua audaci loquendi avida, etsi sub duplici custodia naturâ inclusa, huius celeberrimi Templi excellentiam propalare conatus sum. At in rebus magnis animus terrore concutitur, atque in magno positus lubrico pertimescit, audaciæ, temeritative imputandum formidans, eo maxime quod materia pertractanda sublimis sit, atque illustris, virumque omnigena refertissimum doctrina requirens; nimirum, cum de tam insignis Templi amplitu-*

di-

Digitized by Google

dine sit agendum, atque maximo Principi dicandum opus, cuius gravitas et maiestas non tam exiguæ eruditionis hominem modo, sed Mercurium ipsum Trismegistum, et Demosthenem deterreret. Nec me latet, INCLITE PRINCEPS, *quam arduum sit ac difficile, domum quantumlibet parvam, nedum hanc sacrosanctam Basilicam, tot sacella atque latibula suo ambitu continentem, describere. Cæterum cum aliunde animo meo subiret humanitas tua, qua omnium subditorum vota confoves, libuit nonnulla, ex multis huius almæ Ecclesiæ Toletanæ scitu dignis, tenui (quod aiunt) calamo prælibare, ut tamquam per transennam, magnificentiam eius singularem,* PRINCEPS FELICISSIME, *tua celsitudo perpendere valeat; quandoquidem singula huius sacræ ædis ornamenta ob parvam moram, brevemque hinc recessum tibi lustrare non licuit. Non autem omnes symmetrias, proportionesque ædificii prosequar, quoniam hoc prope infiniti esset operis, absolutissimumque desiderat architectum, quod à me longe abest; nec tamen omnem commensum deseram, sed illum tantum exponam, qui venustati enucleandæ deservit: ita ut historicam potius descriptionem, quam architectorum redoleat stilus. Nec pigeat, obsecro, tuam celsitudinem, ea legere, quæ si Scytha, aut Gangeticus quispiam de templo in extrema mundi plaga posito narraret, mira quadam admiratione audiremus. Adsit Deipara Virgo meis cœptis, quæ Templum sibi hoc sua præsentia consecravit, mentem et calamum dirigens, ut in eius honorem hoc opusculum prodeat, quod tuæ celsitudini supplex offero, ac ut renidenti vultu suscipias, si licet, efflagitanter exposco. Tractaturo tamen de huius sacræ Basilicæ maiestate, non ab re visum est, nonnulla perstringere de situ et fundatione istius urbis regiæ, ubi Templum hoc sacrosanctum locatur, de qua si plura dicerem, semper mihi videretur, eius singularem amplitudinem et magnificentiam toto orbe terrarum notissimam* at-

Digitized by Google

attenuare. Sed ut propositis satisfaciam, concessa mihi per te, GLORIOSISSIME PRINCEPS, *facultate, cum firmissima tua protectione et favore rem ipsam aggrediar.*

DES-

Digitized by Google

DESCRIPTIO TEMPLI TOLETANI.

CAPUT I.

De origine ac fundatione Toleti, et eius ubertate, ac temperamento.

Toletum civitas Hispaniæ in regione Carpetana admodum feraci, situ naturâ munitissimo, in alto atque petroso loco, ambulatuque difficili, quinti climatis particeps est; distatque ab æquinoctiali linea gradus 41: prædominantur in ea signum Virgo, et planeta Mercurius. Huius urbis tres ferme partes Tagus, per orbem celebratissimus amnis, cingit, et inter saxosa, strictaque loca defluens, suo rapido impetu, arenis aureis, nitidissima, et salubri aqua, et per exteras etiam provincias admodum famigerata, urbem lætificat; reliqua vero pars, quæ Septemtrionem respicit, duplici muro, multis turribus, et propugnaculis ab incursionibus hostium munitur. Tagus quidem Toletum felicem et opulentam facit, hortos irrigat. Utraque fluminis ripa, superna ad Orientem hortis et arboribus ad leucam (ut nostro idiotismo utar); inferna autem tantumdem urbem amœniorem reddit. Ad meridiem et Aquilonem, præter multas vineas, arboresque diversas, sunt amygdaleta, quæ velut nemora iucundissima conspiciuntur. Toletum ceteris Hispaniarum urbibus illustrior, quæ totius Hispaniæ intima ac mediterranea, ingeniorum acumine, bonarum litterarum studiis, et armorum virtute genuina, valde pollens, soli cœlique serenitate, atque temperamento cunctas Ibericas provincias præcellit. Uberrima omnis generis fructibus, arboribusque, vino præterea, oleo, tritico, pecoribus, armentis, aliisque id genus multis abundans. Toletum enim è Græco nomine *Ptoliethron*, quod oppidum, urbemque significat, deductum esse coniicio, et merito antonomastice ab Achivis appellata est urbs. Cuius quidem civitatis cum ter Livius mentionem fecerit, quantæ æstimationis priscis temporibus fuerit, posteris æstimandum reliquit. In quinto enim quartæ decadis libro, *Toletum* (inquit) *ibi*, id est apud Tagum, *parva urbs erat, sed loco munita;* deque eius expugnatione ut de re magna ante dixerat: *Maiores res gestæ à M. Fulvio. Is apud Toletum oppidum, &c.* Et in nono deinde eiusdem belli Macedonici sic ait: *Haud procul Hippone et Toleto urbibus, inter pabulatores pugna orta est: quibus dum utrimque subvenitur à castris, paulatim omnes copiæ in aciem eductæ sunt. In eo tumultuario certamine duo exercitus Romani fusi, atque in castra compulsi sunt: non institere perculsis hostes.* Quæ si quis penitius inspiciat, non virium diffidentia, sed nimia securitate sui, quæ inexpugnabilibus locis est invidiosissima lues, expugnatam esse comperiet. De fundatione tamen huius imperialis urbis historici certant, et adhuc sub iudice lis est. Nam D. Rodericus Archiepiscopus Toletanus, non lubricæ fidei auctor, chronicorum lib. 1. cap. 3.

To-

Tolemon (inquit) *et Brutus, duo Consules, condiderunt Toletum, centum et octo annis, antequam Iulius Cæsar regnare cœpisset, tempore Ptolemæi Evergetæ Regis Ægypti.* Hæc ille. Quod etymologiæ nominis consonum est. Toletum namque à nominibus auctorum videtur componi, constareque ex prima et secunda syllabis Tolemonis, ac finali syllaba Bruti. Neque hoc novum est; legimus enim multas urbes nomina à suis conditoribus accepisse, sicut ex Tyriis et Ausoniis Tyrasonam idem Rodericus testatur lib. 1, cap. 5, et Pampilonam à Pompeio, ac Cæsaraugustam à Cæsare Augusto conditas refert Episcopus Gerundensis, lib. 5, cap. de Tarracona urbe. Cui Didacus de Valera, rerum Hispaniarum chronistes, part. 2, cap. 5, videtur assentiri in historia, quam composuit iussu Reginæ Elisabeth, Reginarum felicissimæ, tuæ (inquam) proaviæ, Serenissime Princeps; ubi post longam disquisitionem concludit, à Romanis conditam. Bona tamen Hispaniarum pars huius urbis fundationem Herculi Lybico post interfectum Geryonem, intimam Hispaniam peragranti, adscribit. Quod comprobare videtur [1] Herculeum antrum subtus Ecclesia S. Genesii, in hac regia urbe structum; nam si urbs esset condita prius, nullatenus illud vir strenuus Hercules inhabitasset. At Lucius Marineus Siculus, historiographus regius, in opere de rebus Hispaniæ memorabilibus, lib. 2, fabulis hoc adscribit; quin potius sententiæ domini Roderici inhæret in hæc verba. *Cæterum de conditore Toleti affirmare certi nihil possum. Tametsi non desunt, qui ab Hercule fuisse conditam fabulantur. Quorum sententia, quoniam sine teste loquuntur, mihi certe non satisfacit. Cum præsertim librum legerim antiquissimum, sed sine principio, et sine nomine eius qui scripserat, in quo mihi multa vera esse videbantur, ubi Toletum à Ptolemæo et Bruto conditam fuisse, scriptum erat, sed à quo Ptolemæo, et à quo Bruto non declaravit. Est autem Toleti ædificium antiquum, de quo Plinius, et alii scriptores meminerunt.* [2] *Ubi fuit olim magnum theatrum extra muros ad partem septemtrionalem. Quod etiam nunc etsi dirutum, et quasi complanatum est, eius tamen vestigia formaque cernuntur. Quod opus Romani magis, quam aliæ gentes facere consueverant.* Huic Lucii Marinei Siculi opinioni accedit id, quod

(1) Antrum, quod vocatur Herculeum, fabulosum existimamus, et verisimilius cloacam à Romanis factam, ut per eam civitatis immunditiæ in Tagum flumen excurrerent, sicut de cloacis Romæ extructis legitur. Aliæ namque minores cloacæ Toleti reperiuntur, quarum plurimæ occlusæ, et plurimæ interruptæ sunt; aliæ vero ut cuniculi ad adaquandos equos deserviebant.

(2) Theatra Romanorum varii generis fuere: alia maiora, ut Toletanum, quod, presse loquendo, denominari debet *Circus maximus*, ad spectandum cursus bigarum, et quadrigarum, quæ scilicet prior attingeret metam, et quis præ omnibus acciperet bravíum; in quo etiam gladiatores pugnabant, et nonnumquam Martyres feris discerpendi obiiciebantur: alia, quæ vocabantur amphitheatra, tantummodo ad luctam ferarum deserviebant, et prope valetudinarium S. Ioannis Baptistæ extra muros horum vestigium visitur.

Digitized by Google

quod refert Episcopus Gerundensis in Paralipomen. Hispaniæ, lib. 5, cap. de Tarracona urbe, et aliis urbibus in Hispania à Romanis conditis, inquiens: *Brutus insuper cognominatus est Gallæcus, qui, cum, obtenta Gallæcia, diutius cum Lusitanis pugnasset, illosque vicisset, Toletum, urbem ex natura loci munitissimam, in præsidium Lusitanorum construxit. Quæ, cum ab initio parva urbs fuisset, Gothorum tempore tanta effecta est, ut in metropolim creata sit, suppressa metropoli Carthaginiensi, sub qua erat, ut ex Conciliorum libro constat:* hæc Gerundensis. Alii Ptolemium quemdam, magicæ artis peritissimum, et inter Hispaniæ proceres longe præstantem, Toletum ædificasse commemorant. Nec existimandum Almonides Toletum urbem fundasse, quod nonnulli affirmant; cum de eorum in Hispanias adventu ambigatur. Immo Antonius Nebrissensis Almonides in Hispaniam venisse negat in chronicis Catholicorum Regum, in operis exordio, his verbis: *Illud præterea, quod in historia, quam vocant generalem, vulgo legitur, venisse in Hispaniam nescio quos Almonides, nemo, arbitror, dicet mihi, qui sint illi, aut quid egerint, aut quo postea concesserint; quin potius ausim affirmare, numquam fuisse tale genus hominum, sed totum fuisse confictum ab aliquo fabularum concinnatore. Nisi forte quispiam velit dicere, sumptum esse illud ex Ovidio, qui in quintodecimo transmutationum volumine scribit, Mycilum Alemonidem ex Græcia in Italiam penetrasse, ibique Crotonem urbem condidisse; licereque historico, atque poetæ, undecumque accepta materia, suum opus contexere:* hæc Nebrissensis. Almonides tamen in Hispaniam venisse, refert Alfonsus de Cartagena Episcopus Burgensis, in Regum Hispanorum, Imperatorum, Summorum Pontificum, necnon Regum Francorum Anacephalæosi, cap. 4. *Post hæc* (inquit) *gentes quædam extraneæ, quæ Almonici vocabantur, Hispaniam intrantes, Græcos expulerunt, et regnarunt in ea quadraginta annis. Demum exercitus multi ab Alemania, et insulis adiacentibus, Hispaniam inundantes, Almonicis expulsis, apud Hispanos longis temporibus regnaverunt...* Et collector Conciliorum in exordio primi Concilii Toletani, verba quæ sequuntur, de Toletana urbe scribit: *Huius urbis imperialis meminit Ptolemæus, lib.2, cap.6, tit. Tarraconensis situs; ubi dicit: Iterum australiores Vaccæis, et Arevacibus sunt Carpetani, quorum civitates Ilurbida, Toletum, Complutum.* Et Plinius lib.3, cap. 3, tit. Hispania citerior, ait: *Caputque Celtiberia, Segobricenses, Carpetani, et Toletani Tago flumini impositi.* Atque Antoninus in itinerario titulo: *Alio itinere ab Emerita Cæsaraugustam, et Augustobricam, Toletum, Vitultiam.* Et iterum tit. *Iter à Limio Toletum, &c.* hæc ille. Cæterum cum variæ sint de huius regiæ urbis fundatione opiniones, crediderim propter vetustatem obliteratam, ac Toletanæ civitatis anti-

Digitized by Google

tiquitatem, ex qua magna urbibus oritur laus, eius conditorem adhuc in tenebris delitescere.

CAP. II.

De exordio Christianæ religionis in Ecclesia Toletana per D. Eugenium eius primum Pontificem.

[1] In dictæ civitatis Toletanæ fere umbilico ingens, ac celeberrimum, totoque orbe terrarum notissimum Templum, eam nobilitans, ac illustrans, Deo optimo maximo, Deiparæque Virgini dicatum extat, quod omnes alias ædes sacras, et forma conspicua, et magnificis ædificiis antecedit, in quo memorabilia quamplurima conspiciuntur. Quis eius prima fundamenta iecerit, non minus latet, quam urbis. Illud tamen in aperto est, [2] S. Eugenium primum Antistitem, discipulum magni Dionysii, ante alios verbum Domini seminasse, iecisseque nostræ religionis exordia in hac alma Ecclesia; eamque ab illa tempestate in divino cultu perseverasse, pie creditur, usque ad infelicissima tempora Roderici Gothorum Regis, cum pæne tota Hispania venit in ditionem Saracenorum. [3] Qui tandem Alfonso Regi VI. ea lege, ut illis impune liceret Mahumetum (quem ipsi Muhamedem vocant) venerari in hac sacra Basilica, quam ipsi violantes, Mezquitam fecerant, se, civitatemque hanc dederunt, in die S. Urbani, VIII. calendas Iunii, Æra, ut in chronico Alfonsi Regis, cognomine Sapientis, habetur, 1125. Didacus tamen Valera in 4. part. Historiæ cap. 54, et 65, et 66, inquit, captam Toletum anno Domini 1062. Inscriptio vero posita in pariete septemtrionali capituli huius templi habet, Toletum cultui Christiano redditam Æra 1101. Dominus tamen Rodericus lib. 6, cap. 22, dicit captam Toletum Æra 1133: et rursus idem Rodericus in chronico antiquo manuscripto, in Bibliotheca eiusdem Ecclesiæ reposito, in eodem capite asseverat, Toletum sub imperium Alfonsi venisse Æra 1123. Ex supradictis adhuc non constat, quo anno Toletum in ditionem Alfonsi redacta sit, cum in tempore historici valde dissentiant; nam in historia Regis Alfonsi (quem Sapientem appellant) habetur, Toletum captam Æra 1125, scilicet anno Domini 1087: Didacus de Valera affirmat anno 1062: inscriptio capituli Æra 1101: et dominus Rodericus diversimode scribit. Quorum varietas potius vitio, ac depravationi scriptorum, ac impressorum imputanda est, quam veritati auctorum. Hoc, Glorio-

(1) Templum Toletanum Salvatori, Deiparæque Virgini dicatum est, ut legitur in perantiqua oratione, quæ in processione Dominicali canitur cum subscriptione ad valvas Ecclesiæ.

(2) Hoc in dubium vertitur à quibusdam Galliarum criticis, asserentibus nostrum Eugenium I. nullatenus fuisse Præsulem Toletanum. Quidquid vero dicant, nos perantiqua non solum traditione innitimur, sed etiam testimonio ipsorum Gallorum. Verum de hoc argumento verba fecimus in catalogo Archiepiscoporum, quem antea subiecimus.

(3) Toletum iuxta veriorem et receptiorem computationem expugnatum fuit ab Alfonso VI. et Mauris ereptum anno reparationis 1085, die S. Urbani.

Digitized by Google

riosissime Princeps, volui intexere, ut tua celsitudo perpendere valeat, quam difficile sit, rerum antiquarum veritatem elicere. Et profecto dolendum est, eorum, quæ non multis retro temporibus in hac regia urbe absque dubio contigerunt, annum, in quo obvenerint, penitus ignorari. Quum enim historias multas, quibus eorum temporum facta memorantur, non parva diligentia et inquisitione evolverim, neque eas modo, sed nonnulla etiam eiusdem Alfonsi Regis VI, qui Toletanam civitatem cepit, privilegia, eiusdem urbis civibus irrogata, annum captæ urbis inquirens, nihil sane certum, quin potius repugnantiam inter ipsa historicorum monumenta, non mediocrem, potui invenire.

CAP. III.

De Æra Cæsaris, et eius supputatione digressio.

Quoniam vero in Æræ Cæsaris mentionem incidimus, operæ pretium me facturum arbitror, si rem, vulgo quidem celebrem, magis quam cognitam, paucis explicavero. Fuit igitur Hispanis nostris, atque adeo quidem solis Hispanis, iam inde ab ipso Augusti Cæsaris principatu ad usque Ioannem Castellæ Regem, huius nominis primum, peculiaris quædam designandorum temporum ratio, ut à tricesimo octavo ante Christi Servatoris nostri natalem anno initium sumerent supputationis annorum, quam Æram Cæsaris appellabant. Ita demptis ex numero annorum Æræ Cæsaris triginta octo annis, numerus annorum Christi nati agnoscebatur. Testantur hoc non historiæ modo nostrates, quotquot illorum temporum extant, sed concilia, leges, privilegia, monumenta denique omnia, quæcumque apud nos per mille quadringentos circiter annos (nam tamdiu hæc temporum annotandorum consuetudo duravit) confecta reperiuntur. In quorum etiam nonnullis utrumque annorum numerum, et Cæsaris, et Christi Domini, simul annotatum videre licet: alterum ab altero triginta octo annorum semper intervallo distantem. Ut mirandum sane sit, quid in mentem venerit Gerundensi cuidam Antistiti, rerum Hispanicarum scriptori recenti, in eo libro cui titulum fecit Paralipomenon, asseverare, annum vicesimum sextum ante natalem Domini caput et initium annorum Æræ Cæsaris constituendum. Fuit ille quidem argumento quodam ductus prorsus commentitio, quod nec referre est animus, nec refellere: usque adeo ipsum per se ipsum abunde refellitur. Porro quidnam secuti fuerint vetusti illi Hispani homines, cum annorum Cæsaris Augusti notandorum initium in illo potissimum anno statuerunt, qui ante diem Christi natalem tricesimus octavus numeratur; id vero est, quod solet à viris doctis non immerito dubitari. Nam cum Christum Dominum nostrum constet quadragesimo primo iuxta Tertullianum, aut certe iuxta vulgatiorem Eusebii calculum, quadragesimo secundo principatus Augusti Cæsaris anno natum, si ab ipso principatus initio, id est, ab inito

Digitized by Google

cum Antonio et Lepido triumviratu, supputationis series repetenda sit; non iam triginta octo, sed quadraginta uno, aut quadraginta duobus annis antiquiorem esse oportebat Æram Cæsaris, quam Æram Christi. Quod si supputationem ipsam non à triumviratu (quod commune magis trium, quam singulare Augusti imperium videbatur), sed ab eò potius tempore ordiendam dicamus, cum excluso Lepido, devicto etiam ad Actium Antonio, solus Augustus Rempublicam tenere cœpit; cum satis compertum sit, hoc non ante tertium decimum, aut certe (iuxta Eusebium) quartum decimum principatus ipsius annum contigisse, nec hac sane ratione potest illius tricesimi octavi anni ratio proposito nostro congruere. Hanc difficultatem, si altius ingredi, exacteque tractare liberet, longior quam pro digressionis modo nobis oratio nasceretur. Quare studiosum lectorem satis putamus admonere, legat attente Plutarchum in Antonio, et Appianum Alexandrinum libro quarto et quinto bellorum civilium; Dionem præterea lib.46, et 48: simul quoque seriem Consulum illius ætatis per chronographos, in primis per Aurelium Cassiodorum, digestam, teneat. Ita comperiet, cum orbis universus fuerit inter Triumviros Augustum, Antonium, et Lepidum non semel divisus, Hispaniam nostram in prima quidem partitione, quæ triumviratus initio facta est, obtigisse Lepido: in postrema vero, quæ bellum Perusinum est insecuta, Augusto cessisse. Hanc vero in eum annum reperiet incidisse, qui Consules habuerit Cn. Domitium Calvinum, C. Asinium Pollionem. Porro horum Consulum annus, si Cassiodorum consulas, per triginta octo annos Christi natalem præcessit. Nisi quod secundum Tertulliani calculum (qui anno quadragesimo primo Augusti Christum natum tradit, quem recentiorum etiam chronographorum nonnulli sequuntur) uterque annus, tam Consulum illorum, quam natalis Christi, in supputationem sumendus est. Secundum vero Eusebium, Bedam, et alios, qui quadragesimo secundo Augusti anno diem Christi natalem collocant, alterum illorum annorum extra ipsum triginta octo annorum numerum relinquere oportet. Duplicem hanc dinumerationis formam vulgus inclusivam, et exclusivam nominat, quarum utraque frequens est apud supputatores. Cum igitur in tricesimum octavum ante Christi natalem annum partitio illa Triumvirorum inciderit, non ab re maiores nostri, Principi suo blandientes, initium supputationis temporum inde sumendum esse, publico consilio statuerunt, cum Hispania illum pro suo cœpit Monarcha venerari. Id quod ab Ægyptiis paucos post annos factum legimus, cum, Antonio et Cleopatra sublatis, in ipsius Augusti ditionem venerunt; ab eo siquidem anno cœperunt et illi rationem temporum suorum designare. Atque hæc quidem de re ipsa attigisse sufficiat: nunc de voce pauca dicemus. Æræ vocabulum ab ære, id est, tributo, quod scilicet fuerit ab Augusto id temporis orbi imperatum, de-

Digitized by Google

deduci voluit D. Isidorus Hispalensis, magnus sane auctor; atque illum hac in re vulgus sequitur scriptorum. Sed hanc sententiam, ut multis quidem persuasam, ita à viris doctis fere iam explosam video, totam hanc tributi mentionem, tamquam nullo idoneo auctore fultam, tum etiam anno illi, de quo agitur, neutiquam congruentem, inanem prorsus esse contendentibus; idque multis quidem rationibus, quas impræsentiarum persequi, brevitas instituta non sinit. Sunt rursus qui ab ærea tabula, in qua Augustus (auctore Macrobio libro Saturnalium primo) anni à se correcti ordinem incidendum curarit, Æram appellatam censent. Sed quid, quæso, facit fastorum correctio, dierumque anni ad solis cursum accommodatio (quod unum tunc Augustus agebat), ad supputandorum temporum initium in illo tricesimo octavo ante Christi natalem anno potissimum constituendum, nisi hanc correctionem in ipsum eumdem annum appareat incidisse? Atqui eam quidem correctionem satis constat non illo anno, sed deinde post viginti sex (ut minimum) annos ab Augusto factam: nempe, postquam, Lepido mortuo, (quod Tranquillus testatur) Pontificatum ille maximum adeptus est. Quem magistratum undecimo anno ante Christum natum eidem delatum, Eusebius auctor est in chronicis. Quare non pluribus quidem, quam undecim annis oportebat Æram Christi ab Æra Cæsaris superari, si ratio eius esset ab illa correctione sumenda. (1)Verum ut ad id, quod verisimilius videtur, tandem accedamus, cum ex Nonio Marcello, gravissimo haud dubiæ latinitatis auctore, liquido constet, Æram vocem latinam esse, quæ numeri notam designet: accedente etiam Lucilii (quem ille advocat) testimonio, cum ait: *Hæc est ratio, perversa Æra numeri, et subducta improbe:* non est profecto, quod absurdum cuipiam videri debeat, si numeri annorum, sive Cæsaris, sive Christi Domini, annotatio Æra dicatur. Admonuit hæc Hermolaus Barbarus, vir undecumque doctissimus, in annotationibus Plinianis: nisi quod adiungit, Æræ vocabulo veteres Astrologos Ptolemæum, Theonem, ceteros usos fuisse pro initio, à quo supputationes incipiunt. Qua in re falsus est prorsus Hermolaus. Nec enim Ptolemæum, aliumve quempiam ex Græcis scriptoribus, eiusmodi vocem legimus usurpasse. Sed ab Hispanis Astrologis, in primis vero inclito illo Rege nostro Alfonso in libro, quem scripsit, Astrologicarum tabularum, Hispano videlicet more inducta, ab aliis deinde recentioribus ex horum imitatione recepta est. Æra er-

(1) Alii non inferiores notæ auctores Æræ vocabulum desumptum esse asserunt à litteris initialibus, quæ exprimebant sequentia verba: *annus erat Augusti*: *A-ER-A.* Qui quidem Augustus hanc supputationem fieri decrevit 38 annis ante Christi natalem, et perduravit usque ad annum 1383: quo tempore Ioannes I, qui in Hispania regnabat, in comitiis generalibus Segoviæ habitis, hunc supputandi modum omnino substulit, et à Nativitate Domini computandi initium sumendum esse decrevit; sicuti erat iam in Aragonia statutum à Petro IV. anno 1350. Terreros afirmat, Æram sublatam fuisse ab Henrico II, sed perperam.

Digitized by Google

ergo tantumdem est, quod numerus, non annorum modo, sed cuiusvis rei. Quod testantur etiam priscæ illæ leges nostræ Gothicæ eius codicis, quem dicunt *Fuero juzgo*; ubi libro 2, tit. 2, leg. 4, sic legitur: *Debe rescebir la pena que es contenida en la ley del sexto libro, en el primer titolo, en la Era segunda.* Rursus lib.6, tit. 2, leg. 3, sic habetur: *Faga la emienda, que dice en este sexto libro, en la ley que es en el segundo titol, en la Era primera.* Quin et Isidorus ipse, cuius supra meminimus, initio libri Conciliorum, ubi de ordine celebrandi Concilii dixerit: *Diaconus* (inquit) *alba indutus, codicem canonum in medio proferens, capitula de Conciliis agendis pronunciet, id est, de Concilio Toletano tertio, Æra 18. Item ex Concilio Toletano quarto, Æra 3. Item ex capitulis orientalium partium, quæ Martinus Episcopus de græco in latinum vertit, Æra 18, &c.* Cæterum quod in quibusdam Leonis I. Pontificis Maximi epistolis, ex Badii Ascensii impressione editis, Æra annorum in calce adscripta legitur, quæ videri possit Cæsaris Augusti esse; non est, quod propterea arbitremur, hanc annorum supputationem Romanis eo tempore in usu fuisse. Nam eam quidem, non auctoris epistolæ notationem, sed studiosi cuiuspiam lectoris additionem esse, qui ex solo Consulatu in epistola adscripto annorum numerum annotarit, vel ex eo probari potest, quod in quibusdam epistolis hoc solum in fine adscriptum legitur, *Æra qua supra*, id est, Æra superioris epistolæ. Quæ sane verba lectoris cuiuspiam esse, potius quam auctoris epistolæ, nemo non videt. Hoc visum est obiter de Æræ ratione atque vocabulo attingere, non iniucundam fore putans studioso lectori eiusmodi digressionem. Quare iam ad institutum argumentum nostra vertatur oratio.

CAP. IIII.

De creatione Bernardi, primi Archiepiscopi post Toletum cultui Christiano redditam; atque consecratione et dedicatione, præterea primatu, ac dominio huius sacri Templi.

Postea quam Alfonsus Rex, Fernandi magni filius, divina benignitate Toletanam urbem ab Arabibus eripuit, primus Archiepiscopus, quem Ecclesia Toletana suscepit, fuit Abbas Bernardus. Qui, paucis diebus lapsis post eius electionem, Reginæ Constantiæ monitis, eius marito Alfonso Rege absente, contra ipsius Alfonsi iusiurandum, invitis Saracenis, pactionibus ruptis, vocatis militibus Christianis, maiorem Mezquitam ingressus est; ac Mahometicis superstitionibus reiectis, in ea altaria fidei Christianæ, et in maiori turri cymbala ad convocationem fidelium collocavit; ut refert Rodericus lib.6, cap.24. Quo ita facto, Bernardus electus conspectui Romani Pontificis se præsentavit, à quo obtento pallio et consecratione, et Primas ab eo Hispaniarum institutus, in Iberiam rediit. Sed rogabit aliquis, quonam modo Hispaniarum primatus ad Ecclesiam Toletanam pertineat? Sane non te-

Digitized by Google

temere, sed iure, et ratione, necnon auctoritate. Iure enim; ut in cap. cum longe, 63 dist. ubi ad Præsulem Toletanum omnes institutiones Prælatorum utriusque Hispaniæ spectare, comprobatur. Et supposito, de iure primatiam Ecclesiæ Toletanæ cessisse, non ex eo, quod Barbari eam occuparunt, ius primatiæ amisit; immo Dei misericordia Christianæ religioni restituta, iure postliminii in pristinum redditur statum; ut in cap. primæ, actione 16, q. 4, et leg. in bello, ff. de captivis, et postliminium reversis. Ratione: quoniam Toletum, totius Hispaniæ cum velut quemdam umbilicum referat, provinciales ad Primatem non magno dispendio pro negotiis gerendis pervenire valent: præcipue, cum iure caveatur, ne Episcopales sedes longo inter se intervallo distent; ut in cap. fin. 80 dist. Auctoritate: non cuiuspiam, sed illius magni speculatoris, Iurisconsultorum sui temporis facile Principis, qui, cum de primatibus tractaret sub titul. de dispensatione, §.sunt quoque, de Toletano primatu meminit. Quid multis moror? Ecclesia Toletana, divino, maximeque admirando, beatissimæ Virginis Mariæ consecrata descensu, posthabitis, quæ in controversiam poterant insurgere, primatiam iure optimo sibi vendicavit. Hæc de primatia. Anno autem tertio ab urbe recepta, convocatis Episcopis per D. Bernardum in alma Ecclesia Toletana, ut in lectionibus dedicationis eiusdem habetur, fuit consecrata in festo D. Crispini et Crispiniani Martyrum, VIII. calendas Novembris, atque dedicata, prout D.Rodericus refert lib. 6, cap. 25, in honorem B. Mariæ semper Virginis, ac B. Apostolorum Petri et Pauli, et S. Crucis, necnon D.Stephani Protomartyris. Eo tempore, ut Rodericus lib. 6, cap.26, auctor est, Urbanus Papa II. dolore motus, eo quod ab Agarenis Hierosolymitana urbs tenebatur, verbum Crucis ipsemet cœpit omnibus prædicare. Eius indulgentiis primas Bernardus provocatus, de Clericis indigenis Ecclesiam Toletanam ordinavit; assumptisque ad viam necessariis, Crucis signaculo insignitus, à propria sede recessit, volens cum exercitu in Syriam transfretare (quemadmodum ea ætate Crucis signati in subsidium Terræ sanctæ facere consueverant, ut in cap. quod super his de voto). Cumque vix esset tribus dietis à propria civitate elongatus, Clerici quos in Ecclesia instituerat, stulti, dixerunt adinvicem, Primatem suum numquam deinceps reversurum; unde spiritu malignitatis et insipientiæ inflammati, alium electione indebita subrogarunt, et Primatis domesticos eiecerunt, qui gradu concito dominum consequentes, prout factum fuerat, nunciarunt. Quod licet videatur perperam et inique gestum, Canonicos privasse præsulatu Pastorem, atque alterum sibi suffecisse; duabus tamen de causis obvenisse arbitror, quæ nostrates à Præsulis sui proditione vindicant. Prima, quoniam externi (Bernardus enim natione Gallus erat) secundum iuris dispositionem aliis non poterant præfici Ecclesiis, ut in cap. nullus, 16.dist. ubi datur Clericis facultas re-

renitendi, si viderint, se Prælato alienigena prægravari; et quem sibi ingeri ex transverso viderint, non timeant refutare: verba sunt textus. Secunda, quoniam Galli et Hispani moribus discrepant; neque umquam bene inter illos convenit: et consuetudo eorum, inter quos vivitur, servanda est, ut in cap. illa, 12 dist.: quin immo iniuria fit incolis, si ab aliena Ecclesia, vel eiusdem regni sibi proponitur Præsul, quando in propria reperiretur dignus, nedum si ex aliis regnis ignoti, exterique adducerentur. Hæc non pro diffinitione, sed pro aliquali Canonicorum excusatione annectere volui, cum in Prælatorum privatione alia nimirum forma exquiratur. At Bernardus, suorum relatione non immerito admiratus, Toletum rediit, in auctores sceleris infensus, quos cum electo suo è sede protinus deturbavit, quem ipsi tam præcipiti impetu in Ecclesiæ principatum evexerant. Et tollens aliquos de monachis S. Facundi, usque ad reditum eius in Ecclesiam collocavit, ne interim (dum rediret) divino officio fraudaretur. Hinc dictum arbitror Ecclesiam Toletanam fuisse primitus regularem. Ipse vero Bernardus iterum Romam petiit, et cum ad Sedem Apostolicam pervenisset, prohibuit eum dominus Papa Urbanus, ne ulterius procederet; sed in tanta novitate ad sedem propriam remearet, ne Pastoris absentia plantatio novella periculo subiaceret; et à voto Hierosolymitano, et S. Crucis Primas Bernardus per Urbanum Pontificem absolutus, in propriam Basilicam revertitur. Et B. Giraldum Cantorem in Ecclesia Toletana, postea in Bracarensi Ecclesia Archiepiscopum creavit. Et S. Petrum de Vituricis fecit Archidiaconum Toletanum; deinde Episcopum Oxomensem. Et Bernardus de Agino fuit ab eodem Archiepiscopo Cantor in eadem Ecclesia Toletana institutus, et postea temporis successu Episcopus Secontinus, ac Archiepiscopus Compostellanus fuit creatus. Raymundus etiam post B. Petrum à D. Bernardo fuit ordinatus Episcopus Oxomensis, qui etiam succesit eidem Bernardo in Ecclesia Toletana. Hieronymum etiam tempore Roderici Campiatoris D.Bernardus Episcopum Valentinum creavit; sed in brevi deperdita civitate, eumdem Hieronymum Metropolitanus Bernardus in civitate posuit Zamorensi, ut ibi Episcopalia exerceret, in qua nondum fuerat, nec Episcopus, neque Ecclesia Cathedralis: et mortuo isto Hieronymo, quemdam Bernardum dictus Primas constituit Episcopum Zamorensem, et iste fuit Episcopus primus Zamorensis. Magna facinora Bernardi studui opusculo inserere, ut non tantum eius religio, quin etiam armorum strenuitas, amplitudo, potestasque ordinandi Episcopos in Hispaniarum Ecclesiis cunctis pateret. Qui non in Granatenses, vel Mauros, sed in Syriam contra fidei inimicos, ni per Urbanum iustis ex causis prohiberetur, collecto exercitu, in subsidium Terræ sanctæ voluit transfretare. Hæc omnia refert D. Rodericus in suo chronico lib. 6, cap. 26. Sed ne quispiam opinetur, D. Rodericum huic

huic Ecclesiæ, eiusque Præsulibus tantam auctoritatem contulisse absque iuris fulcimento, similia in decretis scripta reperiet, ut cap. cum longe, 63. dist.; ubi iure cautum est, ad Primatem Toletanum omnes Episcoporum, Archiepiscoporum confirmationes in Hispaniarum Ecclesiis pertinere. Ex quibus infertur gloriam atque amplitudinem huius sacræ ædis, eiusque Pontificis temporibus priscis præstantissimam fuisse. Quamquam autem hac tempestate facultas hæc Toletani Præsulis, reliquos Hispaniæ Pontifices instituendi, ordinandique, cessaverit; tamen quod ad primam auctoritatem super ceteros, non Antistites modo, sed cuiuscumque conditionis Optimates, ac Proceres Hispaniæ, conservandam attinet, nihilo nunc inferior Toletanus Præsul est, quam olim fuerit. Quod si quid ex priscis illis iuribus, quæ solent temporum mutatione frequenter mutari, Ecclesiæ nostræ, ipsiusque Pontifici deperiisse videatur, totum id, tum sacræ maiestatis, tum celsitudinis tuæ auctoritate, meritisque ac prudentia illustrissimi Præsulis nostri, tui inquam meritissimi præceptoris, vel cum fenore restituendum speramus; ut qui dignissimum nobis Antistitem, Serenissime Princeps, præficiendum curasti, ipsius etiam Sponsam studiose ornasse, amplificasseque videaris. Regum quippe interest, Ecclesiis et Prælatis, quorum ipsi sunt patroni, auctoritatem et præeminentiam præstare; cum in illorum prosperitate utique prosperentur. Propterea, Catholice Princeps, sacræ maiestatis Imperatoris, et tua refert, Ecclesiam Toletanam, eiusque dotem et privilegia augeri, et non minui: tum propter patronatum; tum quia post Pontificalem in orbe terrarum prima ceteras excellit. Atque sicuti Ecclesiæ in multis propriis obnoxiæ sunt patronis (cap. nobis de iur. patron.), eadem ratione patroni Ecclesiarum suarum prærogativas inviolabiliter observari facere tenentur, cap. filiis 16. q. 7. Nam licet legibus solutus sit Princeps (leg. princeps, ff. de legib.), decet tamen Principes suas leges non transgredi. Digna namque vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri; et re vera, maius imperio est, submittere legibus principatum: Leg. digna vox, C. de Legib.

CAP. V.

De huius sacræ Basilicæ fundamento in forma, qua nunc inspicitur, ac prima eiusdem dotis constitutione.

Denique Rex Fernandus, Alfonsi IX. Regis filius, simul cum Archiepiscopo domino Roderico iecit primum lapidem in fundamento huius Basilicæ Toletanæ, quæ in forma Mezquitæ à tempore Arabum illucusque extiterat; cuius fabrica opere mirabili in dies, non sine grandi admiratione hominum, excrevit, ut asserit dictus D. Rodericus in lib. 9, cap. 12. Fuitque primitus dotata ab Alfonso, qui urbem Toletum à manibus Saracenorum eripuit prædicta Æra, ut idem Rodericus testatur lib. 6, cap. 22. Extructum itaque est Templum ex lapide albo, polito, Orientem versus, iuxta

Digitized by Google

universalis Ecclesiæ traditionem, cap. Ecclesiasticarum, 11 distinct. Quod octoginta et octo columnæ prægrandes ex eodem lapide erectæ totam Basilicam, dempto eo membro, quod claustrum appellant, (1) in quinque (ut sic dixerim) apsides, quas nos testudines, vulgus vero naves vocat, dividunt. Harum inferiores quasi gradatim assurgunt ad medium. Totius vero sacræ ædis fabrica, summa arte confecta, habet longitudinem quadringentorum ac quattuor pedum, latitudinem ducentorum duorum. Sed mediæ testudinis, reliquis sublimioris, altitudo est centum et sedecim pedum. Quam ceteris augustiorem videre licet: tum quia multo eminentior, ac pulchrior est; tum vero, quia duobus hinc inde membris condecoratur: altero quidem ab ortu, quod sacellum maius dicitur; altero vero ab occasu, quod cleri stationem possumus appellare: vulgus autem utrumque nominat chorum. Ab horum itaque augustiori, cum in eo conficiatur nostræ redemptionis Hostia, ac asservetur, exordiar; nec ab re me facturum arbitror, si de ipsius sacratissimæ Eucharistiæ Sacramento non nihil obiter prælibavero.

CAP. VI.
De Sacramento Eucharistiæ, ac eius custodia.

Quamvis sacrosanctum altaris Mysterium, propter copiosam Dei misericordiam, exuberantemque liberalitatem, omnibus in Ecclesiis celebretur, tamen, ut tua celsitudo cognoscat, quanto ornatu et reverentia in nostra alma Toletana Ecclesia præ ceteris colatur, ut ex ungue (quod aiunt) leonem æstimes, paucis absolvam. At de ipso Sacramento, cuius Propheta meminit psalmo 110: *Memoriam* (inquiens) *fecit mirabilium suorum:* nihil attingere audebo, præter aliqua desumpta ex iis, quæ à Clemente V. scripta sunt, Clement. 1. de reliquiis, et vener. Sanctorum; videlicet. *Dignum profecto existit, ut sibi in sui, quo nos quotidie spiritualiter reficit, memoriam corporis laudes festivæ venerationis, et gratias referamus.* Sed quas, ò mirabile, suave, tutissimum, ac super omnia pretiosum Sacramentum! referemus laudes? In quo innovata sunt omnia, et mirabilia immutata: in quo habetur omne delectamentum, et omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur: memorabile, sacratissimum, in quo gratam redemptionis nostræ recensemus memoriam, in quo à malo retrahimur, et in bono confortamur. In quo tandem Iesus Christus sub alia forma, in propria vero substantia, est nobiscum. O singularis et admiranda liberalitas, ubi donator venit in donum, et datum est idem penitus cum datore! Quam larga, et prodiga largitas, ubi tribuit quis se ipsum! O excellentissimum Sacramentum! O adorandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, cunctis hono-

(1) Præter Capellas, quæ hinc inde à lateribus extant, et alias duas absides faciunt.

norandum studiis, devotis prosequendum obsequiis, et sinceris mentibus retinendum! In cuius decus et honorem inter alios surgat clerus et populus Toletanus in cantica laudum; cordibus, votis, et labiis hymnos persolvat: psallat fides, spes tripudiet, exultet caritas, devotio plaudat, iubilet chorus, pietas iucundetur. Qua de re quantumcumque grandia pro virili ubique referantur, alia nimirum restant, quæ, neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt: et cum Apostolo concludamus ad Corinthios, cap. 2: ea sunt, quæ non licet homini loqui. Ut igitur ad rem propositam revertamur de cultu et ornatu; licet in rebus magnis satius sit omnino silere, quam pauca dicere; tamen pro ingenii captu nonnulla subnectam. Colitur itaque ineffabile Sacramentum in hoc sacro Templo sublimiori quodam modo, quantum humana fragilitas præstare potest. Nam cruces, calices, malluvia, candelabra, et omnia alia vasa ad divinum cultum sacrata, partim ex auro purissimo, partim ex argenteo conflata sunt. Inter quæ primum locum tenet phylacterium, seu Dominicum Tabernaculum, quod custodiam vocant, miro quodam artificio constructum, [(1)] Est et aliud reliquiarum, arte subtili confectum, quo custoditur sacrosanctum altaris Sacramentum sub tribus seris, et ianuis: illo enim, undique patulo, et conspicuo, Dominico Tabernaculo octo dumtaxat diebus, in Corporis videlicet Christi Octavis nostra hæc Toletana Ecclesia utitur; hoc vero minusculo ad continuam Dominici corporis custodiam perpetim utitur. Tus vero, quo denotantur orationes, ut in Apocalypsi cap. 5, sicut electius, et purius, in hoc Templo defertur, ita pie existimandum, supplicum vota facilius in hoc sancto loco exaudiri, efficacius, gratiusque impetrari.

CAP. VII.

De huius almæ Ecclesiæ ministris, eorumdemque ornatu, sacroque cultu.

Ornatum vero, quo ministri subserviunt Sacrificio altaris, aliisque divinis, quis poterit explicare? Nam pro qualitate festorum peculiariter sunt ornamenta præfinita diversi coloris, auro intertexta. Albi quidem coloris indumentis utitur Ecclesia Toletana in Nativitate ac Resurrectione Domini; in festis præterea Intemeratæ Virginis Mariæ, et Sanctarum Virginum. [(2)]Rubei vero in diebus Epi-

Ccc 2 pha-

(1) Custodia, seu Tabernaculum, in quo processionaliter defertur SS. Sacramentum in festo Corporis Christi, amplius exornatum hodie conspicitur, quam ætate D. Blasii Ortizii; et de eius opere extat liber MS. à suo Artifice Arfe, et Villafañe, Legionensi, qui asservatur in officina fabricæ S. Ecclesiæ. Insuper collocatur supra currum mirificæ structuræ: eadem nempe forma et ornatu, quo à clarissimo Ambrosio Morales *in suo itinere sacro* describitur alius, quo SS. Sacramentum Legione defertur in prædicto festo, tam graphice dispositus, ut numquam descendat, vel ascendat Tabernaculum, sed recte procedat.

(2) Omnis ista varietas colorum, in quo discrepat ab Ecclesiæ Romanæ consuetudine, sublata fuit, iuxta Sacræ Rituum Congregationis decreta. Me autem fugit, an præ oculis habita fuerit bulla S. Pii V. ad preces nostri Catholici Regis Philip-

phaniæ, Pentecostes, S. Crucis, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, victoriæque de Benamarin. Viridis autem in processione, ac pompa Dominicæ Palmarum, et sollemnitate S. Ioannis Baptistæ dumtaxat. Crocei, seu lutei, in festis Confessorum, Doctorum, Abbatum. Cærulei, seu beneti coloris, in festo Sanctissimæ Trinitatis, et in multis diebus Dominicis: cinerei, in die Cinerum: violacei, in Dominicis Adventus, et Quadragesimæ tempore; item belli, et tribulationum. Cæterum indumentis omnium indiscriminatim colorum, auro simul intextis, in festivitate omnium Sanctorum propter eorum diversitatem; in adventu itidem Regum, Toletanive Præsulis, Summique Pontificis Legati. Nigri vero coloris in Dominica Passionis, in obsequiis præterea defunctorum. Horum denique colorum casulis, capis, dalmaticis, tam auro textis, quam bombycinis et holosericis, ditissima est nostra Ecclesia. Hanc enim colorum, ornamentorumque diversitatem non casu, aut sorte Ecclesia Toletana creditur accepisse; immo gnara utriusque testamenti, eius vestigia imitari dignum duxit: ut traditur dist.40, in summa, cuius verba sunt: ***Variis vestibus ex præcepto Domini Sacerdotes ornati leguntur, quia multis virtutibus debet splendere vita Pontificis.*** Itaque per varietatem ornamentorum denotantur virtutes et merita, quæ in Dei ministris debent coruscare. Et 43 dist. in cap. sit rector, scribitur fuisse iussum Moysi in Exodo, cap.28, quod Sacerdos tabernaculum ingrediens, tintinabulis, et malis punicis ex auro ambiretur: et gl. ibidem dicit, totidem mala punica inferiori margine tunicæ Sacerdotis pendebant: quæ omnia ornatum et maiestatem ministrorum Dei denotabant. Si enim Iudæi, qui umbræ legis deserviere, hoc faciebant; multo magis nos, quibus veritas patefacta, et gratia per Iesum Christum data est, templi Domini ministros ornare, et venerari debemus. Propterea nemo dicere audeat, hoc ad pompam et ostentationem fuisse institutum; ut nonnulli apostatarum nostræ tempestatis asserere non verentur: qui bona Ecclesiarum perperam sibi vendicare non erubuerunt: quique iusto bello ab Imperatore nostro Carolo V, tuæ celsitudinis genitore semper Augusto, devicti, in septuplum non cum parva illorum sanguinis effusione persolverunt. Quæ res digna lauro, digna curru, singularique digna trophæo fuit, quamvis Cæsar noster invictissimus tantus sit, ut facile triumphos contemnat. Et ne diu vagemur, ad materiam redeamus propositam. Quo ordine et

lippi II. obtenta, in qua S. Pontifex decrevit, et indulsit, posse retineri laudabiles S. Ecclesiæ Toletanæ consuetudines, tam in Sacrificio Missæ, quam in Sacramentorum administratione, cantu, et aliis, quæ videre licet in præfata bulla. Recte ergo non agit, qui ceteras laudabiles consuetudines turbare contendit; tametsi hanc de usu coloris minime expediat instaurare, cum præsens observantia praxi universalis Ecclesiæ congruat: immo si antiquum usum varietatis colorum renovare vellemus, absdubio orirentur scandala, et suspicari quis posset, Ecclesiam Toletanam à Romana deviare.

et reverentia Subdiaconus calicem (ut Ecclesiastice loquar), patenam, ampullam, malluvium, et manutergium offerat, et ministret; qua etiam veneratione Diaconus Sacerdoti omnibus, quæ aguntur in Sacramento nostræ redemptionis, inserviat, cap. perlectis, 25 distinct.: quanta etiam devotione Presbyter ipse suum munus obeat, et Sacrificium corporis et sanguinis Domini in altari conficiat; non potest ita verbis exprimi, sicut oculis intuentium conspici. Nam sacri loci maiestas devotionem ingerit, spiritum elevat, atque uniuscuiusque animum pium, et ineffabili quodam modo sanctum reddere conspicitur.

CAP. VIII.
De Musica.

Hic locus exposcit, ut obiter saltem, decentem Ecclesiæ cantum attingam. Quo autem ordine, quaque harmonia, dulcisonisque concentibus eloquia sacra in hac alma Ecclesia resonent; et audientium summa delectatio manifestat, et fama, toto orbe terrarum vulgatissima, notissimum facit. Cantum vero privum, quem simplicem vocant, cuius est in hoc sacro Templo usus, propter eius excellentiam non solum nostra Ecclesia Toletana cum sua diœcesi, verum etiam Granatensis cum omnibus Ecclesiis eiusdem regni, totusque ordo cœnobitarum D. Hieronymi sequitur, et observat. Iam qua melodia, et musica cantorum, tibicinum, sambucistarum, præter organicam illam nullibi non communem, Missa, divinaque alia officia in hac sacra Basilica celebrentur; ipse Princeps sapientissime, Hispaniarum decus, melius cunctis poteris iudicare: qui, cum intelligeres novitium chororum inventum, sive potius (ut ego opinor) ob vetustatem iam obsoletum (cum olim chori in usu fuerint psal. 148.), in hoc nostro concentu desiderari; tametsi tibi iucundissimi erant, maximeque in deliciis habebantur; eos dignissimo Archipræsuli Toletano, magistro tuo, tradidisti: ut eius pariter, et tuo beneficio, tanto dono Ecclesia nostra ornata frueretur. Cæterum, quia nonnulli, Sanctorum auctoritatibus non probe intellectis moti, et quadam denuo Extravaganti suffulti, videntur quodammodo in Ecclesiis musicam improbare; non indignum censui, in utramque partem quæstionem hanc discutere, et brevi compendio, quid de hoc sentiam, explicare. Et quoniam opposita, teste Philosopho, iuxta se posita, magis clarescunt, pro parte negativa prius arguam: ut in fine concludam usum, laudabilemque consuetudinem Ecclesiarum iure et ratione probari. In primis ergo Hieronymus ait 92. dist. cap. 1. *Cordibus, non vocibus Deo cantandum, et psallendum est.* Qui post pauca addidit: *Audiant hæc adolescentuli, audiant hi, quibus in Ecclesia est officium psallendi.* Cui assentitur Gregorius eadem dist. cap. 2. *In sancta* (inquit) *Romana Ecclesia dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium constituti, cantores eligantur; et in Diaconatus ordine constituti, modulationi

ni vocis inserviant, quos ad prædicationis officium, et eleemosynarum studio vacare congruebat. Unde fit plerumque, ut in ministerio, dum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur, et cantor minister Deum moribus stimulet, cum populum vocibus delectat. Convenit etiam versus ille vulgaris.

Non vox, sed votum; non cordula musica, sed cor:
Non clamans, sed amans cantat in aure Dei.

Præterea, quo musica est præstantior, eo magis hominum animos ad se allicit, et intentos facit: unde illorum sensus non potest simul Deo et musicæ intendere. Ex his, aliisque similibus videtur posse concludi, musicam ab Ecclesiis exterminari debere. Cum præsertim huic sententiæ Extravagans illa nova ultimam manum imponere videatur: de vita, et honesta clericor. 1. in communibus. Huius tamen opinionis rationes facile diluentur, et Extravagantis sanctionis veritas declarabitur. Paulo itaque altius (si per te licuerit Serenissime Princeps) celebratæ consuetudinis fundamenta subtexam. In novo testamento legitur bis Angelos hymnos cantasse: nato Salvatore, *Gloria in excelsis Deo,* Lucæ cap. 2. eoque resurgente, *Alleluia*; ut in cap. hi duo hymni, de cons. dist. 1: neque vulgariter, sed prout festa gloriosa exposcebant, nempe omni humana musica sublimius. Unde militans Ecclesia, triumphantis exemplo, debet uti ministerio cantorum potiori modo, quo possit. Præterea David cithara, tinnulis ictibus concitata, lyricoque carmine à Saulis vexatione dæmonem arcebat: lib. 1. Regum, cap. 16: quod neutiquam crederem fieri, si voce et cithara incomposite psalleret. Unde in veteri testamento non solum erat usus cantorum in laudem Dei, Esdræ cap. 2; ubi cantores, et cantatrices ducenti numerantur; sed etiam de laudando Deo præceptum; ut in ultimo psalmo, in quo iubemur Deum laudare in tympano et choro, in chordis et organo: quod simplici, incompositaque musica non ita decenter fieret. Et B. Cæciliam legimus, pulsatis organis, ipsam decantasse Domino: *Fiat* (inquiens) *cor meum et corpus meum immaculatum, ut non confundar.* Item musica inter artes liberales connumeratur, quas cum ab Ecclesia non reperiamus prohibitas, cap. si quis artem, 37 dist. nulla ratio est, cur ab Ecclesia cantores exterminentur: quod tantum abest, ut decreta in cap. cleros, 21 distinct. non solum officium cantoris, verum etiam ad Ecclesias triplices musicos pertinere decernant. Cantorem videlicet, succentorem, et concentorem, qui ordinat voces. Igitur si musica esset omnino prophana, vel prohibita, nullus esset delectus istorum cantorum; neque ab Ecclesia Romana, quæ caput est omnium Ecclesiarum, et magistra, reciperentur, tantique nequaquam fierent. Musica enim animum mulcet, mentem erigit, et singulorum operum labores, fatiga-

gationemque solatur: lapsos et desperatos revocat, viatores confortat. Affirmare Arabes, fertur, camelos, onera portantes, confortari canentibus ductoribus. Cantus namque delectationem operatur, iracundos mitigat, tristes et anxios lætificat, discordes pacificat, phreneticorum rabiem temperat, vanas cogitationes dissipat, torpentes animos excitat: nunc gravioribus tonis lascivos, furentes, iratos cohibet. Sic David furentem Saulem cithara repressit; præterea Orpheus, Amphion, Pythagoras, Empedocles, Asclepiades concentibus sonis mira quædam facere consueverunt, suis assuetis modulis fidicinantes. Multa plane de operationibus melodiæ leguntur, quæ, si essent referenda, proprium codicem sibi vendicarent: propterea, ne videar multum à materia discedere, sat erit in laudem musicæ hæc testigisse. (1) Ex quibus evidentissime elicitur, optimo iure musicam in Ecclesia Dei esse receptam; nec propter argumenta in contrarium adducta esse respuendam, quibus sic potest responderi. Et ad primum dico, Hieronymum non improbare simpliciter musicam quæ in Dei laudem potest assurgere, sed eam tragico mo-

(1) Longum nimis esset, dissertationem de musica intertexere: et ad disciplinam ecclesiasticam accomodatius loquendo, dicimus, cantum simplicem Toletanum seu Gregorianum ad divinas laudes in choro persolvendas magis congruere. Nam in Conciliis Generalibus, Provincialibus, et Synodalibus, præcipue in Synodo habita à nostro decessore dignissimo Portocarrero, præcipitur, ut Clerici cantum planum Toletanum addiscant, ad divinum officium peragendum, non vero ut Musicæ artis peritiam adipiscantur, et totum vitæ curriculum in ea intelligenda absumant; hoc enim artis Professoribus relinquitur: Cantus igitur simplex vel planus aptior est, et accomodatior, ut divina officia sollemniter peragantur. Nec est inficiandum, Hebræos, populumque Dei usum fuisse instrumentis musicis cithara, decachordo, psalterio, timpanis, organo, symphonia, sambucis, cymbalis, tuba cornea, aliisque, quæ in S. Scriptura passim referuntur: fuisseque peritissimos cantores per choros distributos, et quorumdam etiam nomina in ipsis subscriptionibus psalmorum et canticorum annotari. Inter quos recensendus est David, psalmorum compositor, cantor, et chitaram pulsans, immo ante ipsam Arcam Dei præ gaudio exsiliens, et saltans. Enimvero hæc omnia, ut et alia plurima propter duritiem cordis Hebræorum permissa fuisse, emunctioris naris Expositores animadvertunt: nos autem lege gratiæ emolliti sumus, illamque rusticitatem et duritiem cordis amisimus. Neque propterea quispiam existimet, velle nos omnem usum musices à templis explodere; quæ enim hucusque diximus, intelligenda sunt de musica theatrali, voluptati et lasciviæ deservienti, qualis in choreis mundialibus usurpatur: minime vero de illa simplici, quæ cum congruentior sit ad divinas laudes persolvendas, teste clarissimo nostro Ortizio, suavitate et dulcedine, quæ auribus gratissima est, mentem ad Deum erigit, tristitiam moderatur, vanas cogitationes dissipat; ideoque devotionem mirum in modum auget. Quod si non omnes Canonici in choro assistentes hunc cantum simplicem calleant, vocem tamen succentoris et psalmistarum prosequi facile posunt, quod in cantu figurato fieri nequit; tunc enim obmutescunt, et plerumque imaginatione hinc inde vagantur. Cum itaque Canonicorum munus sit canere, prædictum simplicem cantum debent magis adamare, et in festis sollemnioribus succentores maiori gravitate, maiori punctatione, seu pausatione in medietate versus, psalterium et officium persolvere. Sed hæc in gratiam nostri cantus Toletani dicta sufficiant. Utinam elucescat dies, in quo à Cathedralium choris exulent Musici omnes cantus figurati, Uxorati, Castrati, aliique id generis, quorum in locum succedant Sacerdotes, qui corde, et ore laudes Deo decantent! Faxit Deus, ut in Ecclesiis quædam instrumenta musicalia amplius non resonent, ea nempe, quæ castris, et theatris magis apta, quam domui Dei sunt.

Digitized by Google

more in Ecclesiis tripudiantem : ut ex verbis eiusdem Hieronymi recte perpensis colligitur. Nec refragatur huic sententiæ communi Gregorius, qui tunc dicit cantores stimulare Deum, cum ad voluptatem populi tantum, non ad Dei laudem et cultum, vultuosi cantores lasciviunt. Nec potest negari, musicam, quo elegantiorem, eo magis placida modulatione mentem sensumque hominis elevare; sed ille mentis excessus in iubilationem tendit: quod si quis in sinistrum vertat, sibi, et non musicæ vitio ascribat, cum intentio præcipua Ecclesiæ sit, iubilare Deo, non solum in organis et aliis instrumentis, verum etiam in cymbalis et vocibus benesonantibus. Quæ non distrahunt sensum, neque intellectum à divinis, ut imponitur ex adverso, sed potius roborant, et confirmant; sicuti cum plura in idem tendunt, fieri nonnumquam solet. Neque musicæ adversari videtur Extravagans, ut eam recte considerantibus liquet, quæ de lasciva tantum musica loquitur; eamque merito reprobat, cum non in Dei honorem, sed in aurium potius delicias vertatur, ut patet in principio ipsius Extravagantis, dum dicit : *Melodias intersecant, discantibus lubricant, cantilenis vulgaribus nonnumquam inculcant; adeo ut interdum antiphonarii et gradualis fundamenta despiciant, &c.* Quæ aliter etiam intelligi potest, ut prohibeat, in modum tragediæ tantum cantores in Ecclesia gestire. Quin etiam, licet concedamus, Extravagantem supradictam musicam penitus explosisse, servanda non est, nec eius transgressores aliquibus ligantur pœnis; quandoquidem in usum non fuit recepta. Nam leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur vero, cum usu atque consuetudine approbantur: cap. in istis et cap. fin. 4 dist. Idcirco cantores intrepide absque ullo conscientiæ dictamine possunt iubilare Deo; dum tamen populum lasciva, effeminataque modulatione, præcipue ad inanem delectationem, non provocent. Quod si illa vocum inanis elatio, nemini parcens, eis irrepserit (tripudiantibus enim in superbiam, in humilitatem humilibus sensim irrepere tentat), tali antidoto præmuniantur, ut cum ad divinum officium accesserint, sincera et præcipua illorum in Deum dirigatur intentio, à qua, si ut homines discesserint, mortali labe neutiquam afficientur; sicuti contingit famulis Prælatorum servientibus propter beneficia obtinenda: qui, dum non ob illa principaliter famulentur, simoniæ, ambitusve crimine minime notabuntur: cap. quid proderit, 61 dist. et cap. cum essent, de simonia. Illud tamen omni cura et diligentia caveant, ne dum divinis psalmodiis incumbunt, ceterisque sacrosanctis obsequiis, garrulitatibus aut susurris intendant: nam, ut Augustinus ait, bonis operibus insidiatur dæmon.

CAP. IX.

De admiranda Virginis descensione in hanc sacram ædem, D. Ildephonso Sacellano suo vestem è cælo afferentis.

Hactenus de musica, attinentibus-

busque ad altaris ministerium tetigisse sufficiat, ut ad tractandum de sollemnitatibus peculiaribus huius almæ Ecclesiæ iam nostra convertatur oratio. Inter quas prima se offert descensio mira Intemeratæ Virginis Mariæ. Quod sic evenisse, à maioribus nostris verissimo relatu, scripturisque authenticis accepimus. Regis Reccesvindi tempore, qui patri Chindasvindo Æra 695 in regno successit, et regnavit 18 annis, cum Helvidii et Pelagii sectatores à Galliis venientes, plerasque Hispaniæ partes infecissent, perpetuam virginitatem Beatæ Mariæ negantes, Præsul Toletanus Beatus Ildephonsus illis occurrens, non segnis in divina militia torpuit: non sibi notam passus est desertoris muri: non denique turpem meditatus fugam, adversariis terga præbuit: quin potius cum hostibus congressus, contrarios ictus, clypeo fidei circumseptus, retudit inclitus prœliator; sacrarumque Scripturarum testimoniis, Sanctorumque Patrum auctoritatibus, inviolabilis veritatis armatus eloquiis, eorum hæretica dogmata confutavit, et ab Hispaniis confusos abegit: librumque contra prædictos hæreticos de perpetua Virginitate conscripsit, cuius tale est initium. O *domina mea, dominatrix mea, dominans mihi, mater Domini mei, famula filii tui, genitrix factoris mundi, te rogo, te exoro, te quæso, habeam spiritum filii tui, habeam spiritum Domini tui, habeam spiritum Redemptoris mei, ut de te vera et digna sapiam, de te vera et digna loquar, de te vera et digna, quæcumque sunt, diligam:* aliaque in hunc modum, quæ pio ac devoto lectori (ut ad institutum properem) æstimanda relinquo. Virgo itaque sacrosancta, non immemor accepti obsequii pii devotique clientis, ab æthere summo descendens, hanc peculiari privilegio suam sanctam ædem suis gressibus, vestigiisque consecravit. Dum enim suavissimis cantuum modulationibus ad decantandum, et ad librum de Virginitate perpetua catholice scriptum legendum, D. Ildephonsus cum clero et populo consurgeret, atque ut vigilias, quas Deo, et eius Intemeratæ Virgini matri voverat, rite persolveret, ministri præeuntes, cum Ecclesiæ ostia de more aperirent, subito lux magna oculos eorum perstrinxit, quam neutiquam ferre valentes, magno timore perculsi, luminariis relictis, pene exanimes fugerunt. Divus vero Ildephonsus, nullo terrore perculsus, cum ad altare (ut moris erat) ad orationem flexis genibus procubuisset, sibi utique bene conscius, circumquaque conspiciens, vidit illam sanctam, immaculatam virginum Reginam, in suggesto sedentem, quod ipse, concionaturus populo, ascendere solebat; quo in loco nullus postea sedere ausus est, præter [1] Sisibertum Episcopum, qui propter au-

(1) In Concilio Toletano XVI. asseritur Sisibertum à sede depulsum propter infidelitatem ac proditionem adversus Regem, et eius familiam: verisimile autem admodum est, hominem superbissimum utrumque scelus contra Deum, et Regem perpetrasse.

daciam, nimiamque temeritatem à sede illa eiectus, in exilium est relegatus. Ildephonsus vero, sursum oculos elevans, vidit virginum choros Reginam laudantes, quæ Davidicis modulationibus cantus dulcissimos personabant. Cumque Virgo sanctissima, pariter ac vir sanctus se mutuo intuerentur, ipsa quidem Virgo gloriosa vestem illam pretiosam, quam secum attulit, induit famulum suum, deditque pientissimo ac vigilantissimo Ildephonso, ut ipse solus (ut credere dignum est) in sollemnitatibus illius, ac Redemptoris nostri vestiretur, subiiciens: "Quo„ niam (inquit) mente pura, fide „ firma, in meis laudibus perman„ sisti, et in laudem meam diffu„ sam in labiis tuis gratiam tam „ dulci eloquio in corda fidelium „ transfudisti, et lumbos tuos vir„ ginitatis gratia cingulo castitatis „ præcinxisti, volo, ut vestimento „ supercœlesti iam in hac vita or„ neris, ut in futura in cœlesti bea„ titudine cum servis filii mei æter„ na lætitia fruaris." Et hæc dicens, ab oculis eius una cum virginibus, ac luce qua venerat, evanuit, in cœlumque remeavit. Remansit autem servus Dei, de adipiscenda gloria tantum sollicitus, quantum conspicuus extitit veste sibi data divinitus. Hæc ex lectionibus, quæ cantantur in festis Annuntiationis Intactæ Virginis sub nomine Beatæ Mariæ *de la O*, XV. calendas Ianuarii, atque descensionis Virgineæ, IX. calendas Februarii, sub celebritate Pacis, necnon à chronico Reverendissimi D. Roderici lib. 2, cap. 24, ad verbum fere decerpsi. Cæterum Virgo virginum, et sanctarum Sancta (quia intempesta nocte Ildephonso vestem sacram attulisse omnibus nondum innotuerat) voluit per Beatam Leocadiam alumnam, tutelaremque Toletanæ civitatis, Rege populoque clara die palam cernentibus, uberiorem gratiam referre. Nam cum in festo Beatæ Leocadiæ Ildephonsus cum Rege Reccesvindo, populi comitante caterva, ad tumulum eidem Virgini consecratum descenderet, continuo sanctus vir prope civis suæ sepulcrum devotissime pronus occubuit, atque in oratione diu suspensus, tandem monumentum sua sponte apertum vidit. O rem multis retro sæculis inauditam! Surrexit ex tumulo virgo Leocadia, quæ iam tercentum annos in Domino obdormierat, sive in corpore proprio, sive extra corpus, non est qui iudicet; et B. Ildephonso appropinquans, quasi dextram dextra apprehendens, sic ait. "O Ildephonse, per te vivit „ domina mea, quæ cœli culmina „ tenet." Stupefacti magnitudine ac novitate rei, silent cuncti. At B. Ildephonsus, illis mirantibus, silentium his vocibus rupit. "Virgo „ cœlo digna, quæ terras exosa, „ mundum pro Christi amore us„ que ad martyrii cruciatum spre„ visti, quæ te tam sancta tule„ runt sæcula, beata fuerunt; sed „ beatiora nostra tuo visibili con„ spectu, quæ cum emigraveris „ martyrii palma triumphans, ad „ fidei gloriam, et credentium „ consolationem miraculo tam in„ signi apparere dignata es. Con„ verte, quæso, lumina ad hanc „ urbem tui altricem corporis: pro-

„ te-

Digitized by Google

„ tege precibus, et intercessionibus cives tuos, pariter et Regem, qui tua templa mira devotione frequentat." Tandem virgo ad tumulum revertens, lento gradu incedebat. Tum Recesvindus Rex Beatum rogat Ildephonsum, ut aliquid insigne ex virgine acciperet, priusquam ex oculis dilaberetur. Ille, Regis accepto cultro, partem veli, quo virgo amicta erat, incidit, ac Regi, custodi quidem fideli, commisit. Rex vero (quæ eius religio erat) et munus illud cæleste, et cultrum servandum dedit ministris Ecclesiæ; nefas enim duxit, ad humanos redire usus, quicquid virginis contactu sanctificatum esset. Perpendant nobiles matronæ, virginesque Toletanæ, ac reliquus sexus femineus verba beatæ Leocadiæ dicentis: "Per te Ildephonse „ vivit domina mea:" (cuius virginitas, illibata, ut erat, Ildephonsi disputatione, explosa hæreticorum et damnata hæresi, defensa permansit) quanta cura et sollertia debeant famam integram conservare. Femina enim, cum infamatur, quasi inter mortuos potius, quam inter vivos annumeranda, non vivere dicitur. Ex his omnibus pervulgatum est nomen Ildephonsi per universam Hispaniam, tantaque devotio erga Christi fideles excrevit, ut infelix haberetur is, cui Ecclesiam Toletanam visitare non esset in votis. Huic utique sanctæ Basilicæ illud psalmographi, psalmo 131, non indecenter possumus adaptare. *Introibimus* (inquit) *in tabernaculum eius, et adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius.* Nam etsi per pedes Apostolos Christi, qui sunt pedes sustentantes totum Ecclesiæ corpus, intelligamus, nihil prohibet, quod ad historiæ veræ gestæ miraculum suo quodam modo propheticum vaticinium accommodemus. Cæterum ad excellentiam privilegiumque huius Basilicæ spectat, quod Hispaniarum Reges à primi diei natalis Domini nostri vespertinis horis usque ad Missam tertii diei peractam, quæ Sancti Ioannis Evangelistæ est, sub certa pœna in hoc sacro templo adesse tenentur. Quin et ipse Romanus Pontifex, nisi eisdem diebus pariter affuerit, simili pœna mulctatur. Quod usque in præsentem diem inviolabiliter custoditur, nec aliunde originem ducere pie existimandum est, quam ex illa cœlesti, et per orbem terrarum celeberrima ac vulgatissima Virginis Mariæ descensione. Nam, quamvis sæpius maxima sollertia scrutatus fuerim libros antiquos, illosque, qui archivo huius Ecclesiæ quasi religione quadam servantur, huiusmodi tamen mulctatitiæ pecuniæ, neque ullum principium invenire, neque à senioribus perdiscere potui, quantumvis peritiores interrogaverim. Solum itaque libri vetustiores et calendarium, quod memoriarum dicitur, in quibus hoc mulctatitium statutum indubitanter promulgatum reperitur, hac de re testificantur, quibus in huiuscemodi rebus fides adhibenda est, præsertim cum id ab omnibus usu et consuetudine receptum fuerit. Mirum dictu, relatuque dignum, Christi Vicarios, Romanæ Ecclesiæ Pontifices, Alpes, montesque Pyrenæos transcen-

Digitized by Google

dendo, in Hispaniam, atque adeo in nostram Ecclesiam, non sub æquinoctia, sed sub hiemem rigidam, Apostolica Sede relicta, statutis diebus se conferre teneri. Quos minime Ecclesiam Toletanam, utpote Romana inferiorem, astringere potuisse, cap. 1, 22 distinct. sed ipsorum Pontificum spontanea devotione in obsequium et memoriam Inviolatæ Virginis descensionis se Regesque Hispaniæ sub præscripta multa astrinxisse, credere fas est. Ob hanc potissimum religionis causam nonnulli Hispaniarum Reges, Enricus huius nominis II. cum Ioanna, Ioannes item I., eius filius cum Leonore, Enricus etiam III. cum Catharina uxoribus in hac sacra Basilica monumenta sibi elegerunt iuxta altare, quod descensioni Deiparæ Virginis dicatum est, in Sacello, quo Missarum sollemnia pro eorum requie nuper celebrabantur. Quorum corpora anno 1534, XIV. calendas Iúnii, S. C. C. maiestatis parentis tui, Serenissime Princeps, permissu, ac mandato Reverendissimi Cardinalis Ioannis Tabera mihi, tunc temporis eius Vicario, iniuncto, in Sacellum denuo illis erectum, quod recentiorum Regum appellationem obtinet, translata sunt. Nam, ut postea dicetur, aliud Sacellum est, ubi sacra pro Regibus vetustioribus peraguntur. Eadem devotione, existimo, hanc sanctam Ecclesiam Christianissimos Hispaniarum Reges præ ceteris, non munusculis aut vulgaribus donis, sed vasis, ornamentis, insuper castris, oppidis, villis, multisque aliis reditibus, ut posteris suæ devotionis argumentum, exemplumque relinquerent, ditasse. Ob hanc ipsam descensionis causam facile quidem coniectura ducor, nobilissimas olim Ecclesias huius nostræ societatem affectasse, ut nimirum iuris ecclesiastici participes essent, hoc est, precum et divinorum mysteriorum, quibus Ecclesia Toletana excellit, quod multis retro annis initum fœdus ad hanc usque nostram ætatem durat. Quænam vero istæ Ecclesiæ sint, quoniam celebre, et scitu dignum est, brevi quidem catalogo accipe. Compostellana, Cæsaraugustana, Pampelonensis, Seguntina, Oxomensis, et apud Gallos Turonensis. Ambivit hoc ipsum insigne pariter et nobile cœnobium S. Facundi de *Sahagun* vulgo nuncupatum, Ordinis D. Benedicti, quod apud Legionenses in magna est veneratione, neque apud hos solum, sed apud universos Hispaniæ nostræ tractus. Hi omnes, si quando ad Ecclesiam accedunt, et chorum nostrum, vestibus de more Ecclesiæ nostræ induti, ad officium ingrediuntur divinum, si ex dignitatibus Ecclesiæ suæ sint, fœderis symbolum duos aureos accipiunt; sin canonici, aut portionarii, unum. Aliud est item nequaquam sub silentio prætereundum, Ecclesiæ Toletanæ sanctimoniam commendans, quod, si quando Principibus nostris prœlium aliquod in Mauros committendum erat, ad Toletanam urbem divertentes, Templi nostri sacra visitabant, et accersitis Templi ministris, vexilla sua benedicenda, et aquis lustralibus, ceterisque mysteriis sanctificanda curabant. Unde hæc summa

ma devotio? Nempe non aliunde existimandum reor, quam ex illa admirabili Deiparæ Virginis descensione, quam non tantum vetustorum testimonia, verum tabulæ pictæ, columnæ, parietes Templi intus et foris suis stemmatibus proclamant, atque demonstrant. Idemque palam facit collegium eorum, qui sub nomine confraternitatis Immaculatæ Virginis descensionem quotannis celebrant. In qua antiquitus Rex et Archipræsul cum multis urbis Optimatibus solebant esse confratres. Hodie vero prisca illa memoria tantæ maiestatis in populo, et cæreis luminaribus regalibus ornatis insignibus, dumtaxat permanet.

CAP. X.

De peculiaribus Sanctis, huius almæ Ecclesiæ urbis, provinciæque Toletanæ patronis.

Verum post admirabilem Virginis descensionem utcumque præscriptam, de aliorum Sanctorum celebritatibus, quos hæc alma Ecclesia annuatim recolit, etiamsi multa, mirandaque dicerem, omnia certe inferiora censerentur. Nam quemadmodum fluvii in mare intrantes nomen amittunt, ita cum aliquid de exuberantissimo gratiarum pelago Sacrosanctæ Christi Parentis egerim, nomina gestaque Sanctorum impune prætermittere possem. Sed ne videar (quod absurdum fore existimo) nostros huius urbis patronos ac tutelares inofficiosus silentio præterire, pauca ex multis referam; facile enim lector condonabit, si eorum quoque monumenta referantur, qui Virginem ipsam, et Sanctissimum Filium religiosissimis officiis demeruerunt.

CAP. XI.

De D. Eugenio, et exordio Fidei orthodoxæ in alma Ecclesia Toletana.

At primum à D. Eugenio mihi exordiri visum est, quippe qui primus Toleti, eliminata spurcitia idolorum, pia, sancta, et religiosa fidei fundamenta iecit. (1) Hic vero fuit discipulus magni Dionysii Areopagitæ, à quo in Hispaniam, ut eam Christo Domino lucrifaceret, ex Arelatensi urbe missus, in nostram ante alias, utpote longe præstantiorem, se contulit civitatem Toletum. Ubi constanter Christum Salvatorem mundi prædicando, dæmones urbem vexantes fugavit, illorumque aras penitus destruxit. Quas in veri Dei religione consecrando, quamplurimis decoravit ministris, qui salutaria fidei documenta fidelibus et catechumenis ministrarent. Postmodum magistri sui Dionysii desiderio captus, ut ab eo ante utriusque obitum consolationem acciperet, et ministerii sui rationem magistro redderet, in Galliam reversus est. Ante vero quam Parisios accederet, in loco nomine Diolo in persecutorum Christiani nominis rabiem, manusque violentas incidit. Qui, cum à tyrannis interrogaretur, cuias esset, Christianum se esse, sponte confessus fuit; perseveransque in veræ catholicæque fi-

(1) Hac de re iam supra à nobis dictum fuit.

Digitized by Google

fidei confessione, martyrii palmam adeptus est. Cuius corpus, divina revelatione inventum, iuxta magistri sui Dionysii sepulcrum honorifice fuit translatum. Regnante vero Aldefonso VII. (qui, ferme universa Hispania in ditionem suam redacta, Imperatoris sibi nomen vendicavit) Raymundus Archipræsul Toletanus ab eodem Aldefonso Imperatore instanter efflagitavit, ut corpus, aut saltem aliquam eius portiunculam D. Eugenii à Ludovico Rege Francorum, qui à Hierosolymis rediens, visitaturus limina B. Iacobi, Compostellam petiit, postularet. Qui Imperatoris precibus devictus, concessit brachium dextrum D. Eugenii. Quod transmissum fideliter per manus cuiusdam Abbatis Sancti Dionysii, summo cum honore susceptum fuit. Imperator namque cum duobus filiis, et cum alio ex Optimatibus, longe ab urbe pedestres ei obviam venientes, arcam humeris humiliter impositam, sanctissimum brachium deferentem, in nostram Ecclesiam detulerunt. Ubi illud sub fideli custodia religiose observatum, auro gemmisque pretiosis munitum, tua celsitudo in huius almæ Ecclesiæ ærario sacro perspexit.

CAP. XII.
De Beata Leocadia.

Præterea virgo Leocadia, forma honestissima, clarissimisque orta natalibus, Toletana fuit civis; adeoque credentium fidelium in tribulatione refugium, pauperum consolatio, dubitantium firmamentum, sanctorum gaudium, omniumque Christianorum singulare præsidium: ut in carne vivens, cœlesti magis, quam terrena vita frui videretur. Quæ sub Daciano præside tempore Domitiani Imperatoris martyrio coronata est. (1) Huic Divæ Martyri tres in hac urbe dedicatæ sunt Ecclesiæ. Quarum duæ sunt Collegiatæ; tertia vero Parochialis, quæ sicut à maioribus accepi, fuit ædificata in ipsius domo propria. Ex Collegiatis vero, una in carcere, qui à parte meridionali regio capitolio est contiguus, ubi spiritum Altissimo reddidit. Ibique in quadam spelunca, qua vincta servabatur, propriis digitis signaculum Crucis saxo impressit: quod usque adhuc magna religione colitur. Altera extra muros huius civitatis; ubi eius corpus sepulturæ fuit traditum. Felix hæc virgo longo post tempore D. Ildephonso (ut supra commemoravimus) apparuit. (2) Eiusque corpus, etsi per tempora longissima, quo fuerit vectum ex hac urbe, latuerit, tamen ab altissimi Regis Philippi, avi celsitu-

(1) Tres Basilicas in honorem Beatæ Leocadiæ dicatas Toleti fuisse, annotavimus pag. 18. tom. 1. quarum descriptionem ibidem fecimus.

(2) Postquam Blasius Ortizius scripsit, Philippus II. Hispaniarum Rex, et Belgii dominus, facultate obtenta à S. Pontifice Gregorio XIII. totum corpus S. Leocadiæ Toletum transtulit. Archiepiscopus Cameracensis, Abbasque Monasterii S. Gisleni Michaeli Hernandez Societatis Iesu sollemniter tradiderunt, à quo magna cum diligentia in Hispaniam perlatum, atque in Toletana Ecclesia collocatum VI. calendas Maii, anno 1587.

tudinis tuæ, tempore, dum inter Hispanos et Flandros commercium frequentius haberetur, constat B. Leocadiæ corpus in cœnobio ordinis D. Benedicti, nomine Sancti Gislen, alias *Cella*, ad oppidum Monsenhenao in Flandria, magna reverentia et custodia observari. Idque reperi in historia Roderici Antistitis Toletani reposita in huius Ecclesiæ Bibliotheca, lib. 1, cap. de regno Egicæ Regis, in marginea quadam additione manuscripta. Suntque ex Toletanis civibus, quipiam, magnæ utique fidei et auctoritatis, qui se corpus hoc sanctissimum vidisse propriis oculis, dicunt, et affirmant. Qui etiam asseverant Reverendissimum D. Cardinalem Alfonsum Manriquum Præsulem Hispalensem, Toleti ortum, monachos efflagitasse, ut sibi Toletum mittendum corpus B. Leocadiæ condonarent, quod illi, etsi eleemosynam mille ducatorum dictus Præsul offerret, ne sacro illo munere carerent, abnuerunt. Quum vero nec precibus, nec pretio sanctum illud munus impetrari posset, placuit huius Ecclesiæ senatui, ad Abbatem et monachos dicti monasterii litteras destinare, ut de ipso B. Leocadiæ corpore, quoque id modo, atque tempore ad illos pervenisset, notum idoneo sibi testimonio facere vellent. Missis igitur à nostris litteris anno Domini 1538, atque tandem ab illis acceptis, cum de corporis Leocadiæ translatione forsan nihil certum apud eos haberetur, quod nostro senatui responderent, narrationem rerum omnium iuxta gloriosæ Leocadiæ martyrium, perinde ut gestæ sunt, duoque officia ad festum eiusdem celebrandum dicto Capitulo miserunt, præmissis ad fidem faciendam quibusdam verbis de huius urbis situ.

CAP. XIII.
De Beato Helladio.

Divus præterea [1] Helladius Toletanæ Ecclesiæ fuit Pontifex: de cuius vita et gestis nihil penitus scriptis mandatum reperitur, nisi quod præfuit Concilio III. Toletano, ut refert Rodericus lib. 2, cap. 15, in quo gens Gothica, Ariano dogmate abdicato, Catholicam Fidem pro-

(1) In Concilio III. Toletano post Regem Flavium Reccaredum subscripsit, ut antiquior Metropolitanorum, Massona, Ecclesiæ Emeritensis Metropolitanus Episcopus provinciæ Lusitanæ; postea subscripsit Euphemius Ecclesiæ Toletanæ Metropolitanus Episcopus provinciæ Carpetanæ; neque inter Episcopos nomen Helladii invenitur, nec in codice aliquo MS. Hæc itaque coniectura Ortizii caret omni fundamento, cum Helladius sit multo posterior Euphemio in sede Toletana, ut videre est supra in catalogo Præsulum à nobis edito; ex quo colligere licet in historia Roderici pro Euphemio scriptorem posuisse Helladium: non est igitur verum Helladium subscripsisse præfato Concilio, nedum præfuisse; cum notum sit in ecclesiastica historia illa ætate Metropolitanos sedisse, et subscripsisse ratione antiquitatis consecrationis eorum, non iure Primatus alicuius Ecclesiæ Hispaniarum, aut aliarum. Quod idem fuit decretum in Concilio Tridentino; nam cum Fr. Bartholomæus à Martyribus, Archiepiscopus Bracarensis, præferri vellet in absentia Archiepiscopi Toletani, ut Hispaniarum Primas, ceteris Præsulibus huius Regni, sancitum fuit, ut Metropolitani sederent, et subscriberent iuxta antiquitatem consecrationis, et similiter Episcopi, ut omnis controversia inter Prælatos amputaretur.

Digitized by Google

professa est. Propterea forsan,quod, cum postea Toletum Barbari invaderent, eius memoria fuit deleta, libris abolitis, et exustis, ut in urbium expugnationibus fieri solet; verum subscriptio D. Helladii in actis, et subscriptionibus dicti Concilii non reperitur, sed Euphemii Toletanæ Ecclesiæ Metropolitani Episcopi provinciæ Carpetaniæ. Uterque tamen eodem Concilio adesse potuit, gloriosus Helladius in principio, cui à luce migranti Euphemius est suffectus, qui in actis Concilii potuit se subscribere. Quam interpretationem assignavi, ne vitium aut varietas scriptoribus tribueretur.

CAP. XIIII.

De Beato Ildephonso, et eius corporis inventione.

Postea in nostra civitate, Ecclesiaque Toletana floruit [1] D. Ildephonsus, illustri prosapia, Stephano et Lucia parentibus, genitus, qui humanis præconiis neutiquam indiget, utpote à Dei genitrice Maria satis superque laudatus, munereque donatus amplissimo. Huius sanctissimi viri corpore sub fidelissima, nec minus tuta custodia, Zamorensis civitas fruitur (ut statim dicetur) in [2] Ecclesia parochiali eidem dicata. Vestis autem illi cœlitus à Virgine allata, in Ecclesia Ovetensi custoditur in aula, quæ sancta appellatur. Nullus tamen adhuc [3] arcam argenteam, ubi vestis hæc una cum pluribus aliis reliquiis asservatur, reserare audet. Beatus Ildephonsus non solum vita, verbis, et concionibus sacris, oves sibi commissas instituit, verum ex ingenii acutissimi dexteritate, et sinceræ mentis contemplatione, doctrinæ sanctæ volumina, ut posteritati quoque consuleret, pro animarum salute composuit, quorum multa perierunt temporum calamitatibus, et ipsa Maurorum in Hispaniam irruptione. Huius sanctissimi viri, et magnæ eius eruditionis, et doctrinæ meminit Ioannes Tritemius in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, seu illustrium virorum, cuius initium sequitur. "Ildephonsus Toletanæ sedis post S. Eugenium Episcopus, vir in divinis Scripturis eruditissimus, et sæcularis quoque litteraturæ non ignarus, metro excellens et prosa, ingenio subtilis, sermone dissertus, et super omnes sui temporis Episcopos facundus et eloquens, vita et conversatione Deo dignus, atque sanctissimus. Fuit enim timoris Dei instantia præditus, religione devotus, compunctione profusus, incessu gravis, honestate laudabilis, patientia singularis, disserendi ingenio clarus, sapientia summus. Qui, cum adhuc puer esset, divino spiritu attactus, res mundi parentumque affectiones contemnens, Agaliense monasterium

(1) Parentes S. Ildephonsi fuisse Stephanum et Luciam, non audemus affirmare; hæc enim notitia, ut diximus in præfatione ad tom. I. ab auctoribus sæculo XIII. recentioribus manavit. Quod vero S. Præsul Toleti ortus fuerit, hodie magis quam tunc nobis persuasum est.

(2) In parœcia S. Petro dicata, non vero ipsi S. Ildephonso.

(3) Ligneam, non argenteam, egomet vidi: intus autem fortasse erit alia argentea.

Digitized by Google

»rium petiit, monachumque se in »eo multis annis decenter exhi»buit. Cœnobium quoque virgi»num in Deibiensi villula constru»xit, quod de parentum suorum »opibus dotavit. Abbas deinde ef»fectus Agaliensis cœnobii, mo»nachorum mores exercuit, rem »discrevit, vitamque servavit. Prin»cipali post hæc violentia Tole»tum reducitur, atque inibi, post »decessoris sui obitum, Pontifex »subrogatur. Scripsit multa præ»clara opuscula, de quibus refe»runtur subiecta:

De Sancta Trinitate, lib.1.

De imbecillitate propria, lib.1.

De virginitate Sanctæ Mariæ, lib. 1. Domina mea, dominatrix mea.

Annotationes actionis diurnæ, lib. 1.

Annotationum in sacramentis.

De cognitione baptismi, lib.1.

De progressu spiritualis deserti, lib.1.

Hymnorum diversi generis, lib.1.

Sermones varii, lib.1.

Epigrammata multa, lib. 1.

De Missa quoque, lib. 1.

Epistolarum ad diversos, lib.1.

»Cum beatissimus iste Præsul Il»dephonsus librum de virginitate »purissimæ Dei genitricis Mariæ »ad finem usque complesset, cui »omni studio, quo poterat, sem»per devotissime servire solebat, »apparuit ei domina mundi, ipsum »librum habens in manibus, et »gratias agens illi pro tali servitio, »quod sibi gratissimum esse affir»mabat. (1) Ille vero cupiens eam »altius honorare, constituit, ut »celebraretur sollemnitas eius sin»gulis annis octava die ante Nata»lem Domini: quæ sollemnitas »iam obtinuit, ut per universam »fidelium Ecclesiam in honore Pu»rissimæ Conceptionis illius sexto »idus Decembris celebretur. Un»de ei rursum Beata Dei Genitrix »apparens, vestimentum sacerdota»le, quod nos albam vocamus, et »cathedram illi attulit, de quibus »multa miranda et gloriosa nar»rantur.» Hæc ille. Advertendum tamen, quod festum illud, quod octava die ante Natalem Domini celebrari consuevit, non est in honorem Conceptionis Beatæ Mariæ institutum, scilicet cum ipsa concepta est in utero matris suæ; sed in honorem Annuntiationis, videlicet Incarnationis Verbi Divini: quod festum apud nos *de la O* dicitur. Nec bis B. Ildephonso sacrosanctam Virginem Mariam apparuisse, sed semel tantum, legitur: immo neque cathedram attulisse, sed vestem solum; nec albam, sed (2) casulam fuisse, pro certo apud nostrates habetur. Præterea Ecclesia Toletana proprium festum Descensionis gloriosissimæ Virginis Mariæ nono calendas Februarias sub celebritate Pacis celebrat. Cumque D. Ildephonsus

Eee To-

(1) In Concilio Toletano X. cap. 1. statutum est, ut festum Incarnationis Verbi, seu Annuntiationis, ut nos vocamus, celebraretur octava die ante Natalem Domini; quia Patribus Hispanis expediens non videbatur, tempore Quadragesimæ festa celebrare, sed solum de Dominicis et Feriis. Ecclesia tamen Toletana utramque retinet sollemnitatem.

(2) Indumentum quoddam sacerdotale, sive casulam, sive albam, sive alterius formæ; nusquam enim vidimus: et Beata Virgo dixit S. Ildephonso: "Accipe »munusculum de thesauris Filii mei."

Digitized by Google

Toletanam Ecclesiam novem annos, et duos menses prudentissime, religiosissimeque gubernasset, regni Reccesvindi Regis duodevigesimo anno naturæ concessit X. calendas Februarii, et iuxta sepulcrum Leocadiæ virginis et martyris sepulturæ corpus eius mandatum. Ad cuius postea tumulum multa miracula claruerunt, anima eius beatissima divina visione fruente, ubi cum Christo regnat in sæcula. Eadem ferme volumina, quæ à præcitato auctore relata sunt, habentur in octavis D. Ildephonsi, quæ ne fastidium ingererem, repetere nolui. Exigentibus autem hominum peccatis, cum Hispania ferme universa ab Arabibus subacta esset, et magna pars ferro atque igne populata, Astures dumtaxat, Pyrenæi montis inaccessibilia quædam loca incolentes, Christi nomen atque religionem servaverunt. Ad hos ergo victi, quibus mens læva non fuit, de singulis partibus confluxere. Quorum plerique reliquias, et sacratissima quæque ex propriis Ecclesiis in ea loca deportarunt: inter quæ Christiani cum multis reliquiis, quibus Toletana civitas locupletissima erat, vestem illam sacratissimam, qua Dei Mater B. Ildephonsum decoraverat, in urbem Ovetum, Asturiarum caput, detulerunt. Ferebatur et illuc corpus beatissimi Ildephonsi, sed forte apud Zamoram deportatores præpediti, in Ecclesia S. Petri loco abditissimo illud reposuerunt. Crescente vero in dies clade, etiam Zamora barbaris cessit. Quocirca sublata est hominibus illis rursum resumendi copia sequestratum pignus. Transierunt autem post hæc tempora multa, et quoniam frequentari deinceps à fidelibus non potuit, res excidit memoria. Postquam, Deo miserante, opera piorum Regum Castellæ Christo regnum paulatim restitui cœpit, Zamora quoque in Christianorum ditionem rediit. Pastor ex Toletanis oris in eam urbem cum venisset, pauper habitu, sed dives sanctitate; ingressus templum B. Petri, oratione facta, cœpit singula circumlustrare, curiosius inspicere: quem furtum æditus moliri arbitrantibus, dixit se non esse furem, nec aliquid mali facturum venisse; sed velle habere copiam alicuius Sacerdotis, atque Deum timentis, cui grande secretum manifestaturus erat. His auditis, ductus est ad quemdam Didacum, Sacerdotem gravissimum, coram quo genibus provolutus, cœpit, quasi peccata sua confitens, huiuscemodi visionem enarrare: "Pater mi, »vidi, inquam, raptus in spiritu »in patria mea, Pontificem quem»dam, vultu decorum, incessu »gravem, et omni corporis ornatu »gloriosum, qui sua admodum »melliflua voce me allocutus, ait: »Ego sum Ildephonsus, quondam »Toletanæ urbis Antistes, veni, »sequere me: quem secutus, visus »sum in hanc urbem pervenisse, »et in hac Ecclesiam intrare; ubi »quum essemus, Hic, inquit, et »designavit digito locum, hic cor»pus meum absque honore iacet. »Animadverte fili, ne in manife»standa virtute Dei ulla te igna»via teneat, Dei enim verbum »est, quod non tam ex me, quam »ipso iubente impero: quibus di»ctis

»ctis evanuit. Ipse ad me rever»sus, domo et familia relicta, in »hanc urbem et Ecclesiam venio, »quibus omnia signa, quæ in spi»ritu cognovi, inesse video. Ha»bes iam, pater optime, causam »mei adventus." Didacus autem ille, ut erat gravis, et timoratus vir, Ecclesiæ Capitulum cum nonnullis laicis prudentibus congregavit, rectaque ibidem agitata omnium sententia fuit, ad unius peregrini, atque hominis ignoti dictum nihil esse tentandum. Exiit nihilominus sermo in aures hominum, et si creditum à multis fuit, nullum tamen periculum factum est. Regnante autem postea Ildephonso, huius nominis octavo Rege Hispaniæ, quum Assuerus Ecclesiæ Zamoranæ Præsul illam Beati Petri ædem ampliare vellet, et pro iaciendis columnarum fundamentis, terra altius foderetur; forte in loco, quem pastor designaverat, sarcophagum ostenditur marmore opertum, quod incautis ictibus fossores confregerunt. Erant in illo reliquiæ humani corporis suavissimum quemdam, supra quam dici potest, spirantes odorem, quo tota terra adiacens videbatur perfusa: tunc vero quæ à pastore relata fuerant, in memoriam venerunt. Erat etiam super marmore epitaphium insculptum; sed quia fossorum inadvertentia comminutum est, coadunatis quidem partibus, quantum humano ingenio, atque labore fieri potuit, hoc tantum lectum est: *Patris Illefonsi Archipræsulis Toletani.* Roborata est denique fides maxime ex miraculis, quæ, Sancto Confessore invocato, facta sunt. Episcopus cum clero, atque universa civitas gaudentes, et exultantes, Zamora tanto munere ditata, iuxta altare B. Petri in eadem Ecclesia illud condiderunt, ubi innumerata miracula quotidie fiunt: quæ omnia frater Ioannes Ægidius Zamoranus ordinis Minorum, vir apprime eruditus, usque ad sua tempora quam diligentissime descripsit. Quum hoc sacratissimum corpus multis annis in loco abditissimo repositum esset, paucis sub sacramento astrictis illud dumtaxat scientibus, anno Domini millesimo quadringentesimo in hoc inventionis die ex eo loco eductum, supra altare ipsius maximum ponitur, cunctisque ostensum est, ubi miracula multa denuo visa sunt: muti loquebantur, varii infirmi curabantur: frequentes turbæ undique ad has sanctas reliquias venerandas confluxerunt. Tandem post dies octo in Sacello, quod est supra ipsum altare, intra capsam magnam argenteam deauratam inclusum, honorifice ponitur, ubi à cunctis cernitur. Hæc habentur in historia, quæ legitur de corporis B. Ildephonsi revelatione in Ecclesia Zamorensi.

CAP. XV.
De Beato Iuliano.

Divus deinde Iulianus huius Ecclesiæ Archiepiscopus, qui tertius à B. Ildephonso in Ecclesia Toletana successit, productus, ut Rodericus lib. 3, cap. 12, ait, ex traduce Iudæorum ut flores rosarum inter spinarum vepres, omnibus mundi partibus ob Christi do-

doctrinam innotuit. Qui etiam à parentibus Christianis progenitus, splendide in omni prudentia Toleti manebat edoctus, ubi et postmodum Episcopatu extitit decoratus. Et rursus idem D. Rodericus, eiusdem lib. cap. 13, de Concilio XV. Toletano loquens, de S. Iuliano mentionem facit. "Eius »(inquit) in tempore librum de »[1] tribus substantiis, quem dudum Romam miserat Primas »sanctissimus Iulianus, et minus »caute tractando, Benedictus Papa »indixerat reprobandum ob id, »quod voluntas genuit voluntatem, S. Iulianus veridicis testimoniis in hoc Concilio, ad exactionem Ægicæ Regis, per oracula eorum, quæ Romam transmiserat, verum esse firmavit, et »apologeticum fecit; et Romam »misit per suos legatos, presbyterum, diaconum, et subdiaconum, viros eruditissimos, et in »omnibus Dei servos, et divinis »Scripturis imbutos, cum versibus etiam acclamatoriis, secundum quod et olim transmiserat »de laude Romani Imperatoris. »Quod Roma digne, et pie recipiens, cunctis legendum indixit, atque Imperator acclamando, *Laus tua Deus in fines »terræ*, lectum sæpius notum fecit, qui et rescriptum domino »Iuliano per supradictos legatos »cum gratiarum actione, et cum »honore remisit, et omnia quæcumque scripsit, iusta et pia esse »asseruit." Eius etiam meminit Magister sententiarum lib. 4, distinct. 44. Illius extat liber inscriptus *prognosticon futuri sæculi*, tres continens tractatus: primus quidem agit de morte, et transitu ex hoc sæculo; alter vero de receptaculis animarum post mortem: ultimus autem de resurrectione Sanctorum, et extremo iudicio. Scripsit et alios libros *de sancta virginitate*, *de vitiis et virtutibus*, *de natura animæ*, *de contemptu mundi*, *epistolarum* item volumen *ad diversos*; ut refert Ioannes Tritemius in catalogo ecclesiasticorum scriptorum. Fuit B. Iulianus sacris litteris abunde eruditus: claruit sub Heraclio Imperatore, non sub Marciano, ut Tritemius scribit.

CAP. XVI.
De Beato Petro, Archidiacono Toletano.

[2] Petrus Oxomensis Ildephonsi sexti Regis tempore sub Bernardo

(1) De Iuliani doctrina trium substantiarum in Christo Domino, et aliis de rebus ad eumdem S. Episcopum spectantibus, verba fecimus in notis ad eius vitam in tom. II. Videnda vero sunt, quæ Petavius insignis Theologus lib. 6. de Trinitate cap. 10. opportune affert.

(2) Petrus natione Gallus, Bituricensis, monachus ordinis S. Benedicti, una cum aliis præstantissimis viris eiusdem ordinis è Gallia adductus est à D. Bernardo Archiepiscopo Toletano eiusdem instituti, et nationis, qui priusquam ad Archiepiscopatum Toletanum fuisset evectus, Abbatiam S. Facundi in Regno Legionis regebat; cum enim clarissimus hic vir, scientia et virtute præditus, à Rege Alfonso IV. Præsul Toletanus nominatus, videret Hispaniam ab Arabibus depopulatam, clericosque ritus Muzarabici, qui sub illorum ditione degebant, plerumque ignaros, et inhabiles esse; ad restituendum antiquum Ecclesiæ Toletanæ, et ceterarum Cathedralium splendorem, Regi Alfonso consilium dedit, ut è Galliis viri doctissimi Ordinis S. Benedicti evocarentur ad cultum divinum Toleti peragendum, et ut ex eis eligerentur Præsules ad

Digitized by Google

do Præsule Ecclesiæ Toletanæ Archidiaconatum obtinuit. Qui postea creatus Oxomæ Antistes, eius Ecclesiam, quæ per Sarracenos iam diu populata, proiectaque iacebat, à fundamentis construxit. Atque humilitatis suffultus prærogativa, hominum mores reformavit, animarumque lucra ingenti cura quæsivit: qui ab Ecclesia Toletana non parva veneratione colitur. O felix Carpetania, tantis tamque illustribus decorata patronis! felicior Toletana civitas, quæ tam egregios viros alere meruit! felicissima Ecclesia, Christi Matris ac tantorum Heroum sedes et habitaculum, quasique terreus quidam paradisus!

CAP. XVII.

De ornatu ac venustate altaris chorique maioris.

Iam altare ipsum, in quo unigenitus Dei Filius æterno Patri pro salute humani generis quotidie victimatur, perquam sublime, multoque aliis quotquot alibi sunt (quod sciam) excellentius, è iaspide constructum, stemmatibus enim nostræ redemptionis insignitum, ornatur longo ordine imaginum adeo nativos vultus exprimentium, ut eis præter spiraculum vitæ nihil deesse videatur. Sursum vero medium tenet locum effigies gloriosæ Virginis, argentea veste amicta, quam plurimorum imagines Sanctorum circunstant: quorum nomina singulatim referre supervacuum duxi. Hoc tamen non omittam, adeo ad vivum effictas esse, ut à Phidia elaboratas antiquus censor esse contenderet, id quod nunc antiquarius facile iudicabit. Celeberrimi itaque huius operis perfectionem, cum ad unguem exprimere nequeam (quæ eius est amplitudo singularis), exemplo Timantis, ut ille Agamemnonis vultum, ego has effigies silentii velo contegam. Dextra lævaque vetustiorum Regum deaurata monumenta altare circumdant. Dextram occupant partem Imperator Aldefonsus VII, necnon Sanctius Rex eius filius, cognomento Desideratus. Sinistram vero Sanctius Rex, cognomento Ferox, et Petrus Infans filius Aldefonsi Regis, qui dicitur Guadalfaiaræ accipitris vulnere occisus. Quæ quidem monumenta singulis Dominicis diebus, antea quam populus, qui de more congregatur, aquis lustralibus expietur, à Sacerdote, ei rei præfecto, aquis eisdem prius asperguntur: satis digna, et religiosa memoria; æquum est enim, ut defunctorum manes, et reliquiæ, sed præsertim Regum, et Principum, quovis honore et pietate condecorentur. Verum propter dignitatem, debitamque huic altari reverentiam, nemini ibidem sacrificia offerre conceditur, præterquam Prælatis, aut, dum ipsi non celebrant, Canonicis Toletanis. Ad hanc aram non cuivis patet accessus, sed tantum ministris altaris, ut in cap. 1. de vita et

ad regendas alias Ecclesias: quod ita accidit. Nam Petrus, Archidiaconus Toletanus, fuit ad Ecclesiam Oxomensem Episcopus electus: S. Giraldus ad Ecclesiam Bracarensem: Bernardus ad Ecclesiam Seguntinam: alii ad alias Ecclesias; ita ut statim ac expugnabantur urbes ab Alfonso VI. illico Præsules præficiebantur.

Digitized by Google

et honestate clericorum: ideoque deauratis clauditur brevibus cancellis apprime è ferro factis, sexto gradu à sacro altari, et quarto à pavimento iaspideo distantibus, quo viri ad divina solent convenire: eosque à feminis separant ingentes, mirumque in modum editiores clathri, super quos Christi Redemptoris nostri in Crucis ligno pendentis imposita est imago. De quorum artificio, et operosis cælaturis, simul et de his quibus chorus beneficiariorum clauditur, paulo post privatim dicetur. Duo suggesta utrimque cancellis adhærent, suffulta validis columnis è iaspide variegatis. Quo etiam iaspideo lapide, candido marmore variante, omnes dicti gradus simul cum pavimento sunt strati. Huius sacri altaris absides ac testudo auro linitæ præfulgent. Lampas argentea magni ponderis, in medio pendens, perpetuam flammam observat. Quæ suffecta fuit loco alterius amplissimæ, quam Rex ille Aragonum Ferdinandus, tritavus tuus, post expugnationem urbis, quæ vocatur *Antequera*, antequam ad regnum Aragonum capessendum proficisceretur, D. Ioanne fratris filio in regna Castellæ et Legionis collocato, Ecclesiæ donavit. Quæ postea bellis illis civilibus (quæ vulgo *Comunidades*) sub initium imperii invictissimi Cæsaris nostri Caroli V. subortis, pecuniæ usibus subservivit. Lampadi huius chori olim quidam nobiles genere, sed fide et religione nobiliores, cupientes terrena in cœlestia, et transitoria in æterna, felici commercio commutare, tria oppida reliquerunt: duo in Episcopatu Secontino, Utrilla et Almalues, tertiumque in Episcopatu Palentino, Villumbrales nuncupata. Quæ oppida nostro Hispano sermone *de la lámpara de Santa María de Toledo* dicuntur. Sinistrum huius chori latus cancellis ferreis occlusum est, lapideis columnis iniectis: dextrum vero duabus, eisdemque humilibus, patet ianuis, quarum medio superne iacet Petrus ille Gundisalvus Mendozius Cardinalis Hispaniæ tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, Patriarcha Alexandrinus, Archiepiscopus Toletanus, Episcopus Secontinus, Abbas Pintianus, qui et Vallisoletanus dicitur, in eodem dextro chori pariete marmoreo conditus sepulcro, cuius hoc est epitaphium:

Cardineo quondam Petrus lustratus honore
Dormit in hoc saxo, nomine qui vigilat.
Obiit autem anno salutis 1495, tertio idus Ianuarii.

Et quamvis magnificus sumptus sepulturæ magis sit solatium vivorum, quam defunctorum subsidium, ut inquit Gregorius in cap. animæ defunctorum 13, q.2, iure tamen conceditur Prælatis pro magnificandis propriis sepulturis, centessimam partem census Ecclesiæ, cui præfuerunt, elargiri, ut in cap. ad apostolicæ de donationibus. Mirum profecto videretur virum hunc, quantumvis illustrem, tam honorifico et sublimi loco prope Regum monumenta sepeliri, nisi adeo

Digitized by Google

adeo de hac Ecclesia, universaque Republica Christiana benemeritus, admodumque Catholicis Regibus dilectus fuisset. Qualis vita huius amplissimi Præsulis fuerit, morte mirabili et placida comprobatum est. Die enim obitus supra eius palatium in urbe Guadalfaiara crux alba longior quadraginta cubitis, aere pendens, vidente populo, apparuit. Quod miraculum ipsi Cardinali, iam iam ab hac luce migraturo, cum renunciaretur, iussit continuo Missam de Cruce coram se celebrari. Qua audita, animam Creatori suo tradidit. Nec mirum huius illustrissimi viri vitam tam insigni finiri miraculo, qui, cum in humanis ageret, pro Crucis honore et devotione multa insignia et præclara gessit opera: hospitale enim in hac inclita urbe Sanctæ Cruci dicatum post obitum suum construendum mandavit: construxit etiam collegium Vallisoleti eiusdem et dedicationis et nominis: refecit præterea Basilicam Urbis tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem; et in quadam eius abside loco abditissimo titulus superscriptionis salutiferæ Crucis, in qua Christus Servator noster pro humana salute pependit, litteris Græcis, Latinis, et Hebraicis Pilati iussu et imperio scriptus, repertus fuit, qui magna veneratione, et custodia in eadem asservatur Ecclesia. Titulus etiam cardinalitii honoris, quo extitit condecoratus, fuit Sanctæ Crucis in Hierusalem. Obiit tandem hic Præsul immortalis memoriæ Cardinalis ex illustri Mendoziorum familia die veneris, qui etiam Cruci dedicatur; cui viro, cum semper ipse fuisset summo studio et religione pretiosæ Crucis cultor, et venerator, in extremo vitæ Deus Maximus, remunerator optimus, arrham adipiscendæ gloriæ Crucis miraculo (ut diximus) tradidit. Munitur exterius huius Basilicæ altaris ambitus albo lapide effigiatis quamplurimis eiusdem materiæ imaginibus, à Christi videlicet incarnatione usque ad lotionem pedum Apostolorum, Historiam Evangelicam demonstrantibus. Inter quas à tergo (ut sic dixerim) chori media est coronatio gloriosæ Virginis graphice depicta. Chorus hic semotus est sexaginta sex pedum spatio ab extremitate Ecclesiæ orientem versus.

CAP. XVIII.

De choro beneficiatorum.

Chorus deinde alter, quem beneficiatorum possumus appellare, ubi assiduæ horæ canonicæ decantantur, è regione est. Quis autem illius maximam amplitudinem non miretur? Cuius interiorem exterioremque ambitum nec Vitruvius ipse describeret, cum materiam opus superet sumptuosissimum. At ne videar (quod turpe esset) pedem referre, aliquid de huius loci maiestate pro virili subnectere non gravabor. Continet quippe non longe post cancellos, quibus clerus à promiscua turba distinguitur, altare Deiparæ Virgini dedicatum, iuxta quod duo cerea magna funalia officiis divinis præbent lucem perennem. Imminet etiam non longius lampas noctu diuque iugiter ardens. In hoc altari singulis diebus horæ primæ canonicæ Missa subiungitur, quæ vul-

Digitized by Google

vulgo *de Prima* dicitur: demptis tamen sollemnibus, quibus iure prohibitum est, Deo peculiaria sacrificia publice offerre, ne populus ab audienda re divina, festivis diebus præscripta, abstrahatur. Sunt circumcirca bini sedilium ordines, omnibus sane numeris absoluti. Communis omnibus materia est ex aridissima nuce. Sublimiores vero sedes fulva è iaspide distinctæ sunt columnellis: patrum veteris testamenti effigies ex alabastro candidissimo, genealogiam videlicet Christi secundum carnem exprimentes, adamussim sculptas superne continent. Singuli autem (ut sic dixerim) stalli altiores singulas ex eodem limpidissimo alabastro sortiuntur parvas testudines, singulis botris aureis intrinsecus lacunantes. Horum superiorum sedilium extrema quibusdam titulis utrimque clauduntur. Dextrum quidem huiusmodi tenet. *An. Sal. MDXLIII. S. D. N. Paulo III. P. M. Imp. Carolo V. Aug. Rege. ill. Card. Io. Tavera V. Antis. subselliis suprema manus imposita Didaco Lup. Ayala, vica. præf. fabricæ.* Sinistrum vero hunc: *Signa tum marmorea, tum lignea cælavere, hinc Philippus Burgundio, exadversum Berruguetus Hispanus: certarunt tunc artificum ingenia, certabunt semper spectatorum iudicia.* Quoniam tamen alter ex his artificibus Philippus videlicet Burgundio, dum hæc elaborabantur, fatis concessit, fortuna sua nimirum cavente, ne post tam egregium et insigne opus inferius aliquid animo conciperet, Capitulum nostrum benevolentiæ testimonium lapidem marmoreum benemerenti posuit. Is à tergo chori iuxta altare Virgineæ descensionis est epitaphio elegantissimo inscriptus, quod ea de causa apponere placuit, ne sit, quod iure lector desideret. *Philippus Burgundio statuarius, qui, ut manu sanctorum effigies, ita mores animo exprimebat: subselliis chori struendis intentus, opere pene absoluto, immoritur.* Demum parietum fastigia versicolore iaspide teguntur, ad quæ per latitudinem ipsorum parietum à lateribus est ascensus duarum se invicem spectantium ianuarum, quæ tamen sedilium ordinem non interrumpunt. Inferior vero subselliorum series bellum Granatense cælaturis sane nativis refert. Media est, ceterisque omnibus excelsior, cathedra pontificalis auratis suffulta columnis: quam augustiorem reddit imago Salvatoris nostri, in monte Tabor se transfigurantis, ex alabastro nitidissimo, niveque candidiore, summa arte fabrefacta. Adstant ibidem Moyses et Helias quasi cum eo loquentes, atque Apostoli Petrus, Ioannes, et Iacobus præ nimio inopinatoque splendore, voceque è cœlo repente delapsa, stupefacti ac paventes. Ornata est etiam hæc sedes introrsus signo ex eodem alabastro Almæ Virginis, B. Ildephonsum cœlesti chlamyde induentis, idque circulari limbo deaurato ipsam imaginem ambiente. Ad eam vero sedem privatis gradibus fit ascensus, quibus nemini licet scandere, præterquam Archiepiscopo, et Decano, necnon Toletano Archidiacono. Dignus pro-

Digitized by Google

profecto locus, in quo Archipræsul, Hispaniarum Primas, utrimque dignitatum antesignanorum, canonicorum, portionariorum, aliorumque beneficiatorum magna caterva circunseptus, sublimior cunctis, medius præsidet, ut iure cautum est in cap. Episcopus el. 2, dist. 95. Ad cuius dexteram primum tenet locum Archidiaconus Toletanus, quem iura canonica Episcopi oculum appellant, præcipue textus in cap. ad hæc, de officio Archidiaconi. Secundum vero Archidiaconus Talabricensis, tertium Cantor sive Præcentor, ut cap. cleros circa finem, 21 dist. quem mesochorum, seu capischolium, vel primicerium appellant, cap. perlectis, §. ad primicerium, dist. 25. Thesaurarius, sacri ærarii claviger, quartum, Archidiaconus Oretanus, sive Calatravensis, quintum, Abbas Sanctæ Leocadiæ sextum, Vicarius civitatis septimum. Ad sinistram vero primus sedet Decanus, qui in absentia Prælati tam in choro quam in capitulari congregatione præsidet omnibus: secundus deinde sedet Archidiaconus, quem Mantuanum, aut Madridium appellant, tertius Scholasticus Toletanus scholarum præfectus, quartus Archidiaconus Guadalaiarius, quintus Archidiaconus Alcaracensis, sextus Abbas Sancti Vincentii: septimus denique sedet sacellanorum (quem vulgus Capellanum maiorem appellat) præpositus. Sequuntur deinde canonici quadraginta numero, ordine, prout quisque in præbenda obtinenda præcessit, in altioribus subselliis consedentes. Ad quæ binis utrimque scalis conscenditur: illis quidem quæ penitius ab aditu recedunt, antiquiores canonici gradiuntur; his vero, quæ magis ad aditum appropinquant, iuniores recentioresque canonici; omnesque item portionarii numero quinquaginta conscendunt. Viginti præterea canonici, qui extravagantes cognominantur, et quadraginta septem capellani inferiores sedes occupant. Sunt etiam quattuor lectores (de quorum officio, cap. lector. 23 dist.) et acolitus unus mancipatus ad accendendos Ecclesiæ cereos, ut in cap. acolitus, eadem dist. alius itidem, qui curam habet aperiendi claudendique libros, quibus in choro cantatur. Quadraginta etiam clericuli stipendiarii, quos dicunt sacrificulos: ex quibus sunt sex electi ad musicam, qui nomen à numero sortientes, Seises appellantur; ultra quos multi alii deserviunt gratis, ut ritum ecclesiasticum doceantur: qui tamen in emigrantium locum aut alio digredientium ordine antiquitatis sufficiuntur. Clericelli autem à choro discedentes, eiusdem antiquitatis iure, Capituli approbatione in collegium Sanctæ Catharinæ cooptantur, grammaticis rudimentis instituendi, ceterisque omnibus, quæ ad latini sermonis, et liberalium doctrinarum cognitionem necessaria sunt. Liberum est tamen eiusdem collegii patrono in quibusdam certis, quem libuerit, citra ullum antiquitatis ius in deficientis locum subrogare. Huius vero collegii erectio (quod non mediocre ornamentum urbi huic Toletanæ attulit) opus est Francisci Alvarez Zapata Scholastici Toletani, canonici, et apostolici

Digitized by Google

protonotarii, viri et prudentia, et morum honestate, et splendore litterarum clari: de cuius virtutibus et gestis si in præsentia esset agendum, integrum aliquod volumen exararetur, neque obiter aut perfunctorie tractandum esset; sed præstent illi hoc officium collegii eius incolæ, quibus et otium et facultas maior suppetit: nec patiantur viri dignissimi, et de eis ac urbe nostra tam multipliciter benemeriti, memoriam in tenebris delitescere. Sed iam ad rem. Super utrumque huius chori latus flactilis musicæ organa et instrumenta quædam musicæ (quæ choros vocant) collocantur. In dextro latere chori statua armata Didaci Lupi de Haro domini Vasconum, antonomastice inter Proceres Castellæ Boni nuncupati, flexis genibus Deum videtur orare, qui inter alia elargitus est cereum diu noctuque, dum horæ canonicæ dicuntur, ardentem. Est præterea in medio chori erecta magna quædam æneæ aquilæ effigies, alis expansis librorum pluteum dorso efficiens, sustinensque librum, in quo orationes, prophetias, lectionesque Sacerdotes et ministri concinunt, ad quam quinque gradibus ligneis ascendunt. (1) Huic adiacent ex utroque latere aliquantulum semotæ binæ aquilæ ligneæ, duo plutea facientes; quæ singulis chori partibus præstant, ut psallentium magna volumina teneant. Totus hic chorus extrinsecus superne historiis à mundi primordio usque ad legis dationem Moysi gesta referentibus undique cingitur, auratisque hinc inde distinctus lineis, longe nitet. Eius vero pavimentum marmore cooperitur, distatque à tribus portis occidentalibus centum triginta pedes, à choro vero altaris maioris quadraginta duos. Quod intervallum, albo nigroque lapide quadrato in modum tabulæ latruncularíæ stratum, femineus sexus, ut horis divinis assisteret, sibi vendicavit; ubi septem lampades semper ardent.

CAP. XIX.

Descriptio clathri, qui est ante chorum Eucharistiæ.

Quoniam oportet promittentem memorem esse, ante quam ab hoc loco discedamus, utriusque chori clathri nobis describendi sunt. Cum enim ex prisca materia et opificio rudes olim, et squalore rubigineque obsiti haberentur, placuit hoc ipso tempore Ecclesiæ nostræ Præsuli et proceribus in meliorem faciem mutare, qualis à me primitus nunc exprimetur. Ubi si operis difficultate victus fuero, nemini mirum videri debet; res est enim laboris plena, et quæ virum in architectura peritissimum requirit. In porticu ergo sive ambulatione maxima huius sanctæ Ecclesiæ clathrus est, qui augustissimum Sacellum à quadrivalli structura, seu quadrivio cameratorum, arcuatorumque porticuum dividit. Ferro mixturaque cupri et orichalci constant cancel-

(1) In locum horum pluteorum ligneorum alia ærea deaurata, laminis æreis deauratis, et stamneis columnis imposita, suffectaque fuere.

Digitized by Google

celli, metallis miranda inter se statutis impagine. Qui eo quod impendio, atque eleganti specie non cedant alicui operi, atque fere omnium opinione sint opus optime diffinitum, rectissimeque absolutum omnium (si des paria) in Christi urbibus erectorum, non abs re duxi, singulatim de eorum ordinatione agere: Clatrhus ergo (altissime Princeps) à pavimento quadrivallis structuræ attollitur podio ex variegata iaspide, dodrantis altitudine, quod socco totius operis pro stereobata est. Huius socci extrema, transversaque, de prædicta sunt iaspide; media de marmore albo, ad rationem doricam omnia perfecta, si altitudinem, latitudinem, sive longitudinem spectes. Ecphoras habet et proiecturas soccus ad omnia membra ex se producenda, quibus ex hac et illa ostii parte, quod in medio ad usum Sacelli relinquitur, bina et semis redduntur intercolumnia; quod si id, quod portæ spatio conficitur, numeres, erunt universa sex. Huius (quod appellamus transtrum) dispositio sic habet. Imo huius socci (ut discernantur intercolumnia) exprimuntur stylobatæ atticurgi sex iaspei, sesquipedali altitudine, crassitudineque debita. Procurrit super summos cymatium proiecturis item expressum. Media inter iaspidis tænias (ut dixi) marmorea sunt, cælata, munitaque orichalco igne inaurato. Signa in marmore cuprea aliquantulum quidem crassiora sunt, ut genus exigit doricum; ornatus tamen crassitudinem occulit. Illud de cælatura: tali tamquam simplici distributione obtegi omnia, ut ex unica et continua materia universa deducta videri possint. Ad libramentum sex stylobatarum (quos in transtro locavimus) consurgunt columnæ sex ferreæ, necnon et orichalceæ, doricæ identidem, et aliquantulum ad compositum genus accedentes, quadratæ hæ, ac unaquæque tetrantorum facies anconibus et scalpturis ad atticurges Vitruvii declinat. Quarum nec universarum, neque singulorum tetrantium opus perstringere animus est, ne nimis longo sermone pariam tuæ celsitudini fastidium. Unum hoc: argentum subtilius signatum numquam, quam nostræ sunt atticurgæ. Accipiunt vice capitulorum, vel deducuntur hæ sex columnæ ad sex humanas statuas, nomine terminos: orichalcei hi, femoribus tenus facti, ut quondam in desertorum vel montuosorum triviis locabatur in pila Mercurius: iusta pæne sunt crassitudine, altitudine quattuor pedum et semis, integri sine iuncturis, cavi, semel fusi. Hos maximi faciunt architecti, quod adeo absolutis vultibus sint, brachiis, renudatisque membris (dicam?) ac natura rerum effinxisset. Columnæ totæ undenos singulæ altæ pedes sunt, quibus imponitur ionici capituli cymatium, quod sequuntur epistylium, zophorus, corona, quæ membra examussatim perfici non potuere ad exactionem doricam; quia si rata altitudine, prout columnæ, constituerentur, prospectum omnem cathedræ Archipræsulis et canonicorum subselliis obtexissent. Universæ partes prædictæ altæ sunt pedem. Cælatus interiacet zopho-

rus opere cryptico, vel in tumulorum fornicibus adinvento, (quod Vitruvius lib. 7, cap. 5, appellat monstra) tenui scalptura; admixta et humana vultuum signa modica, crassa cælatura. Expurgatur architectonici moduli transgressio elegantia, decoro, ac singulorum cura, et subtilitate. Terminorum intercolumnia clathrant incerti sive novæ excogitationis stili, balastia à media similitudine appellati, ea arte conditis, dispositisque spiris, limbis, ac armillis, vel annulis, reliquoque ornatu, ut lucem adeo transmittant æquabilem et imperturbatam, æquisque mediis perviam: huius ut scalptura alterius signis nil obstet, omnia in ferro excavata, sublataque cœlo in ferro solido. Orbiti sunt stili, sicque recti, ut permultorum sit opinio ad tornum æquati. Ad perpendiculum terminorum totidem consurgunt operosiora balastia: quorum nulla non pars nobilitatur scalptura sumptuosa, exactissima, subindeque æstimanda: septenos pedes alta, rataque crassitudine: compositum genus, ut quibus doricis basibus capitula superponantur corinthia. Clathrantur et hæc media novis columnis, ut inferiora: idem construunt opus ac inferni stili, quoad claritudinem transmittendam intelligo; structura enim corinthii sunt, atque compositi generis, mira venustate illo huic ingesto. Iam nunc augustioribus hisce columnis, et incertis stilis succedit epistylium, zophorus, ac corona eorumdem generum: universa trium pedum insumunt altitudinem. Epistylium corinthium tantummodo est, tam rectum, tamque adamussim, ac si constaret materie. Zophorus vero in cavis elaboratur fornicibus in rotunda forma: perficitur opere cryptico, frondibusque et cauliculis aptissime dispositis. Cavis etiam fornicum præfulgent miro ordine humanorum vultuum effigies, prominentibus capitibus, proiecta scalptura: vultus veris simillimi, pari cum repræsentatis magnitudine. Ipsa cava floribus itidem implentur tornatilibus, pedali circiter proiectura, qui sic zophorum superbo crepantique opere attollunt, ut maxime deceat; quóque venustetur ecphora, conflato ære monstra adhibentur convoluta, dispansas alas tendentia. Succedit corona, cuius omnia membra consentiunt, committuntur, correspondent, serieque dispositissima locantur: ovatu in solido ferro tumenti, aliisque cælaturis subtilibus, ac (si materiam respicis) magnificentissimis, decoratur huius proiectura sesquipes. Epistylium cum hac corona ferrea sunt, zophorus æreus, auro lita universa. Huic demum coronæ coronis innititur, quæ universæ structuræ coronidem apponit: media (qua parte ianuæ clathri dirigitur) quattuordecim pedes alta est: contrahuntur latera iuxta architectonicam rationem. Huius laboris summi complementi, finitionis, sive apicis, medium obtinent imperatoria insignia omnibus particulis, vel stemmatis indiciis expressa. A quorum lateribus, sive intervallorum impletione, nobiles adstant cælaturæ cryptico opere. Hinc inde Archipræsulis symbola. Haud longo distant spatio insignia

Ec-

Ecclesiæ cum adiunctis, tam egregiis, tamque divite opere, ut Templo claritatem possent dare vel singula. Medium acroterium est simulacrum Iesu Christi crucifixi, cuius imagini tota civitas religiosissime devovetur : antiquissima effigies : magni est artificibus perpendentibus, quando excusa : humanam staturam ulna superat. Cum ergo sit aliquanto maior statua, subindeque ponderosa ; nam cruci ferreæ adhæret identidem æqua magnitudine ; tanto appendet artificio, ut aerem pro basi premere dicas : ab ima corona ad summum crucis unius et triginta pedum est altitudo. Claudamus postremo inexhausti laboris opus ianua viginti unius pedum altitudinis, undecimque apertionis, vel intervalli : duabus dimidiis valvis intro impulsis patescit, (meo iudicio) mobilibus, quod moles ferrea tantæ magnitudinis non potest non et magni ponderis esse ; hæ autem versantur facillime. Imæ valvæ loco socculi iaspei, marmorei, æreique (de quo inter prima meminimus), ferreis tabulis pro intercolumniorum clausura facta duo cælata habent, quorum alterum puerorum prœlium equestre est, alterum antiquum sacrificium : singulæ tabulæ singulis valvarum subsunt. A factorum lateribus quadræ patent, cum effictis leonum æreis capitibus, relatorum magnitudine, quæ annulos mordicus tenent : forium unaquæque binis ornatur prædictis simulacris : media extat lamina cum facti cælatura. Magnificentissimum opus, nec nisi duobus integris absolutum lustris, magno artificum numero sine intermissione operante, aurata omnia, ac verius aurea, ut eruditorum iudicio requiri ultra nil possit.

CAP. XX.

Descriptio clathri pro choro beneficiariorum.

Cancelli chori huius symmetriatè, magnificenter, examussimque elaborati sunt : quorum hæc membra. Podium iaspeum, tessellatimque marmoreum, duobus nos invehit gradibus commodis ad introeundum : his inest ferreus soccus solidus, excusus, unde totus consurgit clathrus. Socco innituntur septem stylobatæ, æquis discreti intervallis, qui quidem et quadrati sunt, scalpturisque perfectissimis in quavis tetragoni parte conspicui ; nec desunt scamilli, gulæ, et cymatia. Ab stylobatis vero coniunctis hinc inde pilis, sive lapideis columnis, quibus ferrum connectitur, ad stylobatas contiguos aditibus (duobus enim immittimur) tredecim sunt striati stili incerti, sive novi generis, vel excogitationis, (quos balastia nuncupant) hac arte perfecti : basibus decorantur, orbiculis, globisque in modum pensi, necnon et condylis (seu mavis annulis) cum coronatis capitulis. Sequuntur fores, quarum singulæ denis præsigniuntur incertis stilis, eiusdem cum prædictis formæ. Intra forium spatium stylobatæ sunt tres : duo reddentes intervalla, vel intercolumnia, decem paribus stilis clathrata. Succedit præcinctio toris balleisque deformata, quæ summa stylobatarum, ac incertorum stilo-

lorum ambiens procurrit. Universa autem, quæ huc usque sumus executi, à socco ad præcinctionem, appellant nostrates architecti transtrum. Iam huic ferreæ tabulæ, seu dislocatæ coronæ ad stylobatarum libellam septem incumbunt augustiores columnæ mixtæ, quæ ad ipsum provehuntur epistylium, variis conspicuæ ac exactissimis schematibus; columnæ singulæ è modo relatis septem bases habent ac orbes: mediæ in formam crateris novæ excogitationis eximiæ, et ipse magnificentissimis excusionibus in ferro haud cavo. Carchesium nimirum cum fundo et operculo, cælaturis, scalpturis, et coronis extat advertendum, cui super est pensum ferreum late patentibus, apteque intortis foliis pansum, striatumque ad imum capitulum: ornatur et annulis, supraque capitulo corinthio. His septem columnis interiacent totidem maiores incerti stili, ac in transtro. Inter stylobatas etiam intervalla clauduntur novis columnellis; ut enim supra singulos stylobatas eminent columnæ singulæ; eodem pacto, novi generis stilis singulis parvis singuli imponuntur magni stili, qui ipsis fulciantur. Ipsi sane basibus constant, ac armillis, mediisque crateribus parvis, Romana arte statutis, quos alteri consequuntur orbiculi, postremo capitula. His maioribus stilis insidet suis fasciis expressum epistylium. Suprà zophorum incertis stilis, ac scalptis signis, et vultibus utraque facie perfectis, videre est. Singulorum vultuum, et stilorum numerus duodetriginta alternatim partitus. Eiusdem operis balastia, ac quibus absolutum est transtrum. Collucent inter hæc signa ac stilos sex veterum effigies, nomine termini. Medius zophorus insignia continet Præfecti operum Ecclesiæ. Latera eiusdem duabus admonere videntur litteraturis: externos, *Procul este profani*: internos, *Psalle, sile.* Insequitur corona proiecturis figurata, quæ ambas, quas prædiximus, lapideas columnas tangit, supra quam totius operis est coronis, hoc est, candelabra decem iuxta artem Romanam exactissima, inter quæ et sunt crypticæ effigies eadem arte. Quattuor ex his candelabris præsigniuntur litteraturis Davidica sententia: *Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi.* Ubi et medius est circulus continens Præsulis insignia, foliis ac volutis utrimque venustatus, necnon arietum effictis capitibus, frondibusque, et cauliculis, spatia ad candelabra quam commodissime adimplentibus. Iam iam præscripto circulo imponitur corona, supra quam ferreæ sirenes; age vero et altera parva corona, ubi et hemicyclus pro acroterii basi. Quæ omnia aurata, vel potius aurea, et argento tecta, deducuntur ad simulacrum D. Michaelis crucem tenentis, qui totius antipagmenti apex est.

CAP. XXI.

De pavimento et apsidibus Ecclesiæ, eiusque vitreis fenestris.

Stratum est pavimentum totius Ecclesiæ, præter id, quod de utriusque chori lithostroto diximus, alba nigraque petra quadrata, valde

de polita, accuratiusque disposita, nisi quod passim, propter defunctorum sepulcra inordinate posita, serie miscellanea deturbatur. Parietes albo lapide sunt muniti, habentes circa summum concavum quamplurimas fenestras vitreas, perlucentes, variis delineatas Sanctorum imaginibus, numero septingentas quinquaginta, ut Siculus recenset in tractatu de rebus memorabilibus Hispaniæ, cap. de Lusitana provincia; quæ machinam templi sua pulchritudine et claritate magis formosam reddunt. Circa fenestras exterius sunt deambulatoria quædam usibus ædificii deservientia, quibus tota machina lustratur, et reficitur; interius vero quædam et deambulatoria in prima abside semicirculum faciunt, quæ chorum maiorem ferme ambiunt. Ecclesiæ testudines candidæ sunt. Muniunt eas, et ab imbribus aliisque incommodis protegunt tabulata magna (sive contignationes) artificiose composita, fulcris statura hominis altioribus suffulta, tectaque partim tegulis, partim lateribus ac planis lapidibus. Turriculæ lapideæ, in modum pyramidum erectæ, è singulis (inquam) pilis per totum ædificium exeunt, quæ sacram Basilicam extrinsecus pulcherrimam faciunt.

CAP. XXII.

De imagine equestri Stephani Illán in fornice Ecclesiæ depicta.

Cum sanctissimum hoc Templum (cuius fastigia vexillum crucis mirabili quodam modo effigiant) tot Sanctorum imaginibus redundet, ut quasi microcœlum appellari merito possit, eius tamen culmina et apsides nulla ornantur pictura, nulliusque aut Sancti, aut Herois in eis reperitur effigies, præterquam domini Stephani Illán, splendidissimi equitis, qui armatus equo insidens, vexillumque manu tenens, in summis fornicibus trans chorum altaris augustioris est depictus; cuius eximiæ virtuti et strenuitati, præsertim ob defensionem huius imperialis urbis, ob eamque à vectigalium iugo assertam, honos hic, atque alius longe cumulatior debetur. Is enim clarissima stirpe progenitus, à vectigalium iugo servili (ut passim fertur) urbem hanc immunem reddidit. Ex huius stirpe procedere aiunt illustrem prosapiam eorum, qui à Toleto nuncupantur, quorum est in primis Dux Albanus noster, atque alii ex summatibus Hispaniæ. Quorum genus sunt qui referant ad quemdam Constantinopolitani Imperatoris filium, qui in Hispaniam advenerit, unde Stephanus hic originem duxerit. Floruit autem sub Alphonso Rege huius nominis VIII. in cuius testamento Stephanus idem Prætor urbis Toleti nominatur.

CAP. XXIII.

De ostiis huius sacri Templi.

Octo ingentia ostia biforia Templum hoc sacrosanctum aperiunt: duo ad austrum, tria vero ad zephyrum, totidem autem ad boream respicientia. Quibus nomina sunt (ex australibus) in primis porta Lætitiæ: cuius vestibulum mira artificum manu structum, in exterio-

Digitized by Google

riori parte indicat Assumptionem Beatæ Virginis Mariæ, circumseptæ innumeris Angelorum ac Sanctorum imaginibus. Interiorem vero eius partem ornat imago marmorea nostri Redemptoris, ab inferis resurgentis magno claritatis fulgore. Supra hanc imaginem organa magnitudinis stupendæ sunt posita, sollemnioribus dumtaxat festivitatibus pulsanda. Sequens porta, olim dicta *de Oliva*, eo quod ad eam oliva virebat, nunc Decani appellatur, quoniam Decani domus iuxta eam sita est. Prima ex tribus portis, quæ ad zephyrum expanduntur, Inferni, Tabellionum, sive David Regis nominibus nuncupatur. Inferni, propterea quod infernus, ubi damnatorum animæ cruciantur, est in eius abside sculptus: cui et super est effigies terribilis futuri universalis iudicii, quo Dominus noster Iesus Christus fidelibus quidem gloriam, impiis vero pœnas æternas impartietur: David vero, ob eius quondam statuam ad imam ostii partem adpositam: Tabellionum autem, quoniam tabelliones frequenter circa illam versantur. Qui etiam si casu quopiam ad eam portam stationem fecerint, intelligant tamen, ex consilio meo, perfide munus suum tractantibus inferni vindictam propositam esse. Supra has fores in interiori pariete scriptum videre est hoc memorabile epitaphium: *En el año de mil y quatrocientos y noventa y dos, á dos dias del mes de Enero, fué tomada Granada con todo su reyno por los reyes nuestros señores don Fernando y doña Ysabel, siendo arçobispo de esta santa iglesia el reverendissimo señor don Pedro Gonçalez de Mendoça, cardenal de España. Este mismo año en fin del mes de Julio fueron echados todos los Judios de todos los reynos de Castilla, de Aragon, de Cicilia.* Media, ære cyprio utrimque munita, porta Veniæ (Hispane *del Perdon*) appellatur; propterea quod illam ingredientibus indulgentiæ conceduntur plures, quas nostri maiores eo forsan impetrarunt, quod illac introiisse Divum Alphonsum pro comperto habuerunt nocte illa, qua Beatissima Virgo Maria eum, quasi in æternæ gloriæ pignus, cœlesti induit vestimento. Quod testatur marmoreum schema, sacrosanctæ Virginis Mariæ exprimens descensionem, supra hanc ianuam foris insculptum. Eam olim portam, non secus quam apes alveum, uterque sexus frequentabat; nunc vero, aut quia caritas refrixit, aut propter innumeram peccatorum remissionem, non eo religioso ardore ac devotione celebrat. Ostium hoc, ob reverentiam sibi observatam, in festivitatibus tantum præcipuis reseratur, maxime eiusdem almæ Dei Matris, aut quoties Rex, Princeps, aut Prælatus primitus Ecclesiam adeunt. Hac quindecim aditus patebat gradibus non multis ab hinc annis, quos gradus (opinor) prisci struxerunt in memoriam sanctissimæ descensionis Beatæ Mariæ in hanc Basilicam, Salamonis forte imitantes templum, quod ipsa Virgo quindecim scalarum gradibus ascendit, cum tertium suæ ætatis agens annum eidem Templo fuit præsentata; differt tamen quod illud ascenden-

dendo, hoc vero descendendo, sacrosancta Dei Genitrix petivit: idcirco (aiunt) mulieres gravidæ, ut prosperos ederent fœtus, hasce scalas ascendere, ac descendere consueverunt. Ultima porta Turris dicitur, quoniam ad eius calcem adiacet: Cymbalorum ianua ab aliis appellatur, eo quod iuxta illam cymbala sacris benedictionibus dedicantur, atque in eamdem turrim efferuntur. Ex illis tandem, quas boreas ferit, duæ portæ aperiuntur ad claustrum, à quo et nomen accipiunt: [1] tertia autem tum eleganti opificio, tum Divorum Heroumque statuis circum sculptis, magnifica ianua Regum, quoniam Regum Magorum, Iesu infanti munera deferentium, effigies lapideæ supra eam exterius adstant, appellatur: illam alii vocant Sandaliorum, quia è regione hinc inde sandalia, ac crepidæ venduntur: olim nuncupabatur Ollarum, eo quod ubi nunc sandalia, forsan ollæ venire solebant. Hanc mediam continent duæ parvulæ ianuæ à lateribus positæ, quarum altera servat ornamenta capellæ domini Petri Gundisalvi de Mendoza, altera scandimus ad [2] machinam duorum horologiorum simul sonantium, supra hanc Regum portam in quadam cellula fabrefactam: eorum quidem maius ab alta turri, atque ingenti giganteaque statua ferro lucido munita, et armata, pulsatum, civitati horas assignat; alterum vero parvum Ecclesiæ tantummodo deservit, ac duobus armatis hominum simulacris contra ianuam Lætitiæ positum tangitur. Infra quod duæ virorum imagines motum solis, ac eius lineas, puncta, et horas contemplari videntur, ut verum horologium efficiant: nam tota illius perfectio in linea meridiei potissimum consistit, quæ scitu facilis, si recte perpendatur; difficilis autem, si vera ipsius cognitio ignoretur: at ne ab instituto digrediar, hæc in arte peritis perpendenda relinquam.

CAP. XXIIII.
De exteriori Sacrario.

Sacrum deinde Ærarium quis non admirabitur? magnificum opus, immortalique memoria dignum. Quem, obsecro, tam irremeabilis labyrinthus non perterrefaciet? Aut quis rerum, quæ in hoc Sacrario continentur, varietatem absque Ariadnes (quod aiunt) filo audeat adoriri? cui explicandæ non Ciceronis exuberantissima eloquentia, non Demosthenis facundia sufficeret. At ne opus tam illustre sub silentio pertranseam, pauca ex multis sub brevitate perstringere nitar: ac prius ea, quæ sunt extra ipsum adytum, exponam. Valvæ ergo primæ ligneæ ante atrium Sacrarii interdiu patent; reliquæ vero non semper. In ipso atrio olim erat Sacellum, ubi Divorum Augustini et Pontii festa celebrabantur. Ibidem à quodam Archi-

Ggg dia-

(1) Hæc porta, quæ antiquitus Regum vocabatur, hodie appellatur *Infantis deperditi.*

(2) Insuper admonemus horologium, de quo agit Ortizius, decursu temporis attritum fuisse, et incompositum, cuius loco aliud mirifica arte ab Emmanuele Gutierrez, Hispano, extructum, eadem in turri suffectum est.

Digitized by Google

diacono ordinis militiæ *de Calatrava*, Alphonso Melendez, relictæ fuerunt quinque Missæ, in qualibet hebdomada celebrandæ, quæ hodie senatus consulto huius almæ Ecclesiæ alibi persolvuntur: velut aliæ multæ, quæ iustis de causis diversis quidem Sacellis celebrantur, quum in propriis peculiaribusque non possunt; aut quia postmodum diruta, aut aliis Sacellis incorporata, eorum memoria vetustate abolita sit. Quod Sacellum ut aditus ad sacrum Ærarium, tunc denuo structum, pateret (si famæ creditur), deiectum fuit: nunc vero in dicti Sacelli memoriam hoc unum reliquum est, ut in eorumdem Divorum festivitatibus commemorationes fiant. Ad sinistram intra dictum vestibulum est aliud Sacellum B. Marinæ, ubi singulis hebdomadis novem persolvuntur Missæ: ex quibus quinque primitus reliquit pia femina, Maior Alonso nostro idiotismo Carpetano nuncupata, pro animæ coniugis satisfactione. Quattuor postremo instituit Alphonsus Ortizius, in sacra theologia doctor, canonicus quondam Toletanus, qui etiam oratorium iuxta Sacrarii ianuam exteriorem in parietis crassitudine Dominicam Resurrectionem ostendens, seris obstrusum reliquit, quod arte mira elaboratum, paucis ex sollemnibus diebus patet. Huius egregii viri nonnulla volumina sermone latino scripta habentur: idem suam bibliothecam Salmantinæ librariæ donavit. In hac Capella Divæ Marinæ iacet sepultum architectoris huius Ecclesiæ corpus, Petri Perez nuncupati, ut constat ex titulo in saxo parieti occidentali eiusdem Sacelli adhærente inciso: obiit autem X. die Novembris, Æra Cæsaris 1328. Ad dextram repositorium est multorum vestimentorum pro quotidiano communique ministerio, quæ triginta capsis extractilibus, qualibet titulum ornamentorum habente, custodiuntur; præter duos riscos prope cancellos, quibus repositorium ab atrio distinguitur, in parietum crassitudine cavatos, ubi thura, thuribula, lebetes ministerii quotidiani, et alia id genus servantur. Dictum autem repositorium variis historiis scite depictis ornatur, inter quas est imago Divi Andreæ in cruce vincti, quæ eo ibi depicta est, quod olim hic locus eius fuerat Capella, ac in ipsius memoriam ibidem recolitur festum. In huius repositorii meridionali pariete armariolum est, ubi sub fida custodia sanctum Chrisma, ac oleum infirmorum, catechumenorumque, per totum Archiepiscopatum distribuenda, in vasis argenteis asservantur. In eodem pariete sursum videre est epitaphia quorumdam huius Ecclesiæ Præsulum, in eo loco (ut creditur) sepultorum, cum olim Divi Andreæ sacellum esset, quæ hic libuit inserere eadem serie, qua illic leguntur, quæ talis est. *Obiit D. Bernardus, primus archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, postquam civitas Toletana fuit capta per illustrem regem D. Alphonsum, tertia die Aprilis, æra 1166.* Rem quidem miram, Bernardum Præsulem dignissimum annos 65 in præsulatu vixisse; ni dixerimus, ca-

captam Toletum Æra 1133, sive 1123, [1] ut supra retulimus. *Obiit D. Raimundus, archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, 19 die Augusti, æra 1188. Obiit D. Ioannes huius nominis primus archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, 29 die Septembris, æra 1204. Obiit D. Celebrunus, archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, 12 die mensis Maii, æra 1218. Obiit D. Gundisalvus primus, archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, 30 die Augusti, æra 1229. Obiit D. Martinus, archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, 28 die Augusti, æra 1246. Obiit D. Ioannes secundus, archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, 23 die Augusti, æra 1283. Obiit D. Guterrius primus, archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, 9 die Augusti, æra 1288.* [2] In septemtrionali autem pariete dicti repositorii scalæ sunt, quibus ascendimus ad officinas et cellas tribus Sacrarii æditius ac phrygionibus (qui *bordadores* vulgo dicuntur) destinatas, et ad solarium subdiale. Sequitur iam posticum ad impluvium orientem versus positum: quo ingredientibus prima se offert cisterna aquæ fluvialis, et malluvium, ubi Sacerdotes celebraturi ministrique lavantur. Continuo ad sinistram archivum duabus seris munitum, in quo omnia chirographa, privilegia, ac monumenta Ecclesiæ, suis scriniis inclusa, custodiuntur. Tum occurrit aula contra dictam cisternam, servans suis pluteis ac repositoriis omnes libros cantus, quem simplicem vocant, in celebritatibus ac feriis totius anni officiis divinis deservientes.

CAP. XXV.

De interiori Sacrario, reliquiis, ac ornamentis, quæ in eo habentur.

Hæc de iis, quæ sunt extra penetralia Sacrarii, breviter tetigi: [3] nunc vero ad interiores ipsius pergamus recessus, ad adytum videlicet, ubi reliquiæ universæ, et pleraque huius Ecclesiæ pretiosiora, sub

(1) Hæc annorum computatio ab Ortizio facta omnino deviat à nostra, quæ recepta est in S. Ecclesia Toletana, et eius Præsulum serie. Itaque asserimus, Toletum fuisse expugnatum ab Alphonso VI. anno 1085, die S. Urbani, mense Maio, et Bernardum, natione Gallum, Abbatem Monasterii S. Facundi in Legionis regno, electum fuisse Archiepiscopum Toletanum anno 1086, Ecclesiamque rexisse usque ad annum 1124, quo obiit: quo supposito solum vixit in Præsulatu 38 annis, non vero 65. Vide supra pag. 378.

(2) Tempore Ortizii nondum erat constructa magnifica Capella Sacrarii cum Sacristia, et aliis officinis adiacentibus, de quibus postea loquemur; hodieque in exteriori parte ingressus ad Sacrarium appositæ sunt inscriptiones sepulcrales, quas refert Ortizius, et præterea additæ maiori cum ornatu aliæ, quas denominare debemus seriem chronologicam Præsulum Toletanorum usque ad nos, sive fuerint sepulti in Ecclesia, sive non; etiamsi renunciaverint Cathedram Episcopalem, ut Archidux Austriæ Albertus, et Infans Hispaniæ Ludovicus filius Philippi V. Regis nostri. Et cum Capella antiqua S. Andreæ, quæ Præsulum Toletanorum sepulturæ deserviebat, diruta fuerit, ut novum Sacrarium extrueretur, intra parietem ingressus Sacrarii apposita fuerunt ossa Præsulum Toletanorum, qui in ea fuerunt sepulti. Quamvis ergo sepulcra exterius non appareant, intus custodiuntur, et extra referuntur nomina illorum.

(3) Cum forma Sacrarii et hierothecæ à

sub duplici ostio, altero ligneo, altero ferreo clathrato, tribus clavibus obserato, religiose continentur; quarum clavium unam Archipræsul, aliam vero Capitulum, tertiam autem Thesaurarius, aut eorum vicem gerentes, ex Ecclesiæ constitutione custodiunt, quod adytum ob eius maiestatem et opulentiam nemini sine copia procerum Ecclesiæ visere permittitur. Cuius super limen supernum cernitur Virginis imago, honestissimo induta ornatu, dulcem Natum ad ubera gestantis, quæ in magna veneratione habetur apud nostrates. Adytum ipsum reliquiarum repositorium pulchrum et spatiosum est, multis Divorum imaginibus, præcipue Eugenii, Alphonsi, et Leocadiæ Virginis exactissime depictum, fornicibus deauratis innixum, lacunarique cæruleo aureis stellis undequaque coruscans. Septemtrionali parieti adhæret reliquiarum ligneum, quod in urnis, ac vasis pretiosis, capsulis, ac repositoriis argenteis servat innumeras Sanctorum reliquias, quarum potissimæ sunt, quæ sequuntur. Tres parvulæ cruces ex sanctissimi patibuli ligno, in quo Christus Servator noster pro humana salute pependit: prima quidem affixa laminæ argenteæ, margaritis, aliisque unionibus septæ, qua, evangeliisque sacris, coram propositis, Prælati in prima post præsulatus assumptionem visitatione statuta huius sacrosanctæ Basilicæ servaturos esse, iurant: altera in bractea magna et argentea, multis Divorum reliquiis, gemmisque non parvi momenti circumvallata; tertia autem in media crucis parte cælata est. Spina etiam Dominicæ coronæ intra parvam ex argento custodiam asservatur, quam cum aliis pretiosissimis reliquiis à S. Ludovico Francorum Rege Ecclesia Toletana dono suscepit. Testatur hoc epistola ab eodem Principe missa, caritatis et religionis plena, quæ in Sacrario nostro sigillo aureo obsignata custoditur. Eam hic subtexere placuit, quæ et plenam fidem dictis meis faciet, et curiosum lectorem oblectabit.

"Ludovicus Dei gratia Fran»corum Rex, dilectis suis in Chri»sto canonicis, et universo clero »Ecclesiæ Toletanæ, salutem et »dilectionem. Ecclesiam vestram »volentes xenio pretiosi muneris »insignire, per dilectum nostrum »Ioannem Archiepiscopum Tole»tanum, et ad preces ipsius, de »venerandis et eximiis sanctua»riis nostris, quæ de thesauro im»perii Constantinopolitani suscepi»mus, pretiosas vobis particulas »destinamus: videlicet, de ligno »crucis Domini: unam de spinis »sacrosanctæ spineæ coronæ eius»dem Domini: de lacte gloriosæ »Virginis Beatæ Mariæ: de tunica »Domini purpurea, qua indutus »fuit:

à meo dignissimo antecessore Cardinali D. Bernardo de Sandoval et Roxas penitus immutata sit, solum ad memoriam pristinarum Capellarum deservire possunt, quæ hic refert Ortizius. Igitur præfatus Præsul suis expensis erexit Capellam, quæ vocatur Sacrarii Virginis Mariæ, et sumptibus fabricæ S. Ecclesiæ constructa postmodum fuit hierotheca, in qua non solum sacræ reliquiæ, quæ ab Ortizio numerantur, repositæ sunt, sed aliæ quamplures pretiosissimæ, dono datæ à Regibus, Præsulibus, Optimatibus Regni, Canonicis, et aliis viris piis.

»fuit : de linteo , quo præcinxit se »Dominus , quando lavit , et ex»tersit pedes discipulorum suo»rum : de sindone , qua corpus »ipsius sepultum iacuit in sepul»cro : de pannis infantiæ Salvato»ris. Vestram itaque dilectionem »rogamus , et requirimus in Do»mino , ut prædictas sacras reli»quias cum debito recipiatis , et »custodiatis honore : necnon in »Missis et orationibus vestris pe»rennem nostri memoriam habea»tis. Actum apud stampas anno »Domini 1248 , mense Maio."

Asservatur etiam in dicto Sacrario corpus S. Soteris Papæ et Martyris , in arca argentea repositum. Tria insuper religiose custodiuntur ex Divorum Ioannis Baptistæ et Sebastiani capitibus fragmenta , quæ mediæ ipsorum imagines , deargentatæ, umbilico tenus, inclusa tenent. Aliud item Divi Blasii segmen argentea navicula servat , quod dominus Petrus Tenorius , Archiepiscopus Toletanus, Sacello suo donavit. Ultra hæc, quattuor capita , duo ex undecim mille Virginum numero , tertium S. Mauritii , in eiusdem dimidiata statua , ex argento efficta : ultimum autem caput S.Germani. Brachium præterea argento vestitum B.Eugenii , Toletanæ urbis patroni. Manus S. Luciæ argenteo brachio munita. Ad hæc portiuncula veli Sanctæ Leocadiæ, una cum aliis reliquiis , in custodia argentea non in parva veneratione habetur. Necnon quædam Divæ Catharinæ ossa, ac non nihil olei ex eius sepulcro manantis , simul cum cæsuris indumentorum ipsius in argentea custodia pretii non exigui latent. Item capilli Mariæ Virginis Matris. Corporalia etiam , quæ Beata Clara propriis digitis nevit , supra magnum sita aureum calicem, à Regina quadam Saracena donatum , quæ , contemptis Mahometi impiis superstitionibus, ad veri Dei fidem fuit conversa. Aliæ reliquiæ Principum Apostolorum Petri et Pauli , ac reliquiæ Divi Augustini in custodia crystallina auro munita custodiuntur. Sunt etiam duæ statuæ argenteæ : quædam Divi Alphonsi , dextra quidem baculum, sinistra vero unum ex ossibus eiusdem Alphonsi crystallino vase sustinens inclusum : altera Divi Eugenii , quæ parvulam thecam manibus tenet , S. Dionysii aliorumque Divorum reliquias habentem. Tres præterea argentei scyphi : in primo quidem S. Nicolai reliquiæ habentur ; alter vero lapillo agatha , in modum pomi cinctus , fragmentum crucis , cui alligatus Divus Andreas passus est, cum aliis reliquiis custodit : tertius autem S. Eugenii reliquias servat. Item septem crystallina vascula, quorum primum Reverendissimus frater Franciscus Ximenez Toletanus elargitus est , habetque faculam sanctissimi veræ crucis ligni , et segmen habitus Beati Francisci , cum nonnullis aliis reliquiis: secundum habet segmentum cilicii Beatæ Marinæ Ægyptiacæ: tertium costam S. Sixti Papæ et Martyris : quartum aliam costam Sancti Theodori ; tria vero reliqua Divorum Stephani , Processi , et Martiniani Martyrum sacra ossa. Reliquiæ aliæ S. Ursulæ Virginis in custodia mediocri argentea servantur. Sunt præterea reliquiæ

S.

Digitized by Google

S. Bartholomæi Apostoli in porphyritico reliquiario. Item reliquiæ Sanctorum Philippi et Iacobi; necnon cercis Beatæ Leocadiæ, quam Philippus, Hispaniarum piissimus Rex, ex Flandria in hanc Basilicam misit, quæ quidem asservantur in curriculo argenteo quattuor rotulas habenti. Duæ tandem laminæ argenteæ montis Calvarii, et Divorum Stephani, Georgii, Iuliani, Antonii, Fabiani, Cosmæ, Barbaræ, aliorumque Sanctorum affixas continent reliquias. Bonam omnium reliquiarum partem Ecclesia nostra debet domino Ægidio de Albornoz, Præsuli quondam suo, viro illustribus natalibus claro, toga pariter et armis insigni. Is enim ecclesiasticæ immunitatis propugnator, adeo egregie operam navavit, ut dux Ecclesiæ declaratus, innumera loca eidem restituerit, quæ tyrannice à quibusdam tenebantur; qua de causa occasionem habuit has sacrosanctas reliquias mittendi. Inter quas misit mucronem Neronis Cæsaris, quo Divo Paulo caput amputatum est: qui quidem in (1) cœnobio ordinis Divi Hieronymi, extra muros huius urbis sito, magna veneratione custoditur, cui is insculptus est titulus: *Mucro Neronis Cæsaris, quo Paulus capite est obtruncatus.* Domini Ægidii Archiepiscopi vita quoniam à Genesio Sepulveda, viro in utraque lingua æque doctissimo, luculenter scripta est, illuc studiosum lectorem remitto. Hactenus de his, quæ ad reliquias pertinent. Nec me præterit, Principum clarissime, ante Toletanæ urbis expugnationem in hac sacra Basilica innumeras reliquias observatas fuisse; eas tamen Urbanus Toletanus Archiepiscopus in Asturias (ne à Saracenis irriderentur) detulit, ut refert D. Rodericus lib. 4, cap. 3. Subtús reliquiarium latent triginta sex loculi, ubi ornamenta pretiosiora custodiuntur, à quibus omnibus recensendis supersedere par erit, cum de ipsis superius generatim verba fecerim. In crassitudine parietis dicti adyti occidentalis tres risci habentur, in quorum primo septem vulgares ex serico raso candido tiaræ servantur: ex quibus una, Antistiti deputata, funiculis deauratis, quattuorque eximiis magnitudine et pretio lapillis, ceteris ditior est; aliæ autem sex, quibus huius almæ Ecclesiæ dignitates (cum Archipræsul pontificali apparatu celebrat) sive ex privilegio, seu vetusta consuetudine ornantur, albæ ac simplices, auri et unionum expertes sunt, non inopia, sed potius iuris observantia: ut disponit cap. ut apostolicæ de privilegiis lib. 6, quod fere in nulla Hispaniarum Ecclesia reperietur; maiestas enim huius templi hæc et ma-

(1) Qua via mucro iste ad monachos D.Hieronymi *de la Sisla* devenerit, ignoramus. Certe à Cardinali domino Ægidio habere non potuerunt, cum hic vita functus aliquot annis antea fuerit, quam cœnobium illud extrueretur. Suspicamur autem mucronem ab aliquo ex consanguineis Ægidii acceptum, et apud se retentum, postea monachis donatum; vel, si mavis, à Præsule Toletano domino Petro Tenorio, qui ordini Hieronymiano maxime favit: cui coniecturæ locum dare etiam possunt litteræ quattuor istæ P. T. A. T. in mucrone scriptæ, quæ forte ita legendæ sunt: *Petrus Tenorius Archiepiscopus Toletanus.*

Digitized by Google

maiora meretur. Est et ingens manica crucis argentea, natalis et passionis Christi figuris in ipsa effigiatis circumdata. Tres insuper torques aurei magnifici sumptus (colli ornamenta et summi pectoris) multis unionibus, margaritis, hyacinthis, smaragdis, sapphiris, aliisque lapillis supra modum referti. Item lamina orbicularis aurea, cui plurimi itidem diversi lapilli inseruntur, quorum medium tenet topazius prægrandis, refulgens, subindeque æstimandus. Habetur ibidem lignum, quod olim in domum Iudæi, Garbalis nomine, deportatum, foco escam (ut solet) futurum, cum nullo modo comburi posset, nullisque flatibus aut follibus accendi, tandem Iudæus et familia admirati, lignum protinus dissecandum curarunt, causam novitatis in eius visceribus scrutaturi: nec defuit conatui successus; nam statim ut lignum dissectum est, imago Salvatoris nostri cruci affixi in ægide apparuit. Quod, sive ita natura obvenerit(ut plerumque alias figuras lapidibus, aut metallis, aliisve materiis videmus innasci), sive potius ob Dei consilium ita Iudæum servare volentis, in urbe nostra pervulgatum fuit, et adhuc domus illa, prope huius urbis macellum præcipuum sita; notissima est, et Crucis cognomen in posterum retinuit. Hæc in primo risco. Secundus servat septem eximias tiaras, à quibusdam Ecclesiæ Præsulibus relictas. Præter has vero alia habetur sumptuosa, à munificentissimo Cardinale domino Petro Gundisalvo de Mendoza Ecclesiæ donata; adamantibus ac rubinis magni pretii, multisque unionibus refertissima: cuius pretium maximum ceterarum omnium, aut superat, aut certe adæquat valorem. Est ibidem effigies Servatoris nostri ex auro purissimo confecta, aurea rotundæ figuræ lamina inclusa, multis pretiosis margaritis irradians, ab eodem Archiepiscopo domino Petro Gundisalvo Mendozio donata. Item corona aurea olim Serenissimæ Reginæ dominæ Elisabeth, cognomine Catholicæ, tuæ celsitudinis proaviæ, lapillis plurimis ornata, quæ in Assumptionis Sacrosanctæ Virginis Mariæ festo capiti virginei simulacri solet imponi. Quattuor etiam calices aurei, quorum tres Sanctius de Roxas, Petrus Gundisalvus Mendozius, Alphonsus de Fonseca, Archiepiscopi Toletani, Ecclesiæ reliquerunt: alium autem, qui quondam Reginæ dominæ Catharinæ fuerat, Ecclesia ipsa comparavit. In tertio risco custoditur vas satis magnum ex monocerotis cornu fundo aureo suffultum, variatumque tribus aureis virgulis, quod (ut aiunt) cuiuscumque generis venenum à se procul expellit: donatum est ab Illustrissimo Domino Francisco Ximenez, Archiepiscopo Toletano, quod illi Serenissimus Rex Philippus, celsitudinis tuæ avus, dono dederat. Biblia itidem in tres tomos divisa, variis imaginibus et historiis absolutissime depicta: pro ea (ut fama est) civitas [1] Guadalfa-

(1) Licet fabulam redoleat civitatem Guadalaxarensem à Rege fuisse pro Bibliis oblatam, tamen compertum est, præfata Sacra Biblia donata fuisse, non à S.Ludovico Rege Francorum, sed à S.Ludovico eius nepote Episcopo Tolosano.

faiara à quodam Rege mutuo Ecclesiæ nostræ offerebatur. Sunt præterea intra parietem septemtrionalem dicti adyti duo alii risci: in primo continetur admirandæ crux magnitudinis, argento et auro decora, quam Rex Alphonsus Portugalliæ donavit (ut fertur) domino Alphonso Carrillo, Archiepiscopo Toletano, tempore suæ confœderationis; quæ tanti est ponderis, ut à duobus tribusve Ecclesiæ ministris in lectica baiuletur in sollemnitatibus tantum Corporis Christi, et Assumptionis, Nativitatisque Beatæ Mariæ. Et quamvis multæ cruces pretii non exigui in hoc sacro Templo habeantur, de hac tamen propter eius potissimum excellentiam, miramque ponderositatem, meminisse placuit. In secundo autem risco quidam baculi cum rebus aliis non exigui pretii adservantur. In ipso adyto ad dextram se offert recessus, ubi vasa aurea, et argentea, necnon alia plurima ornamenta, ad divinorum ministerium pertinentia, custodiuntur; præsertim arca lignea, argenteo extrinsecus munita, ac figuris Christi mortem indicantibus, gemmisque variis ornata, in qua die cœnæ Dominicæ, et Parasceves sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum tamquam in sepulcro reconditur. Huius monumenti operosum apparatum (quod iuxta Mozarabum Sacellum hoc nostro tempore extrui consuevit) si in præsentia recensere vellem, opus esset longiori oratione. Sat sit dicere testudines quasdam subitarias, et in tempus structas, easque operosissimas, surgere, quæ nec mausoleis, nec pyramidibus decantatis olim inter mundi miracula (iudicio meo) cedunt. In his arca Sacramenti collocatur, hinc et inde innumeris cereis incensis, et loci inumbrationem satis illustrantibus, quorum viginti dominus Fernandus Cerezuela Archidiaconus Toletanus legavit. Assistunt ibi octo beneficiarii binis horis ex universo beneficiariorum cœtu: duo canonici, quattuor portionarii, et duo capellani, à prima hora qua clauditur Dominicum Corpus, donec in aram præcipuam honorifice defertur, divinum Sacramentum observantes; summissa voce, alternis choris psalterium incessanter concinentes. Hanc vero celebrem memoriam instituit Dominus Fernandus à Fonseca, canonicus Toletanus, ex huius urbis stirpe nobili et antiqua oriundus. Ascenditur ad arcam novi Testamenti per aliquot gradus, in quibus quidquid opulentiæ et divitiarum in Ærario sacro servatur, repositum cernitur: adsunt etiam Sanctorum reliquiæ, illæ potissimum, quæ maiorem antiquitatem et venerationem obtinent. Æquum est enim ut, ubi summa reliquiarum est (nempe sacrosanctum Domini nostri Iesu Christi Corpus), quidquid uspiam Divorum habetur, stipatoris vice fungatur. Aditus ad testitudines aliquot ante vestibula continet, quorum interius clathris ligneis non admodum longis circumseptum est, quibus nimirum vulgus arceatur. Attoniti redduntur universi spectatores, aciem oculorum loci splendore præstringente. Sed illuc, unde abii, redeo. Habentur in dicto Sacrario sacratissimæ Virgi-

gi-

ginis Mariæ et duodecim Apostolorum ex argento puro cælatæ effigies. Alia item imago beatissimæ Mariæ Virginis argentea magnæ æstimationis. Est et arca grandis in ipso recessu cum quinque ordinibus capsularum, in quibus multa pretiosa ornamenta et vasa argentea sunt recondita, cruces, calices, candelabra, lebetes argentei ad aquam benedictam populo aspergendam. Ultra hæc habentur alia plurima vasa argentea (et ea non parva) suis capsulis inclusa, supra magnum abacum reposita, inter quæ sunt duodecim adeo subtiliter elaborata, ut materiam opus superet, quingentas selibras ponderis argenti postulati pendentia, ab Illustrissimo domino meo Ioanne Martino Siliceo, Toletano Archiepiscopo, Ecclesiæ, cum primum eam visitaret (arrharum vice) die Nativitatis Dominicæ anno 1546, simul cum aliis eximiis ornamentis donata, cuius muneris magnitudinem mirari iam desinat, quicumque munificentissimum auctoris animum cognoverit. Quem ob præclaras eius virtutes et litterarum eminentiam, Parisiis primitus liberalium artium præceptorem, in Salmanticensi deinde academia liberalium itidem artium, ac summæ philosophiæ diu optimum magistrum, clarissimi præterea Principis nostri Philippi dignissimum institutorem, auditoremque Pœnitentiarium conspeximus; ac felici tandem auspicio in hac Toletani Archiepiscopatus sede præsidere cernimus. Cæterum quia si de morum eius sanctimonia, ac doctrina, singularique in dicendo ac disputando facundia, necnon illustribus gestis sigillatim in præsentia agendum esset, et ab instituto longe traheremur, et vires nostræ neutiquam suppeterent; ad ea, quæ magis operi instant, stilum convertam. Est et crux argentea deaurata, quam Illustrissimus Cardinalis Petrus Gundisalvus Mendozius, quocumque etiam extra Castellæ regna peteret, primatiæ iure præ se ferri iubebat; eademque Granata urbe, et eius arce (quæ vulgo *Alhambra* dicitur) Catholicis Regibus Fernando et Elisabeth deditis, in excelsiori illius arcis turri prima omnium est posita. Ut constat ex clausula testamenti eiusdem Illustrissimi Præsulis, quod quidem propria subscriptione et sigillo obsignatum, in hospitali Sanctæ Crucis (ipsiusmet etiam Archiepiscopi iussu et impensis post eius obitum structo) adservatur: eam vero clausulam, utpote curioso lectori non iniucundam, hic inserendam decrevi. *Otrosí, porque la nuestra Cruz, que en señal de Primado nos emos traido ante nos por las provincias de Santiago, Sevilla, Granada, Zaragoza, Valencia, Tarragona, é Narbona, y por las diócesis de las Iglesias, que se dicen exêmptas de los Metropolitanos susodichos, adonde nos avemos estado, es la primera Cruz que se puso sobre la mas alta torre del Alhambra de la cibdad de Granada, al tiempo que fué ganada, é quitada de poder de los Moros infieles enemigos de nuestra sancta Fe Cathólica, adonde, y en la toma de las mas principales cibdades del*

dicho reyno de Granada nos fallamos con la dicha cruz en servicio de dios nuestro señor, y del rey y reyna mis señores, con nuestra gente y estado; mandamos que la dicha nuestra cruz, con su asta guarnida de plata, así como la nos traemos, sea puesta en el sagrario de la dicha nuestra sancta yglesia, en memoria de tan gran vitoria, y por decor y honor della, y de los perlados della: é allí queremos que esté perpetuamente, é que no pueda ser sacada dende, sino á las procesiones. Et quoniam nihil est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis, postquam iam aliud velle non possunt, liber sit stilus (in lege 1 de sacros.Eccl.Cod.) propterea dicta crux, ut pia tam illustris Præsulis voluntas observetur, nisi in sollemnibus pompis è Sacrario minime educitur. Multa adhuc recenseri poterant, quibus aliarum civitatum templa non vulgariter potuissent commendari; ea tamen silentio traduntur, aliorum, quibus Ecclesia nostra excellit, fulgore obscurata. Verum huius amplissimæ Ecclesiæ divitiæ, quamquam multæ videantur, paucæ tamen et exiguæ sunt præ vasis illis, quæ Cyrus Persarum Rex per Mithridatem templo Salomonis iussit restitui. Fuerunt enim quinque millia quadringenta vasa aurea et argentea; ea vero tulerat Nabuchodonosor ex Hierusalem, et posuerat in templo Dei sui. Hæc ex primo libro Esdræ ad primi capitis finem. Sed ampliora dona dedit Salomon, cum Dei templum consummavit. Struxit enim altare aureum, mensam unam auream, decem argenteas, phialas aureas centum, candelabra decem, forfices, thuribula, ac morteriola ex auro purissimo, ut habetur tertio Regum, capite septimo. Iosephus tamen lib. 8, 1 tom. cap. 3 de eiusdem templi opibus scribens, multo his copiosiora refert, cuius verba non gravabimur subnectere, ut miranda illius sancti templi divitiarum, opumque multitudo magis lectoribus innotescat. "Obtulit Rex (inquit ille) multitudinem mensarum, et unam quidem valde præcipuam auream, super quam ponebant panes Dei, et huic proximas decem mille altero modo factas, super quas vasa iacebant, scilicet phialæ et pateræ, aureæ quidem decem mille, argenteæ vero quadraginta mille. Fecitque candelabra decem millia, secundum præcepta Mosy, ex quibus unum in templo recondidit, ut per diem luceret secundum legem, et mensam unam, super quam positi erant panes, ad partem templi respicientem ad Aquilonem, è diverso positam candelabri, quod in australi parte constituit. Aureum vero altare inter hæc medium erat. Hæc enim omnia domus habuit quadraginta cubitorum ante velum adyti, ubi erat arca recondita. Fecit itaque Rex vasa vini fusilia octoginta millia, et phialas aureas decem mille, argenteas vero duplici numero. Pateras vero aureas (ad offerendam in eis similam conspersam ad altare) octoginta mille, et argenteas duplici numero. Crateras autem, in quibus similam cum oleo

»oleo fermentabant, aureas quidem quinquaginta mille, argenteas vero duplici numero. Mensuras autem (similes eis, quæ Mosaicæ vocabantur et asserones) aureas quidem viginti mille, argenteas dupliciter. Thuribula vero aurea, quibus offertur incensum, viginti mille: similiter et alia thuribula, in quibus portabant à maiori altari ignem ad minus altare, quod erat in templo, quinquaginta mille. Stolas autem sacerdotales Pontificibus, cum his, quæ pendebant ad pedes, et super humerales et rationales ex auro et gemmis mille. Corona vero, in qua Deum Moses scripserat, una fuit, et ad hanc usque diem permansit. Sacerdotales autem stolas ex bysso contextas, et zonas purpureas cum cingulis decem mille, et tubas secundum præcepta Mosy ducentas mille. Item stolas levitarum hymnos dicentium ex bysso ducentas mille, et instrumenta musica, et ad hymnos dicendos adinventa (quæ vocantur nabla et cinnira) ex electro constituit quadraginta mille. Hæc enim omnia ad honorem Dei Salomon copiose et magnifice fabricatus est, in nullo parcus existens, sed circa ornamenta templi usus est præcipua largitate, quæ etiam in thesauris Dei recondidit." Hactenus Iosephus.(1) Quæ licet incredibilia videantur, nobis tamen miraculo non sunt, qui nostra tempestate ex Indicis regionibus, non ita pridem Occidentem versus industria nostrorum patefactis, adhuc plura in Hispaniam deportari vidimus: ut interim taceam ea, quibus in Peru (sic eam partem vocant) auspiciis invictissimi Cæsaris Caroli potiti sunt nostri, omnem prorsus fidem excedentia.

CAP. XXVI.

De his quæ inter Sacrarium, et capellam, quæ dicitur novorum Regum, continentur.

In exteriori Sacrarii pariete, contra chorum altaris augustioris erecto, nomina præteritorum huius almæ Ecclesiæ Archiepiscoporum extrinsecus in marmore sunt incisa. In hoc eodem pariete lata fenestra ferro reticulata solet aperiri, cum festivitas Divi Andreæ celebratur, ut eius imago, quæ intra Sacrarium latet, conspiciatur.

Prope est augustum Sacellum, ubi recolitur memoria tormentorum et cruciatuum, quæ Dominus noster, columnæ alligatus, perpessus fuit. Supra quam columnam visitur facies Christi, quæ vulgo Veronica, graphice depicta, cuius devotionem femina quædam nomine Teresa, coniux viri cuiusdam Alvari Lupi appellati, ita religiosissime colebat, ut nullus intermitteretur dies, quin audita Missa, quæ sub auroram in Sacel-

 lo

(1) Hisce auctoritatibus, quas nullus potest inficiari, responderi potest auctori, qui interrogationem apposuit: *In Templo quid facit aurum*? Cur præcepit Deus Salomoni fieri candelabra aurea, emunctoria aurea, aliaque innumera vasa aurea, et argentea, cum Templum veteris legis figura sit novi, ubi non in umbra, nec sub arca Testamenti habitat Deus, sed est vere et realiter præsens in Sacramento Eucharistiæ?

Digitized by Google

lo S. Alphonsi quotidie concinitur, eam veneraretur, atque adoraret, coramque ipsa Deum Maximum (cuius vultum Veronica exprimebat) precibus placaret: quod religiosum officium miraculo postea divina benignitate declaratum est; ipsi namque mulieri ægrotanti, iamque moriturae, extrema unctione recepta, die Iovis, quinto Ianuarii, anni Servatoris nostri 1469, facies pulcherrima, quam Christi speciosissimam formam referre, omnes ad portenti spectationem concurrentes censebant, supra eius caput ad dextram apparuit in linteo ad parietem pendenti. At cum expectantes propius, ut specularentur, accederent, evanescebat ab oculis: cum rursus secederent, statim sese ostendebat. Quod miraculum per notarios exceptum in capituli huius sacri Templi quadam capsa servatur [1]. In quo etiam Sacello veneramur natale Divi Bartholomæi, atque ibidem decem Missæ per hebdomadam à duobus capellanis celebrantur, alteri à Paschasio Garsia Thesaurario, alteri à Vincentio Perez portionario reditu constituto.

Sequentis Sacelli, quod Beatæ Leocadiæ sacratum est, iam vetus ædificium instauravit Ioannes Ruiz de Ribera iunior, protonotarius, collector apostolicus, et canonicus Toletanus, ut titulus in occidentali Sacelli pariete in marmore incisus latius indicat his verbis: *Hoc venerabile sacellum fuit per reverendissimum D. cardinalem D. Ioannem Taveram archiepiscopum, et per R. D. P. decanum et capitulum huius almæ ecclesiæ Toletanæ dono concessum reverendo patri D. Ioanni Ruiz de Ribera sedis apostolicæ protonotario, canonico Toletano, ac collectori apostolico, eiusque successoribus, qui vasis argenteis, miroque fornice, ac tabulato aurato, et aliis quam plurimis ornamentis, in hoc pulchro (quem cernitis) ornatu illud magnifice decoravit. Perenni etiam memoria missam unam singulis diebus celebrari voluit: necnon anniversarium solenne annis singulis decantari: Kalendam quoque nativitatis Christi, ob cuius singularem devotionem plenariam interessentibus indulgentiam perpetuo duraturam obtinuit, in choro dictæ ecclesiæ instituit festive agi, ac ea omnia ex propriis redditibus dotavit. Obiit anno 1539 X. Kalendas Aprilis.* Præter ea vero, quæ in epitaphio habentur, aliud anniversarium à clericulis chori, V. idus Februarii, dictus dominus Ioannes Ruiz de Ribera concinendum instituit, necnon duas Missas sollemnes cum suis sacris vespertinis, alteram die post Beatæ Leocadiæ festum; alteram post festum itidem S. Sebastiani, assignata mercede, celebrari iussit, atque ab eisdem clericulis decantari.

(2) Hoc testimonium miraculi numquam vidi; et licet percunctatus fuerim, an in archivio S. Ecclesiæ asservetur, nullatenus inventum est, etsi magna diligentia conquisitum. Reperietur forte in scriniis prope aulam capitularem, aut occasione, in qua non requiratur. Sed dubitare de eo non possumus, nec de fide Ortizii. Hortamur ergo venerabile nostrum Capitulum, ut hanc capsam perquirere decernat, vel in hierotheca, vel in archivio, vel suis in scriniis capitularibus, vel infra canonicorum subsellia.

ri. Ea autem Missa, quam singulis diebus peragi voluit, à duobus capellanis hebdomadatim eiusdem institutione celebratur. Huius viri corpus in antro ipsius Sacelli honorifice sepultum est, ubi et Ioannes Ruiz de Ribera senior, eiusdem avunculus, reconditus iacet.

CAP. XXVII.
De Sacello quod Regum novorum appellatur.

Contiguum est regium Sacellum, opere et proventu opulentissimum, cui forsan in orbe terrarum par non reperietur, ministrorumque cultu magnificum. Quod Reverendissimus Alphonsus de Fonseca, Archiepiscopus Toletanus bonæ memoriæ, transferendis ex antiqua capella regiis corporibus summo studio ædificandum curavit.(1) At si umquam mihi scripturo facundia exoptanda esset, nunc maxime, cum tuorum progenitorum munificentiam eximiam, opusque splendidum commemorare velim. Sunt igitur in illius primo vestibuli ingressu duo scutiferi lapidei, clavas, regaliaque insignia gestantes aurata. Ianua prima ferrea est, clathrata, inter quam et secundam alteram ligneam, atrium apparet arte eleganti concameratum, cuius testudo in summitate habet coronam concavam specularibus fenestellis undique circumseptam. Introeuntibus Sacellum è regione visitur Septemtrionem versus ara S. Iacobi à Regina domina Catharina erecta. In pariete vero occidentali arma quædam suspensa cernuntur, quibus Signifer Lusitanus, in pugna inter Hispanos Iberos, Lusitanosque, ad Taurum comissa, spoliatus fuit à nostris. Alia autem tria patent altaria ad Orientem

(1) Hoc gravissimum negotium translationis capellæ Regum novorum à domino Alphonso Fonseca inceptum est, qui, cum magnam apud Catholicum Carolum Imperatorem gratiam obtineret, et aliunde videret navem maioris Ecclesiæ dissecatam, ut ita dicamus, esse, et eius pulchritudinem fœdatam propter capellam Regum novorum, quæ à tergo chori in media navi principali posita erat; enixe Cæsarem rogavit, ut suo regio permissu alium in locum transferretur. Sed Archiepiscopo morte prævento, translatio fieri non potuit, nisi à Ioanne de Tavera eius successore. Huic regiæ capellæ unita est à me ex mandato regio alia capella, quæ denominatur Regum veterum, necnon capella Catharinæ Reginæ; ita ut omnes capellani regii eodem proventu, et reditibus annuatim perfruantur, eodem honore, et prærogativis, absque ulla imminutione oneris ac Missarum, quæ à Regibus veteribus, et novis, et à Regina Catharina statutæ fuerunt. Hoc ut clarius innotescat, sciendum est, Toleti appellari Reges veteres eos, qui antiquiores in fundationibus sunt, videlicet Alphonsos, et Sancios; novos vero posteriores, scilicet Ioannem I. et II. Enricos, et Catharinam. Unusquisque autem capellanus tenetur adimplere Missarum numerum sibi impositum, et anniversaria pro animabus Regum; et ad hoc alii debent adire antiquam Regum veterum capellam sub invocatione Crucis et Spiritus Sancti: alii adire debent, ad Sacrum celebrandum, altaria designata in nova capella, in qua sex hodie sunt, quinque marmorea iaspide, et ære deaurato, et altare maius ligneum, quod etiam renovabitur ex marmore, ut à Rege nostro Carolo IV decretum est: illa quinque altaria habent imagines S. Hermenegildi, S. Ferdinandi, Adorationis Magorum Regum, Nativitatis D. N. J. Christi, et S. Iacobi.

Adhuc scitu dignum est, regiam capellam veterum Regum à Rege Sancio sub invocatione S. Crucis erectam fuisse eodem in loco, in quo nunc situm est altare maius in maiori nave, et tempore Regum Catholicorum Ferdinandi et Elisabethæ translatam fuisse in capellam, quam ad præsens appellamus Regum veterum, ut presbyterium S. Ecclesiæ protenderetur.

Digitized by Google

tem sita, quorum principale et medium dicatum est Descensioni Deiparæ Virginis, ornatumque plurimis Divorum effictis vultibus ac signis deauratis: dextrum etiam Descensioni, sinistrum vero eiusdem Virginis Matris Assumptioni sacrum. Regum monumenta et effigies ex alabastro nitidissimo extant in parietibus, quorum cadavera translata huc fuere ex antiquis monumentis, XIII. calendas Iunii, anno Domini 1534, permissu et iussione invictissimi Cæsaris nostri, ut supra dictum est. Primum domini Enrici II. monumentum in meridionali pariete visitur, supra quod hæc legitur litterarum series: *Aqui yaçe el muy aventurado y noble caballero rey don Enrique de dulce memoria, hijo del muy noble rey don Alfonso, que venció la de Benamarin, y acabó muy gloriosamente á treinta dias de Mayo, año del nascimiento de nuestro salvador Jesu Christo de 1379 años.* Mox sequitur in eodem pariete sepulcrum Reginæ Ioannæ cum hoc epitaphio: *Aquí yaçe la muy catholica y devota reyna doña Juana, madre de los pobres, muger del noble rey don Enrique, hija de don Juan, hijo del infante don Manuel, la qual en vida ni en muerte no dexó el habito de sancta Clara, é finó á veinte y siete dias de Mayo, año del nascimiento de nuestro salvador Jesu Christo de 1381 años.* Ioannis præterea primi, dicti domini Enrici filii, monumentum in pariete septemtrionali proximum est altari maiori, supra quod huiusmodi habetur epitaphium: *Aquí yaçe el muy noble y muy cathólico y virtuoso rey don Juan, hijo del buen rey don Enrique de sancta memoria, y de la reyna doña Juana, hija del muy noble don Juan, hijo del infante don Manuel, y finó á nueve dias del mes de Otubre, año del nascimiento de nuestro salvador Jesu Christo de 1390 años.* In meridionali autem pariete apparet dominæ Leonoræ, uxoris dicti domini Ioannis, sepulcrum, cui is inscriptus est titulus: *Aquí yaçe la muy esclarescida y cathólica reyna doña Leonor, muger del muy noble rey don Juan, hija del muy alto rey don Pedro de Aragon, madre del muy justiciero rey don Enrique y del infante don Fernando: fallesció á trece dias de Septiembre, año del nascimiento de nuestro salvador Jesu Christo de 1382 años.* Deinde sequitur Enrici III. monumentum in septemtrionali pariete structum, huiusmodi habens epitaphium: *Aquí yaçe el muy temido é justiciero rey don Enrique de dulce memoria, que dios dé sancto parayso, hijo del cathólico rey don Juan, nieto del noble caballero rey don Enrique: en 16 años que reynó fué Castilla temida y honrada: nasció en Burgos dia de sant Francisco: murió dia de navidad en Toledo, yendo á la guerra de los moros con nobles del reyno: finó año del señor de 1407 años.* In hoc etiam pariete visitur Reginæ Catharinæ, dicti Enrici coniugis, sepulcrum, cuius titulus sic habet: *Aquí yaçe la muy cathólica y esclarescida reyna doña Catalina*

Digitized by Google

na de Castilla y Leon, muger del muy temido rey don Enrique, madre del muy poderoso rey don Juan, tutora y regidora de sus reynos, hija del muy noble príncipe don Juan primògénito del reyno de Inglaterra, duque de Guyana y Alencastre, y de la infanta doña Costança, primogénita y heredera de los reynos de Castilla, duquesa de Alencastre, nieta de los justicieros reyes el rey Aduarte de Inglaterra, y del rey don Pedro de Castilla, por lo qual es paz y concordia puesta para siempre. Esta señora finó en Valladolid á dos dias de Junio de 1418 años. Ad angulum dextrum est statua marmorea Regis Ioannis II. qui adauxit reditum sacellanis. Eius corpus sepultum est in monasterio Miraflores apud Burgos, habetque sub statua hoc epitaphium: *Este vulto es del muy virtuoso señor rey don Juan de esclarescida memoria, que hizo y dotó el monasterio de Miraflores de Burgos, y está en él sepultado, é su señoría dotó por privilegios esta capilla de la renta que tiene; y por eso su servidor y capellan el bachiller Arias Diaz de Ribadeneyra, capellan mayor de aquí, le hizo aquí poner, porque los capellanes de la dicha capilla ayan memoria de rogar por el anima del dicho rey en todos sus sacrificios y orationes.* Hæc epitaphia Hispana lingua referre non abs re visum fuit, ne antiquitas negligeretur, indeque lectores considerent, quantum prisca illa tempora differant à nostris in cognominibus et titulis præstandis. In quolibet autem horum sepulcrorum statua tumulati est superimposita, è marmore nive candidiore mira lapicidarum arte incisa. Regum monumentis sacellanorum sedilia subsunt, qui à populo dividuntur parvis cancellis ferreis. Hic viginti quinque sacellani maiori capellano parentes à Regibus constituti sunt. Quibus pariter quotidie cura incumbit duas Missas decantandi: primam Beatæ Mariæ, alteram pro defunctis, exceptis sollemnibus diebus, qui in hac alma Ecclesia vulgo *de Gracia* dicuntur, quippe quibus gratia hac potiri capellanis concessum fuerit, scilicet nullam ex obligatione Missam peculiarem celebrare. Gratia hæc unde processerit, licet plurimi religiosi viri quæsierint, et præcipue Reverendissimus dominus Alphonsus de Fonseca, Præsul Toletanus, flagranti animo id vestigaverit (utpote cui ex Pastoris officio iussa testatorum impleri facere incumbebat); nil tamen certi reperire potuerunt. Salva tamen meliori sententia, videtur originem duxisse ex cap. et hoc attendendum, de consec. dist. 1, ubi sic habetur. *Et hoc attendendum, ut Missæ peculiares, quæ per dies sollemnes à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut propter eas populus à publicis Missarum sollemnibus, quæ hora tertia canonice fiunt, abstratur; sed Sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe sunt, et populus in unum ad Missarum publicam celebrationem conveniant.* Nam etsi argumento quodam posset aliquis im-

impugnare, non ob illum textum Missas peculiares illis diebus licere relinquere, eo quod sacellani possent in secreto ante horam tertiam canonicam, aut post peractum Missæ sollemnis sacrificium celebrare; neutrum tamen fieri permittitur: alterum, quia omnes Templi capellæ sunt patentes, alterum, eo quod his diebus prope meridiem sæpe divina in hoc templo peraguntur: cum sane difficile foret, officiis divinis sacellanos convenire; (1) ideo arbitror gratiam omnibus factam fuisse. Dies vero sollemnes, quæ in hoc sacro Templo *de Gratia* appellantur, sunt Pascha, Natalis, et Ascensio Domini, natalis S. Ioannis Baptistæ, atque alii huiusmodi, ut in cap. si quis etiam, de cons. dist. 1. Quæ si vera sunt, male agunt sacellani, qui, gratia fungentes, neque in supplicationibus, quæ per hos dies sollemnes habentur, neque in choro divinis officiis intersunt. Singuli autem sacellani huius Sacelli in qualibet tertia anni parte sexaginta quattuor Missas tenentur celebrare. Præclara vero Regina domina Catharina, Enrici III. uxor, octo alios sub præcipuo instituit sacellanos, qui etiam obnoxii sunt singuli singulis anni tertiis quinquaginta sex Missas celebrare, citra communem, quæ per aliquem ex sacellanis vicissim quotidie, aliis psallentibus, ad primum cymbali sonum (quod de prima dicitur) hoc ordine decantatur: Dominica, de Trinitate: feria secunda, de Spiritu Sancto: feria tertia, de S. Dominico: feria quarta, de D. Ioanne: feria quinta, de Sancto Sacramento: feria sexta, de Cruce: die sabbati, de Beata Maria. Incumbit præterea eisdem, nocturnum defunctorum psallere, sine laudibus, ad primam vespertinarum precum pulsationem, præter decem et octo anniversaria, quæ quotannis pro animabus dictæ Reginæ et coniugis celebrantur. Sunt et alii duo capellani, Enrici III. nuncupati, quorum quilibet centum nonaginta duas Missas tenetur unoquoque anno celebrare, quibus stipendium prædictus capellanus maior persolvit ex ordinatione et mandato illustrissimi domini Ioannis II, eiusdem Enrici filii. Omnes vero triginta quinque sacellani habent Sacrarium commune, ubi asservantur ornamenta, inter quæ omnia potissimum est crux quædam aurea, magno quidem pretio æstimanda, variis gemmis inserta, quam Regina Catharina christiani cultus studiosissima lubenter donavit. Adstant quoque divinis offi-

(1) Unusquisque abundet in suo sensu: mihi quidem compertum est hos dies, qui appellantur gratiæ, esse sollemniores in Ecclesia matrice, in quibus omnes tenebantur iuxta antiquam disciplinam processioni et Missæ maiori assistere. Cumque exorta fuisset controversia inter canonicos, portionarios, et capellanos regios, quo in loco deberent in processione incedere, nec aliunde inter se convenirent, factum est, ut dies gratiæ remanerent capellanis regiis, etiamsi processioni non interessent. Hodie cernitur in Ecclesia Toletana aliud exemplum simillimum; nam si tempore festivitatis SS. Corporis Christi concursus oppositorum fiat ad Beneficia curata, et adsint in civitate plurimi Parochi huius Archidiœceseos, eis indulgetur, ut processioni, superpelliceo induti, non assistant, quia capellani numerarii S. Ecclesiæ Matricis nullomodo permittunt illos in processione cum ipsis permisceri.

Digitized by Google

ficiis duo clavigeri, regalia sceptra tenentes; totidemque æditui, alter quidem dicitur Regum, alter vero Reginæ, cum tribus sacrificulis. Hanc insuper pulchram capellam pulchriorem vitreæ fenestræ pellucentes reddunt. Eius lapideæ testudines totæ fere cum sepulcris et parietibus lineis distinctæ sunt aureis.

CAP. XXVIII.
De Sacello Beati Iacobi.

Quod sequitur Divi Iacobi, magnifici templi instar habet ædificium, solum ex toto Basilicæ ambitu tribus aditibus pervium. Quod olim arte et structura eleganti condere cœpit [1], dum fata manebant, dominus Alvarus de Luna, Magister militiæ Spathæ, et Castellæ Comestabilis: fecitque sibi monumentum æneum [2], et eidem propriam eiusdem materiæ statuam affixit. Quæ iussu Infantis domini Enrici, filii tertii Ferdinandi Aragonum Regis, qui Comestabilem maximo prosequebatur odio, diruta sunt; Hispani enim filios Regum post primogenitum Infantes appellant. Ex monumento autem et statua sacrum baptisterium huius sacrosanctæ Ecclesiæ fuit conflatum; seu duæ bombardæ, ut habetur in chronicis Hispaniarum, quas citat commentator metrorum Ioannis de Mena, linguæ nostræ vernaculæ insignis poeta, in metro 264 et 265; de eo enim ab eodem poeta in eo loco mentio fit. Nonnulli tamen, et forsan rectius, prædictum baptisterium, ac etiam pulpitum, è quo conciones ad populum fiunt, esse conflata asseverant. At dictus Alvarus de Luna infausta acerbaque morte præreptus [3], Sacellum hoc imperfectum sine proventu reliquit. Postea domina Ioanna Pimentel, illius uxor, reditum constituit tribus sacellanis, qui singuli quolibet mense undecim Missas pro eius et mariti animabus celebrarent. Eorum corpora latent in huius Sacelli antro, una cum cadaveribus parentis Alvari de Luna, et Petri de Luna patrui Toletani Archiepiscopi, necnon Ioannis Cerezuela, fratris uterini eiusdem Alvari de Luna, Archiepiscopi etiam Toletani, in cuius Antistitis tumulo hoc distichon inscriptum est, ex Boethio lib. de consolatione desumptum, quod

Iii qui-

(1) Priusquam Alvarus de Luna, Comestabilis, inciperet ædificium, quod hodie cernitur, capellæ S. Iacobi, iam erat eodem loco constructa capella S. Thomæ Cantuariensis, et in memoriam huius fundationis conservatur illius effigies in maiori altari, et Capitulum stationem facit in die sollemnitatis S. Thomæ ad prædictam capellam. Licet enim Capitulum cum suo Præsule acquieverit placito Comestabilis, noluit tamen abolere memoriam antiquioris fundatricis, quæ fuit domina Eleonor Regina, et uxor Alphonsi VIII.

(2) Verissimum est Alvarum de Luna magnificum æneum monumentum sibi et uxori in præfata capella erexisse, quando illi prospere cuncta eveniebant, illudque penitus dirutum iam esse. Et licet sententiæ Scriptorum varias in partes abeant, tamen æs monumenti, et statuæ conflatæ, absdubio sive baptisterio, sive ambonibus, sive utrisque, sive etiam bombardis deservierunt; maximæ etenim molis erat sepulcrum, et oculis Regis aversabatur.

(3) Vallisoleti in patibulo fuit decollatus; et quamvis noster canonicus Salazar de Mendoza apologiam Alvari de Luna, haud levibus fundamentis ductus, typis dederit, alii tamen hæsitant de quibusdam actionibus eius, quæ iudicio Dei notæ sunt.

Digitized by Google

quidem magis Comestabili congruere videtur.

Quid me fœlicem totiens iactastis amici:
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

Non tamen abs re distichon est monumento superadditum; prima enim ruina Comestabilis Alvari de Luna eius fratris, è regia curia in exilium eiecti, paucis diebus ante Archiepiscopi obitum acciderat. Monumenta autem eorum marmorea, extrenueque excisa, duo Comestabilis et dominæ Ioannæ Pimentel coniugum in medio Sacelli pavimento; reliqua vero intra concava parietum apparent. Dominæ etiam Elviræ de Fuensalida institutione in eodem Sacello quinquies unaquaque septimana divinum peragitur sacrificium ab uno ex portionariis non alienæ capellæ astricto, cui pariter et aliis, quos prædiximus, unicus æditus exhibet ministerium.

CAP. XXIX.
De Sacello Sancti Alphonsi.

Huic connexum est Divi Alphonsi Sacellum, ubi sūb auroræ exortum Missa ea de re celebris, in honorem Sanctissimæ Virginis dedicata, peragitur, quæ vulgo à Sacelli nomine Divi Alphonsi appellatur, à domino Roderico Toletano Archiepiscopo, qui historiam Hispanicam conscripsit, instituta. Iacet in hoc Sacello corpus domini Ægidii de Albornoz Cardinalis, Toletani Archiepiscopi, ducisque generalis Ecclesiæ Romanæ, qui patrimonio Beati Petri urbes multas, et municipia (ut diximus) restituit[1]. Cuius cadaver ex Assisio humeris piorum hominum, concessa indulgentia, in natali Sancti Bartholomæi huc evectum, in media Sacelli parte marmoreo monumento situm est. Eodem vero die singulis annis per dominum Decanum et Capitulum anniversarium in memoriam tanti Præsulis agitur, cui ob eius inclita facinora Ecclesia nostra hoc præstat beneficium; die enim sollemni nullum anniversarium in hoc sacro Templo celebrari consuevit. Corpus præterea domini Ioannis à Contreras, Præsulis itidem Toletani, in concavo parietis septemtrionalis eiusdem Sacelli conditur: obiit autem 16 die Septembris, anno à Christo nato 1434. Est et aliud sepulcrum admodum celebre in pariete meridionali, ubi iacet cadaver domini

(1) Sedes Pontificia, quæ spatio annorum septuaginta Avinione resederat, iterum Romæ restituta fuit industria, armis, et virtute Ægidii de Albornoz, qui Bononiæ maius S. Clementis Hispanorum collegium erexit, et dotavit, ipsamque civitatem auxit, exornavit, et aquæductum, aliaque id generis opera publica munificentissime perfecit.

Summus Pontifex, ut corpus prædicti Cardinalis humeris hominum Toletum deferretur, indulgentiam plenariam cunctis, etiam ad modicum tempus illud portantibus, concessit; cumque Rex ipse Enricus II. Toleti degeret, humerum etiam applicuit, ut illo beneficio spirituali potiretur. Usque in præsens Bononia civitas et fere tota eius provincia Ægidiana constitutione regitur, ut videre est in Cardinali Petra in commentario illius constitutionis.

Digitized by Google

ni Alphonsi de Albornoz, Episcopi Abulensis, nepotis domini Ægidii de Albornoz. Cuius Episcopi impensis duo sacellani singulatim centum quinquaginta sex Missas quotannis celebrare tenentur. Alius itidem tumulus in pariete eodem meridionali cernitur, ubi iacet dominus Iñigus à Carrillo, atque Mendoza, Sardiniæ insulæ Prorex, domini Ægidii de Albornoz nepos, frater dicti Episcopi Abulensis, cuius statua armata tumulo superimposita est: obiit enim in castris Granatensibus anno Domini 1491. Alia etiam capellania est in hoc Sacello ab Alvaro de Iarava Scholastico Conchensi, et à Petro Ramirez Scholastico Toletano, dicti Cardinalis familiaribus, cum officio trium Missarum in qualibet hebdomada instituta, quorum cadavera in eodem Sacello sepulta sunt. In quo duo æditui, alter primæ lucis Missæ, alter ceteris omnibus deserviunt[1].

CAP. XXX.
De Sacello SS. Trinitatis.

Sanctissimæ Trinitatis Sacellum huic proximum, iam ruinosum, vivens refecit admodum Reverendus Guterrius Diaz, canonicus Toletanus, sub statua propria in pariete ibidem tumulatus. Ubi quotidie Missa peragitur à duobus sacellanis hebdomadatim celebrantibus, per eumdem Guterrium Diaz assignato reditu, instituta. Qui prudentia et pietate insignis, in suo testamento annuum censum reliquit, ad emendum frumenta quotannis, per duos ex canonicis egenis verecundis distribuenda: addidit tamen, ne quis ad id deputatus, plures octo, aut pauciores quattuor tesseras frumentarias (quas *hanegas* vulgo dicunt) pauperibus hisce tribueret, ut ex titulo in pariete meridionali inscripto constat, idque litteris apostolicis roboravit.

CAP. XXXI.
De capella S. Nicolai.

Prope est parvula quædam ianua, supra cuius limen structa eminet ædicula, Divo Nicolao exactæ sanctitatis et fidei sacra, ubi legitur epitaphium Nuñii Didaci, Archidiaconi Talaverenensis, in marmore parieti inserto litteris versicoloribus incisum huiusmodi.

Hac tumba tectus Nuñius Didaci iacet rectus,
Dogmate provectus, virtutum culmine vectus:
Nomine ſabilis, estque amabilis, opere charus,
Genere, munere, fœdere, funere, indole clarus:
Archidiaconus nobilis Talaveræ vocatus,
Qui pius populis migravit ad alta beatus:

Iii 2 *No-*

(1) Descriptio altaris S. Ildephonsi cum imagine descensionis Beatæ Mariæ, et S. Ildephonsi, à peritissimo artifice Emmanuele Alvarez facta, nimis diffusam exposcebat narrationem, à peritis architecturæ, et sculturæ faciendam: qui igitur voluerit perspicere, quo attigerit in arte sua Hispanus artifex, accedat ad Ecclesiam, et certe mirabitur. Forma superat opus, non vero materia, licet constet ex omni genere marmoris, et æris deaurati. Omnia iussu nostro expensis fabricæ S. Ecclesiæ elaborata sunt.

Digitized by Google

Nobiles sapere habiles opere hicque dilexit,
Quos prædicatores orbis deus ſine direxit:
Obiit Augusto mense dies ante triginta,
Mille trecentis annis octo quadraginta.

In hoc Sacello duo sunt sacellani, quorum quilibet quinque Missas in septimana celebrare tenetur: alter pro Cardinalis domini Gundisalvi; alter vero pro Archidiaconi Mantuani animabus. Dicta autem parvula ianua aditus est pueris ad scholam, ubi sub magistro musicæ dant operam [1], ad aliasque plures cellas, Ecclesiæ ministerio destinatas. Nam iuxta scholæ ianuam scalæ assurgunt, quibus ascendimus ad locum, in quo cera dumtaxat in hac alma Ecclesia distribuenda conficitur, et præparatur in aprico quodam magno, quod fenestris lateritiis, orientem solem spectantibus, extrinsecus pulchrum apparet. Intra scholam puerorum latet cubiculum, ubi hebdomatici clericuli, noctu ad matutinas horas surrecturi, dormiunt [2]. Inferius iuxta aditum se offert rationarii huius sacri Templi cellula, qui reditus et chirographa ad fabricam pertinentia, fabricæque impensas fideliter scribit. Non longo abhinc tractu quibusdam scalis descendimus ad impluvium, ubi lapicidæ Ecclesiæ artem suam exercent; estque ibi posticum viam publicam versus ad lapidariorum egressus ingressusque copiam.

CAP. XXXII.

De capitulo, seu conclavi, ubi Archipræsul et canonici ad Ecclesiæ gubernationem congregantur.

Conclave, seu (ut nostri volunt) capitulum deinde sequitur, ubi Illustrissimus Archipræsul, Decanus et canonici ad Ecclesiæ gubernationem et ministerium suo ordine consident. In quo iam non, ut in reliquis ædificii partibus, artificum manus laudemus, sed providæ administrationis commoda admiremur. At si quis velit exteriora (quæ patent) contemplari, inveniet imprimis vestibulum, ubi quondam fuit Beatæ Elisabeth de Ungaria Sacellum: quod forsan nobilis quidam vir, nomine Cyprianus, cum coniuge propriis ædificavit sumptibus, de quo titulus, ad Sacelli fornicem in hunc modum scriptus, quodam modo testificatur: *Cebrian é su muger fecieron estas bobadas.* Quæ verba quemadmodum se illic habent, referre volui, ut in eis maiorum simplicitatem consideremus. Cum enim Cyprianus hic dictum Sacellum erexerit, seu verius hanc Templi partem suis ipse expensis concameraverit, cognomen inscribere in

(1) Hac in Ecclesia præter cantum planum, quem denominamus Toletanum, est alius cantus melodicus, quem appellamus Eugenianum; et recte, nam originem ducit à S.Eugenio III. Præsule Toletano, qui, cum esset musicæ peritissimus, cantus melodicos, pessime corruptos, emendavit, et pueros, seu clericellos edocuit.

(2) Hodie separatim clericelli extra Ecclesiam habitant in domo magistri à Capitulo deputati.

in titulo noluit, nomine tantum baptismali contentus. Huius videtur esse sarcophagum marmoreum, quod, iuxta valvas capituli parieti meridionali adhærens, porphyriticis columnellis innititur. Inter hoc monumentum,[1] ac primum conclavis ostium, apparet cellula, ubi quidam sacellanus crebro adsistit, vinum et hostias omnibus ferme, in hoc sacro Templo celebrantibus, expensis dominorum Decani et capituli impartiens. Prope conclavis primum ostium residet sceptrifer (qui et perticarius), recipiens venientes ad negotia; et nunciat dominis Decano et canonicis, ut de illorum mandato, cum expedierit, eos intromittat, aut vocet quoscumque iussus fuerit. Sceptriferi vicem (eo absente) alter pro Ecclesiæ ministerio agit, ac citationibus aliisque negotiis tribunalis Archiepiscopi inservit. In limine superno exterioris ianuæ visitur effigies Beatæ Mariæ Virginis, Redemptorem nostrum in suo gremio foventis. Continuo se offert atrium, pulchrum, speculari fenestra meridionali illustratum; eius vero parietes intrinsecus variis fruticum figuris virent. Deinde sequitur senatus, alia etiam fenestra meridionali illustratus, eiusque parietes, undique Sanctorum imaginibus et historiis mirifice depictis vestiti, apparent admodum speciosi. Laquearia senatus, atque atrii, perpulchro artificis opere elaborata, auro splendescunt. In huius senaculi fronte contra valvas locum tenet sublimiorem Archiepiscopi sedes, quam hinc inde circumstat canonicorum geminus ordo sedilium. Supra quæ imagines præteritorum Archipræsulum perquam graphice sunt depictæ; adeo ut spirare protinus credat is, qui non prius pictas cognoverit. Horum Sancti ab aliis aureo diademate, mitra Archiepiscopali incluso, distinguuntur.

CAP. XXXIII.

De nominibus Archiepiscoporum huius sacri Templi ad nostra usque tempora.

Ne tuam celsitudinem lateant nomina Archipræsulum nostræ Ecclesiæ ad usque nostra tempora præteritorum, dignum duxi, eadem serie, qua in capitulo sunt posita, recensere.[2] A Divo igitur Eugenio Martyre, qui primus huius almæ Ecclesiæ fuit Antistes, exordiamur; ac de ceteris deinceps, prout ordine suo post ipsum sunt secuti. Pelagius, Patrunius, Turibius, Quintius primus, Vincentius, Paulatus, Natalius, Audentius, Asturius, Isitius, Maiori-

(1) Hæc omnia immutata sunt, et in meliorem formam redacta.

(2) Hæc series Præsulum est admodum imperfecta, et in multis deviat ab ea, quæ in aula capitulari est posita, magis correcta à clarissimo viro domino Ioanne Baptista Perezio Valentino, canonico Toletano, et fabricæ Ecclesiæ Præposito, postea Episcopo Segobricensi, qui in perscrutando archivio, Bibliotheca, et Conciliis Toletanis multum insudavit: quem, etsi adnotationes, et opera sua prelo non dederit, auctores tamen emunctioris naris usque ad cœlos extollunt, et Cardinalis de Aguirre merito fatetur maxime ad suam collectionem Conciliorum sibi deserviisse. Ut ergo in posterum series Præsulum clarius appareat, supra in hoc III. tomo illam subiecimus una cum serie Conciliorum Toletanorum, Regum, et Reginarum Hispaniæ.

rinus, Castinus, Campeius, Sintatio, Praumatius, Petrus primus, Ceisivis, Montanus, Iulianus primus, Bachandus, Petrus secundus, Eufemius, Excipius, Adelphius, Aurasius, Sanctus Heladius, Iustus, Eugenius secundus, Eugenius tertius. (1) Et quamvis dies natalitius huius Eugenii à nostra Ecclesia non celebretur, propterea forsan quod catalogo Sanctorum adscriptus non fuerit; Didacus tamen de Valera historicus in 3. part. chronicorum cap. 3: Ioannes Iason in vitis Sanctorum, cum de sanctimonia, moribus, et vita Divi Alphonsi tractaret, crebro Eugenium tertium Sanctum appellant. Et communis sermo inter Toletanos cives habetur: Eugenium agnatum Divi Alphonsi, candidissimæ Virginis sacellani, fuisse Sanctum; quem, cum sanctissime vixerit, divina fruitione lætari, non ambigendum est.

Sanctus Ildephonsus obiit anno 664: Quintius, sive Quiriacus, aut Cyriacus: Sanctus Iulianus obiit anno 680: Felix: Sisibertus, aliàs Sicarius: Guterrius, Sinderedus primus, Sugifredus, Concordius, Exilanius, Eupandius, Hinistrentius, Sinderedus secundus. Oppas Hispalensis fuit hoc tempore, cuius proditione et astutia, ut in nostris historiis habetur, utraque Hispania in barbarorum ditionem venit. Bernardus, qui fuit primus Archiepiscopus huius Ecclesiæ, postquam Toletum restituta fuit Christiano cultui: Raymundus, antea Oxomensis Episcopus: Ioannes primus, Celebrunus, Gundisalvus primus, Petrus de Cardona, Martinus, Rodericus, Ioannes secundus, Guterrius primus, Petrus filius Regis Castellæ, Paschasius. Sanctius, filius Regis Aragonum, claruit tempore Alphonsi Regis, cognomine Sapientis, qui composuit septem partitum opus (quod Hispane dicitur *siete Partidas*). Hic Præsul inclitus in humanis agens fidei zelo contra Saracenos in confinibus Bæticæ tribunus maior militum Regis Alphonsi fuit. Qui, dum incautus in hostes irrumpens, milites suos antecederet, captus, obtruncatusque fuit. Nam cum singuli duces vellent captivum Præsulem in triumphum habere, ne inter ipsos dissensio oboriretur, quidam ex eis caput Antistiti ense falcato amputavit. Postmodum vero huius Primatis corpus delatum fuit Toletum, sepultumque prope Regum veterum monumenta, quæ (ut diximus) in proprio Sacello erant illic, ubi nunc altare Basilicæ præcipuum est; supra cuius tumulum hæc erant inscripta carmina, iure Regibus Principibusque memoriæ mandanda.

Sanctius Hesperiæ primas ego regia proles
Aragonum: iuvenis sensu feror hostis in hostes.
Turbidus, incautus, mihi credo cedere cuncta.
Nec minimum fallor, quia credens vincere vincor.

Sic

(1) De tempore, ex quo Eugenius III. in Ecclesia colitur universali, et Toletana, verba fecimus in serie Archiepiscoporum huius Ecclesiæ Primatis.

Digitized by Google

Sic quasi solus ego pereo ; dat dogma futuris
Mors mea , ne dominus præcedere marte sit ausus.

Continuo successit Gundisalvus secundus Cardinalis , Ximenez, Gundisalvus tertius , Guterrius secundus , Ægidius de Albornoz Cardinalis , prius Archidiaconus Calatravensis : Blasius , Vascus à Toleto , Gometius Manricus , Petrus Tenorius tertius , Petrus de Luna quartus , Sanctius de Roxas secundus , Ioannes de Contreras tertius , Ioannes de Cerezuela quartus , Guterrius à Toleto tertius, Alphonsus secundus cognomento Carrillo , Petrus de Mendoza quintus , Cardinalis Sanctæ Crucis in Hierusalem , Patriarcha Alexandrinus &c. Fr. Franciscus Ximenez à Cisneros , Cardinalis Sanctæ Balbinæ , Hispaniæ Gubernator , Africæque debellator : obiit octavo Novembris , anno Domini 1517 : Guillermus de Croy primus , Cardinalis , Episcopus Cameracensis, natione Flandrus : obiit in Germania, non visa Hispania, 11 Ianuarii, anni 1521. Alphonsus de Fonseca tertius , vir pius et clemens : obiit quarto Februarii , anni 1534. Ioannes Tavera quintus, Cardinalis tituli Sancti Ioannis ante portam latinam , vir prudentia et temperantia eximius : obiit calendis Augusti, anni 1545. Cui Reverendissimus dominus Ioannes Martinus Siliceus, tuæ celsitudinis magister , confessor , et maior sacellanus , perquam digne successit , qui in hac Archiepiscopali gubernatione (nisi interim te auctore ad summum pontificatus fastigium pervenerit) Nestoreos feliciter vivat annos.

CAP. XXXIIII.

De concionibus quæ in hoc sacro sancto Templo habentur.

Sed priusquam ab hoc loco discedamus , admonere lectores volumus , statis quibusdam diebus quotannis in hoc amplissimo capitulo[1] conciones publicas latine haberi , quibus privatim beneficiarii , et postremo universa turba ad honestatem et virtutem admonentur. Prima concio XVI. calendas Novembris habetur (qui dies sacer Divo Lucæ est) à grammaticæ artis professore : ad bonas artes capessendas universi auditores incitantur , quoniam ab eo die publico studiosorum consensu studiis et litterariis vigiliis acrius incumbitur;

ac

(1) Veteri ex disciplina monastica descendit mos ille servatus nostra in Ecclesia habendi concionem , seu homiliam in aula capitulari , finita hora prima , in qua Præsul , si adfuerit , et in absentia illius Decanus , vel qui Capitulo præsit , hortatur ad observantiam silentii in choro , cæremoniarum , et mutuæ caritatis inter fratres capitulares; mentionem faciens ante quadragesimam antiquæ severioris disciplinæ : in Resurrectione Dominica temperantiæ in lætitia, epulis , et comessationibus , et prout viderit magis expedire. Latina vero oratio antea , post expulsionem scilicet Maurorum , à canonico fieri solebat ; postea vero introductum fuit , ut à collega , seu clericello pronunciaretur. Quoniam priscis Ecclesiæ sæculis monasteriorum Abbas monachos homilia quadam præfatis diebus adhortabatur ad observantiam disciplinæ monasticæ , quod etiam nunc servatur in aliquibus monasteriis : et licet canonici nostræ S. Ecclesiæ votis sollemnibus monachorum nusquam fuerint obstricti , tamen quasdam consuetudines monachorum Benedictinorum , qui è Gallia venerunt , retinent.

Digitized by Google

ac proinde oratio in laudem scientiarum dicitur, conscenso suggesto, si forsan Præsul adesse contigerit; sin minus, in secundo gradu Archiepiscopalis sedis, pulvino purpureo desuper strato. Secunda, postridie festi omnium Sanctorum, defunctorum memoriæ tribuitur, quam Decanus, aut ab illo subrogatus, quemadmodum et reliquas, de quibus dicemus, habiturus est. Tertia diem Cinerum sibi vendicat, ubi de rerum humanarum contemptu agitur: habetur hæc statim ut preces orariæ (quæ primæ in choro dicuntur) finitæ sunt. Suscipiunt hanc alia, quæ ad diei religionem pertinent; et demum altera Hispana concio, quam universus populus congregatus audit in loco, ubi de more fieri consuevit. Hoc ideo dixerim, ut Ecclesiæ nostræ pietas innotescat, quæ ferme sub eodem tempore duabus concionibus, alteræ latinæ, alteræ hispanæ operam dat. In hebdomada sancta duæ itidem die Iovis, et die Sabbati recitantur, quarum altera ultimam Domini nostri cœnam, qua augustissimum illud Sacramentum institutum est; altera sepulturam Dominicam commendat. Feria secunda post Resurrectionem lætitia de Christo vivente concepta, et spes futuri sæculi concionatori declamanda est. Claudit numerum Deiparæ, et Intemeratæ Virginis Assumptio, nam postridie eius diei de ea re concio habenda est. Convenitur ab omnibus beneficiariis ad eas audiendas, neque abesse sine mulcta licet. Et quoniam concionum, quæ latino sermone habentur, mentionem fecimus, non abs re erit, et de hispanis non nihil recensere: ad quas adeo frequenti, et assidua turba convenitur, ut facile quisque coniecturam inde faciat huius urbis devotionis et pietatis. Quæ præfinitæ et statæ habentur, omnes numero quinquaginta novem sunt: ex quibus triginta septem loco publico et celeberrimo, ad eos usus nimirum structo, recitantur: is est eminens illud, et porphyriticum suggestum, quod à parte sinistra maioris Sacelli collocatum esse diximus. At quæ supersunt viginti duo, summo mane ad primum cymbali sonum privatis Sacellis, aut locis aliis sacratis dicuntur, quales permulti in columnis Templi sunt: nam cum olim pilis eisdem altaria adhærerent, maioribus nostris Templi spatium prudenter dilatantibus, monumenta solum remansere, Divorum memoriam tantummodo observantia, ut cap. de oratoriis patebit. Rursus ex illis triginta septem, quæ magis publicæ et graviores sunt, nec quibusvis temere commissæ, viginti sex monachorum cœnobia, quorum magna copia in urbe nostra est, more maiorum iam olim sibi vendicant. Series vero (prout annus volvitur à Dominicis adventus inchoantibus) talis quædam præscripta est: prima adventus Dominica cœnobio Divi Petri Martyris, quod Prædicatorum est, conceditur: secundam deinde Divi Francisci asseclæ obtinent: tertiam monachi Divi Augustini: quartam Carmelitæ: quo ferme ordine usque ad Virginis Sanctissimæ Nativitatem, quæ VI idus Septembris recolitur, à viris eorumdem cœnobiorum, doctis pariter et religiosis, ad

Dei

Dei laudem tandem eloquia sacra absolvuntur. Undecim alia festis aliquot de more diebus à viris theologis, quorum vita et doctrina spectata sit, recitantur. His poteris et aliam numerare concionem, quam universum Capitulum singulis hebdomadibus quadragesimæ tempore commendat, quæ certo quodam (prout ipsis videtur) die publico illo suggesto pronunciatur: præter has adhuc, singulis quadragesimæ hebdomadis, feriis secunda, quarta, et sexta, in claustro, matutino tempore, ad tertium cymbali ictum, à Divorum Dominici, Francisci, et Augustini asseclis (iuxta præscriptum superius ordinem) conciones non minori frequentia habentur, ut urbs nostra populosissima est, quam quæ postea pro rostris pronuntiantur, hoc est, loco illo amplissimo et gravissimo, ubi suggestum porphyriticum cernitur. Dominicis vero eiusdem quadragesimæ diebus statim post meridiem, spatio, quod inter portam Indulgentiæ et chorum beneficiariorum est, Sanctæ Trinitatis monachi (qui cruce insigniti sunt) concionaturi de more accedunt, ligneo suggesto ad tempus apposito; maioribus nostris, quibus magna pietatis cura fuit, hoc unum contendentibus, ut omnium ordinum hominibus, omnisque sexus, et cuiusvis tribus, evangelica doctrina ferme omnibus diei horis declaretur.

CAP. XXXV.

De Sacellis Divorum Ægidii, Ioannis Baptistæ, ac Beatæ Annæ matris sanctissimæ Virginis Mariæ.

Statim sequitur Divi Ægidii Sacellum, ubi quattuor capellaniæ habentur: prima à femina quadam, Hispana lingua *doña Sol* nuncupata, instituta, cum quinque Missarum occurrentis diei officio in qualibet hebdomada: altera à domino Raymundo, canonico Toletano, sub cura centies et quinquies annuam peragendi celebrationem: tertia ab Alvaro Lupo, Toletano canonico, cum officio centum nonaginta quinque Missarum quotannis celebrandarum: quarta denique sub duarum et quinquaginta quotannis Missarum cura, à Petro Fernandez de Villalobos, canonico itidem Toletano, relicta est.

Continuo se offert Sancto Ioanni Baptistæ sacer locus, ubi dominus Gundisalvus (1) bonæ memoriæ Archiepiscopus Toletanus, qui ex omnibus huius almæ Ecclesiæ Præsulibus primus (ut fertur) apicem Cardinalatus obtinuit, quinquies pro defunctis in hebdomada rem divinam faciendam iussit. Deinde doctor Fernandus Diaz, Archidiaconus Nebulensis, ac Toletanus canonicus, Præfectus Sacello, quod novorum Regum dicitur, quattuor instituit hic Missas hebdomadatim celebrari pro animabus Regum et Reginarum in

Kkk Sa-

(1) Gundisalvus II. Garcia Gudiel, patria Toletanus, et S. Ecclesiæ Archidiaconus Titularis, postea Episcopus Conchensis, inde Burgensis, avunculus fuit alterius Gundisalvi Diaz Palomeque, Præsulis Toletani, qui ei immediate successit. Hæ familiæ Gudiel et Palomeque inter perillustres Toletanas Mozarabes numerantur.

Digitized by Google

Sacello sitorum, cui ipse præfuerat, necnon Fernandi Aragonum Regis, et Leonoræ illius coniugis. Duodecim præterea quotannis anniversaria, quæ postea auctoritate apostolica ad duas tantum Missas in septimana, anniversaria vero ad octo dumtaxat redacta sunt. Tria ad hæc festa, scilicet, Divi Gregorii, Sancti Fernandi, alias Sancti Antonii de Padua nuncupati, et conversionis Beati Pauli celebranda reliquit. Item in ultimis mensium quorumlibet Sabbatis Missam defunctorum sollemnem per sacellanos, novorum Regum adpellatos, cereos albos in manibus habentes incensos, celebrandam instituit. Tandem quovis anno tertia die Octobris anniversarium in memoriam dicti Fernandi Diaz, Archidiaconi, ab Ecclesiæ proceribus agitur. Ipsius vero Archidiaconi celebre monumentum in concavo parietis orientalis huius Sacelli clathris ferreis custoditur. Quod Sacellum observandis eius ornamentis recessum continet, in cuius ara, ibi Divo Britio dicata, quattuor Missæ singulis hebdomadis à Catharina domina oppidi, *de Solera* dicti, institutæ pro anima eius et suorum recitantur. Æditus autem huius capellæ à primo sono tintinabuli, quod dicitur de prima, ad usque peractum Missæ maioris officium ornamenta ceteraque divino cultui necessaria cunctis ibidem celebrare volentibus tenetur ministrare.(1)

Statim Beatæ Annæ Sacellum sequitur, ubi duæ capellaniæ per Reverendissimum dominum Rodericum, Archiepiscopum Toletanum, institutæ sunt: prima pro animabus domini Fernandi Regis, et eius matris dominæ Berengariæ, cum cura quinque Missarum in septimana; altera etiam cum totidem Missis pro animabus parentum et fratrum eiusdem domini Roderici.

CAP. XXXVI.
De Sacello Regum veterum nuncupato.

Proximum huic est Sacellum Sanctæ Crucis, quod aliis etiam duobus nominibus appellatur: scilicet Spiritus Sancti, eo quod hic olim solebat esse Sacellum Sancti Spiritus; et Regum vetustorum (2), propterea quod in eo pro dictorum Regum animabus divina peraguntur officia: fuitque primitus ædificatum sub invocatione Sanctæ Crucis in loco, ubi nunc præcipuum Ecclesiæ altare situm est, indeque causa ampliandi chori sublatum, huc, ubi cernitur, translatum fuit. Corpora vero clarissimorum Regum, qui ipsum fundavere, iuxta dictum maius altare super fornicibus extrenue elaboratis (ut supra diximus) iacent sepulta, quod ex ti-

(1) Hoc Sacellum S. Ioannis Baptistæ deservit officiis capellanorum S. Ecclesiæ simul cum sacristia.

(2) Hoc Sacellum Regum veterum constructum fuit ab Archiepiscopo Gundisalvo Diaz Palomeque, ut sibi et eius propinquis ad sepulturam deserviret; et cum capellani Regum veterum huc translati fuerint, et stemmata Archiepiscopi sublata, eiusque in locum regia collocata, corpora Archiepiscopi, et cognatorum eius inde fuerunt educta, et translata in proximam capellam S.Luciæ, ubi iacent absque ulla inscriptione, et à tergo loculorum ligneorum, qui deserviunt ad servanda indumenta choralia canonicorum.

Digitized by Google

titulo, in pariete huius Sacelli Hispane exarato, constat, qui ita se habet: *Esta capilla del rey don Sancho de gloriosa memoria fué fundada so invocacion de la cruz do está aora el altar mayor de esta sancta yglesia, y quedando los cuerpos de los reyes á los lados del altar, fué trasladada aquí por mandado de los cathólicos príncipes don Fernando y doña Ysabel nuestros señores en 18 de Enero de 1497 años.* Sacellum vero ipsum totum desuper testudineum est, habens in fornicis summitate duos arcus in modum crucis, in cuius medio sunt stemmata Regis Castellæ et Legionis, circulo aureo insignita. Continetque tria altaria orientem versus, erecta suis tabulis mire depictis, ac signis auratis decorata. Medium præcipuum est, ac Spiritui Sancto paracleto dicatum: dextrum vero Divo Ioanni Evangelistæ: sinistrum autem Sanctæ Catharinæ; quod quidem altare olim Divo Michaeli sacrum esse solebat. Illustratur Sacellum duabus specularibus fenestris: altera supra pia signa altaris medii cernitur, Redemptoris nostri à mortuis resurgentis imagine, et sub eius pedibus regiis stemmatibus decora: altera in pariete meridionali Spiritus Sancti adventus in discipulos imagine effigiata splendet. Sedilia vero sacellanorum, ex nuceis tabulis confecta, parietibus hærent è regione ararum. Supra sedilia eminet aquila Cæsarea, biceps, servans in pectore insignia Regum Castellæ et Legionis. Continet dicta capella Sacrarium, ubi omnia eiusdem Sacelli ornamenta, atque alia ad divinum cultum spectantia custodiuntur; in quo scalæ habentur, quibus ascendimus ad quoddam impluvium subdiale, ministerio Sacerdotum destinatum. Ipsi autem sacellani Missam quotidie sollemnem ad primum cymbali ictum, quod dicitur de prima, celebrare tenentur, ubi et claviger adsistit, regia sceptra tenens. Ordo vero Missarum huiusmodi est: Dominica, Missa quinque plagarum: feriis 2, 3, 4, et 5, pro defunctorum Regum animabus peragitur: feria 6, de Sancta Cruce: die Sabbati, de Matre Virgine: et hic modus per totum annum habetur, exceptis sollemnibus diebus, qui (ut superius commemoravimus) de gratia appellantur. Præter eam vero Missam, quæ ab omnibus simul peragitur, quivis sacellanus tenetur pro eisdem Regibus et Reginis quotannis centum triginta duas Missas celebrare. Post meridianum autem tempus nullum hic divinum dicitur officium, dempta omnium Sanctorum sollemnitate, in qua pro dictis Regibus et Reginis ad primam pomeridianam horam officium defunctorum vespertinum cum tribus nocturnis et laudibus decantatur, quo peracto, præeunte sceptrifero, puerisque togatis crucem cereosque deferentibus, Presbyter, veste amictus funebri, procedit: quem reliqui Sacerdotes, horarias psallentes pro defunctis preces, sequuntur usque ad chorum augustiorem, ubi sub mausoleis iacent corpora regia, quibus aqua lustrali aspersis, omnes suo ordine ad Sacellum revertuntur. Porro sacellani (qui tredecim cum præcipuo sunt) sola provisione regia,

Digitized by Google

absque ulla apostolica, vel ordinaria collatione admittuntur. Clauditur denique sacellum clathris ferreis, utrimque circa verticem deauratis, in cuius culmine media est crux ferrea mediocris magnitudinis, undique etiam deaurata, infra quam videre est insignia Ecclesiæ, scilicet Virgineæ descensionis figuram in dextro latere, et in sinistro domini Alphonsi de Fonseca Antistitis, regiis interpositis stemmatibus. Inter extremos cancellos et aram contiguam scutum cernitur, epitaphium memorabile continens huiusmodi: *Aquí yaçe don Martin Martinez de Calahorra, arcediano de Calatrava, y canónigo de Calahorra, é fué electo en concordia para ser obispo de la yglesia de Calahorra y de la Calçada, é no lo quiso rescebir por honra de la yglesia de sancta María de Toledo: é finó nueve dias andados del mes de Abril año de 1368 años.* Ex quo (si animadverteris) et templi Toletani maiestatem excellentem, et dicti Archidiaconi bonitatem insignem facile agnoveris, qui, ne huic celebri ac sacræ Basilicæ iniuriam aliquo modo irrogare videretur, Archidiaconatu, nec ex uberioribus huius Ecclesiæ, contentus, tam illustrem, tamque opulentum Episcopatum (eius gloria minimeillectus) acceptare noluit.

Prope est ara pilæ cohærens, Mariæ Virgini (quam *de Consolatione* appellant) dicata, per dominum Gomezium Manricum erecta, quæ multis miraculis claruit: præcipue resurrectione puelli et feminæ, infectoris cuiusdam (ut ferunt) coniugis, quorum lignei loculi in perpetuam rei memoriam iuxta hanc aram pendent ad parietem.

CAP. XXXVII.

De capella Sanctæ Luciæ.

Sanctæ Luciæ Sacellum (1) mox sequitur: in quo Reverendissimus dominus Rodericus Archipræsul duas instituit capellanias: alteram quinque Missarum in hebdomada pro anima Regis domini Alphonsi, qui Toletum ab Agarenorum manibus eripuit; alteram cum totidem Missis pro eius devotione. Accesserunt insuper aliæ duæ capellaniæ: prima quidem à domino Ioanne de Morales, Archidiacono Guadalfaiario, cum officio ter in septimana rei divinæ faciendæ, altera vero à Francisco Fernandez, Cantore Secontino, sub cura centum quinque Missarum singulis annis, constitutæ. Dictus Ioannes de Morales apud Toletum pontem (2), de Guadaiaraz nuncupatum, propriis struxit expensis, quem Capitulo huius almæ Ecclesiæ reliquit. Quattuor in hoc Sacello habentur sepulcra: unum in ipso ferme ingressu ad latus sinistrum, brevibus è iaspide suffultum columnellis, superaddito hoc epitaphio:

G.

(1) In hoc Sacello erat altare ligneum pessimæ formæ, in cuius locum erectum est aliud marmoreum, optime elaboratum, cum imagine S. Luciæ.

(2) Pons iste dirutus cernitur.

Digitized by Google

G. miles Didaci iacet hic heu morte rapaci:
Ob cuius letum tristatur tota Toletum.
Dapsilis, et charus, humilis, pravis bene rarus.
Omnibus hic gnarus, præclaro sanguine clarus.
Mitibus hic mitis, tamen hostibus esse studebat
Hostis; fulgebat propter certamina litis,
Militiæ semper hic suspirabat ad usum,
Ad requiem torpebat: ad arma volabat:
Moribus ornatus, simul alloquioque beatus:
Marmore sub solido iacet hic miles tumulatus.
Christe redemptor ei præsta solium requiei,
Nostræ vita spei parce redemptor ei.
Iste die prima fuit Aprilis tumulatus,
Æra millena tricentenaque tricena,
Necnon et terna tulit hunc manus ipsa superna.

Alia duo monumenta hærent orientali parieti, quorum alterum ligneum domini Petri Barrosi, Episcopi Seguntini, corpus habet reconditum; qui obiit IV calendas Augusti Æra 1324: alterum marmoreum est, ubi (ut aiunt) cadaver Dominici Paschasii [1], canonici Toletani, iacet: qui in cruento conflictu portus, quem Hispane dicunt *del Muladar*, vexillum Sanctæ Crucis manibus ferens, coram Archiepiscopo domino Roderico ferri solitum, per Agarenorum acies miraculose illæsus transivit. Hæc olim sita erant in capella Spiritus Sancti, quæ, dum sacellanis regiis colenda daretur, in hanc translata sunt. In pariete autem meridionali ad dextram altaris hoc epitaphium legitur:

Hoc positus tumulo fuit expers improbitatis.
Intus et extra fuit immensæ nobilitatis.
Largus, magnificus fuit, et dans omnia gratis.
Et speculum generis, totius fons bonitatis.
Cuius larga manus ignorans clusa manere;
Cunctis dans cuncta cunctos novit retinere.
Cuius porta domus non claudebatur egenti:
Neque alii cuiquam, sed aperta stabat venienti.

Nec

(1) Hic Dominicus Paschasius primum fuit canonicus Toletanus, crucemque Archiepiscopalem portavit in prœlio, quod denominamus *de las Navas de Tolosa*, in montibus Marianis, vulgo *Sierra morena*, ubi nunc posita sunt nova oppida *Carolina*, viaque strata admodum spatiosa, magnifica, et regia. Crux præfata colitur in Ecclesia oppidi *de Vilches*, quod situm est in summitate montium Marianorum prope locum, ubi commissum est prœlium contra Miramamolinum ab Alphonso VIII Castellæ Rege, necnon à Regibus Iacobo Aragoniæ, et Sancio Navarræ. Vicarius à nostro Catholico Rege nominatus mihi asseruit, crucem prædictam existimari à fidelibus esse ferream; sed suspicor esse æream, et deauratam, licet temporis iniuria nigra appareat. Vide in Catalogo Præsulum Toletanorum, pag. 354, n. 62.

Digitized by Google

Nec dare cessabat, dare cunctis semper amabat.
Nulla dedisse putans, augebat munera dando.
Sic augens vixit: Christum requiescit amando.
Obiit Ioannes Garsia 14 de Octubre 1326.

Alium itidem tumulum intra occidentalem parietem prisco modo elaboratum videmus cum suo titulo, quod ita se habet:

Vallisoletanus abbas iacet hic tumulatus,
Nomine Gomezius quondam fuit ipse vocatus,
Toleti natus, cuius generosa propago.
Moribus ornatus fuit hic probitatis imago.
Largus, magnificus, electus Mendoniensis,
Donis immensis cunctorum verus amicus,
Et quamvis fuit abbas dotatus in istis,
Et multis aliis: potuit sic dicere tristis.
Quam sit vita brevis hominis, quam sit breve posse
In me cognosce, qui mea metra legis.
Qui quondam potui, qui quondam magnus habebar;
Iam modo nil possum, pulvis, et ossa manens.
Nil mihi divitiæ, mihi nil genus atque iuventus
Profuit, hæc vita nihil est aliud nisi ventus.
Ergo tibi caveas, ne te deceptio mundi
Fallat, nam poteris cras (sicut ego) mori.
Obiit IIII. Kal. Augusti, Æra M.CCC.XXIIII.

Et inferius hæc inscripta sunt carmina:

Hic iacet æde brevi clausus mortis dominæ vi,
Abbas electus, prudensque notarius, altus
Ut Legionis, Mendoniensis, Vallisoleti
Dives, famosus, largus, iuvenis, generosus;
Toletanorum speculum, protector eorum,
Quem deus iis dederat, ut præfulgeret in ipsis;
Nam lux urbis erat vivens.

Portam, quam diximus, Lætitiæ[1], huic Sacello adiacentem, à lateribus circumdant duo intra parietem concava, sepulcris destinata. Continuo adest ianua parva, qua per cochlides scalas in pila intrinsecus ad prædicta ingentia organa ascendimus. Statim occurrit Divi Christophori effigies, magna membrorum proceritate depicta.

(1) A dextra parte portæ Lætitiæ constructum postea fuit magnificum sepulcrum, in quó iacet quidam canonicus Toletanus, Alphonsus *de Roxas* nuncupatus.

CA-

CAP. XXXVIII.
De Sacello Divi Eugenii.

Divi Eugenii Sacellum deinde succedit, quod olim Hispane *Sant Pedro el viejo* dicebatur; fuitque ibi parochia Divi Petri, quam Sancius de Roxas Archiepiscopus alio transferendam curavit, ut suo loco referemus. In hoc Sacello, quondam etiam Corporis Christi nuncupato, eo quod Eucharistia, ægris parochianis administranda, ibidem servabatur, quædam capellania à domino Roderico Archiepiscopo cum officio quinque Missarum in hebdomada occurentis diei instituta est. Aliæ præterea duæ habentur: altera trium Missarum in septimana, feria secunda pro defunctis, feria sexta de Sancta Cruce, die Sabbati de Beata Maria, à domino Francisco Fernandez *de Cuenca*, Archidiacono Oretano, ac Toletano canonico relicta: altera à Ferdinando de Acitores, nobili decurione huius urbis, cum munere singulis hebdomadis trium Missarum. Tres denique capellanias ab Illustrissimo domino Fernando *del Castillo*, Episcopo Baiorensi, qui hoc Sacellum refecit, institutas esse reperimus: quarum cuivis hebdomadatim quattuor Missarum munus adiungitur pro institutoris et suorum defunctorum animabus. Huius Episcopi tumulus splendidus intra parietem orientalem eiusdem Sacelli cernitur.

CAP. XXXIX.
De capella Sancti Martini.

Ioannes Lupus *de Leon*, canonicus Toletanus, Sancti Martini sequens Sacellum, semidirutum, restauravit, ac proventum duobus divini officii ministris ex portionariis assignavit: qui quidem alternis diebus (etiam iis, qui de gratia appellantur) unicam Missam celebrare tenentur, nisi nota obstet valetudo; nam tunc sacellanorum vices alii gerunt eorumdem sumptibus. Mandavit etiam anniversarium singulis annis postridie sollemnitatis Sancti Martini ab Ecclesiæ proceribus celebrandum. Item alia duo anniversaria: alterum per sacellanos chori; alterum per sacrificulos decantanda. Nec silenda est huius viri ardens caritas: siquidem amplum censum sortito dividendum triginta superque pupillis virginibus maritandis legavit, inter quas natæ trium confratrum confraternitatis Sancti Petri, etiam vivis parentibus, admittuntur ad sortitionem; ac pauperibus viris centum quinquaginta etiam sorte togandis vestibus quibusdam (quas dicunt *capuces* vulgo) reditum per duos canonicos erogandum reliquit. Hæ autem vestes in tribus anni sollemnitatibus, Nativitate, Resurrectione Domini, et festo Assumptionis Beatæ Mariæ (in singulis pari numero) distribuuntur. Verum puellæ antequam dotis portionem (quæ est quinque millia nummorum) accipiant, benedictionibus nuptialibus in hoc eodem Sacello decorantur. Quod nulli mirum sit, canonicum tam amplum proventum reliquisse; nihil enim consanguineis legavit, dicens bona clericorum pauperum esse, in cap. fin. 16, q. 1, reditusque obtinuit uberrimos, et centesimum annum, longissimum hominis vitæ tempus, ex-

Digitized by Google

excessit, in leg. ut inter divinum de Episc. et cler. Cod. Fuit namque altissimi Regis Ioannis, abavi celsitudinis tuæ, sceptrifer; decessitque anno Domini 1529 ad mensis Decembris finem.

CAP. XL.
De Sacello Conceptionis Intemeratæ Virginis.

Si libeat ab Ecclesia exire, adest tibi ianua prædicta, quæ dicitur Decani, alio nomine *de la Oliva*: si vero pergas ulterius, Conceptioni Beatæ Mariæ Virginis Sacellum dicatum videbis, quod olim dominus Ioannes Salcedo, Archidiaconus Alcaracii, canonicus Toletanus, Regum novorum sacellanis Præfectus, protonotarius apostolicus, erexit, multisque beneficiis et præstimoniis ditavit, mercede duobus cum æditus Sacerdotibus relicta, decies in hebdomada rem divinam facturis: Dominica, de Trinitate: feria secunda, pro defunctis: feria tertia, de Sancto Antonio: feria quarta, de Conceptione Virginis: feria quinta, de Sancto Sacramento. Quindecim item anniversaria pro Regum expiationibus, quorum Sacello fuerat ipse Præfectus, à regiis sacellanis in eodem Sacello peragenda. Insuper festum Conceptionis Sanctissimæ Virginis, et anniversarium per proceres Ecclesiæ sollemniter celebrandum instituit.

CAP. XLI.
De Sacello Epiphaniæ.

Quod hinc se offert Sacellum Epiphaniæ, fundasse dicitur Petrus Fernandez *de Burgos* cum coniuge, qui duas ibidem instituit capellanias, quamlibet cum officio duarum in hebdomada Missarum, una pro defunctis, altera occurrentis diei, quas per duos ex portionariis Ecclesiæ disposuit celebrari. Qui antiquitus ex institutione accipere solebant pro quavis Missa eleemosynam, mercedis nomine, quattuor dumtaxat dipondios, scilicet octo minutulos nummos, vel (ut sic dicam) æreas blancas. Ex hoc intelligitur, non fuisse apud maiores nostros eam nummorum copiam, quæ nunc est, quando pro retributione unius Missæ conferenda quattuor solummodo dipondii tribuerentur. Hoc Sacellum postmodum reædificavit Ludovicus Daza, canonicus Toletanus, qui alias etiam duas capellanias in eo constituit (ubi etiam est æditimus utrisque sacellanis inserviens) unamquamque quinque Missarum in hebdomada. Hic Ludovicus ex ventre matris, quam prægnantem panthera occidit, natus fuisse dicitur, ut iam non sit, quod miremur, Iulium Cæsarem, cæso matris ventre, natum fuisse, ut glos. in verbo Cæsare refert in procem. ff. veteris, non attendens rei gestæ historiam. Plinius enim naturalis historiæ lib. 7, cap. 9. tradit, quod memoratu dignum est, Scipionem Africanum primum fuisse dictum Cæsarem à cæso matris utero, cuius verba sunt: *Auspicatius enecta parente gignuntur. Sicut Scipio Africanus prior natus, primusque Cæsar, à cæso matris utero dictus*. Non igitur Iulius Cæsar (qui Dictator perpetuo epitheto dicitur ab eruditis) natus est, cæso utero materno, qui matrem habuit

buit Aureliam feminam primariam, quam eo tempore amisit (ut Suetonius in vita Iulii Cæsaris auctor est) quo in Gallia bellum gerebat; eiusque pater etiam fuit Cæsar appellatus. Hanc circa Cæsaris nomen digressionem, magnanime Princeps, non tibi inamœnam fore arbitror; siquidem pater ipse tuus, Imperator invictissimus, multo quam universi Cæsares felicius, multoque iustius, Cæsar semper Augustus appellatur.

CAP. XLII.
De capella Mozarabum et horum sacrorum origine.

In extrema Templi parte, ubi cœptæ turris fundamenta surgebant, Sacellum visitur, clathris septum deauratis: olim Corporis Christi dicebatur; nunc Mozarabum capellam vulgus appellat. Memoria nostra, cum hic esset capituli cogendi locus, dominus Franciscus Ximenez, Archiepiscopus, translato in eum locum, ubi hoc tempore canonici congregantur, capitulo, hoc ibi Sacellum extruendum, sacrisque illis faciendis dedicandum curavit, quæ dicuntur Mozarabum. Horum sacrorum originem, quoque ea modo ad nostra usque tempora in hac potissimum urbe permanserint, quoniam locus poscere videtur, haud ab re fuerit paulo altius repetere. Gens Visigothica, hoc est occidentales, qui dicebantur Gothi, quo tempore Hispaniam pæne universam Honorii Imperatoris permissu occupavit, cum esset Arianæ impietatis persuasioni dedita, non mediocrem catholicis eius provinciæ Ecclesiis perturbationem invexit. Hinc cultus divini, ritibus variis, cæremoniisque distracti, orta confusio, ut nec inter Orthodoxos quidem ipsos una esset, vel sacrificandi, vel horarias preces (quæ canonicæ dicuntur) psallendi consuetudo. Deinde cum gens tota post centesimum circiter quadragesimum adventus sui annum, antiqua impietate abdicata, Orthodoxam fidem una cum Rege suo Reccaredo cupidissime accepisset; iam inde pace Ecclesiis reddita, de sacris rebus communi consilio constituendis agitari cœptum est. Idque potissimum in urbe regia; sic enim Toletum cognominabant, quod eam urbem Gothici Reges, tum quod opulenta maximeque munita, placido præterea cœlo, uberique agro esset, tum quod Hispaniæ universæ velut umbilicum quemdam referret, caput regni sedemque constituerant. Hic igitur Episcoporum conventu indicto, (quod Concilium quartum Toletanum fuisse memoratur) Patrum decreto sancitum est, ut idem ordo orandi, atque psallendi, in omnibus Hispaniæ Ecclesiis servaretur. Porro de ordine ipso placuit deinde, ut is, de quo agimus, potissimum eligeretur, ab Isidoro quidem Pontifice Hispalensi, viro summa id temporis, tum sanctimoniæ, tum doctrinæ opinione, institutus; cui Leandrum nonnulli adiungunt, Hispalensis itidem Ecclesiæ Antistitem, sanctitatis et ipsum laude præclarum, quasi utriusque opera confecta res fuerit. Sed illud constat, ab Isidoro eum ritum Isidorianum officium à plerisque nuncupatum. Perseveravit hæc sacrorum consuetudo in Ecclesiis

Digitized by Google

Hispaniæ, quamdiu res Gothorum in ea floruerunt, hoc est, centum viginti circiter annos, usque ad exitialem illam calamitatem, cum per Mauros Arabesque Saracenos universa pæne regio, cæde incendiisque vastata, fusis, fugatisque Hispanorum copiis, Punico cessit imperio. Cum autem in publica clade urbs quoque ipsa regia in hostium potestatem, idque ea conditione venisset, ut oppidanis liceret Christiano ritu, legibus, moribusque suis in ea vivere, pleraque quidem civium multitudo spontaneum exilium Arabicæ prætulit servituti. Nonnulli vero, quibus patrii domesticique lares cariores libertate fuere, conditione accepta, sub Arabum Saracenorum imperio, sacris suis retentis, in urbe mansere. Ergo eiusmodi homines non in hac modo, sed in reliquis etiam urbibus, oppidisque Hispaniæ, sub hostium ditione degentes, quorum quidem numerum Oppæ illius proditoris impulsus, hortatusque adauxerat, à reliquis Hispanis Mixtarabes, quod cum Arabibus permixtim viverent, dicti sunt: unde illorum ritus ecclesiasticus officium Mixtarabum nuncupatus. Quæ vox, tum temporis diuturnitate, tum stridula ipsa barbarorum pronunciatione corrupta, in eam degeneravit, qua nunc vulgus utitur, *Mozarabe*. Unde nimirum fabula orta de Muza, nescio quo Arabum duce, cuius videlicet beneficio is ritus inter hostes servatus, Muzarabis appellationem invenerit. Verum hoc sane commentum, cum nullo quidem testimonio, dumtaxat idoneo, nititur, tum, quam attulimus opinio, receptæ fidei historicorum auctoritate fulcitur, et vetustissimorum etiam monumentorum documento. Igitur qui sic inter Arabes Toleti mansere, iis sex urbis Ecclesiæ, ubi rem divinam facerent, à barbaris permissæ sunt, Divorum Marci, Lucæ, Sebastiani, Torquati, Eulaliæ, Iustæ nominibus dedicatæ, in quibus ritum illum Isidorianum (qui incolumi florentique civitate in templis omnibus canebatur) captiva etiam, quadringentos ferme annos Mixtarabes illi conservarunt. Quo factum est, ut Toletanum iam officium appellaretur. At vero urbe ipsa, divina tandem benignitate, Alphonsique Regis, Fernandi magni filii, felicibus auspiciis recepta; cum de sacris in ea instaurandis, restituendisque ageretur; Ricardus Massiliensis abbas, Apostolicæ sedis Legatus, constituendæ ecclesiasticæ disciplinæ causa in Hispaniam, Rege ipso postulante, missus, ritum sacrorum à Divo Gregorio olim institutum, quo nunc vulgo utimur, quoque iam tum Gallica utebatur Ecclesia (unde et Gallicanum officium ea tempestate dictum), Hispanis Ecclesiis omnibus de Regis ipsius sententia observandum tradere satagebat, antiquato, abolitoque Toletano. Urgebat hominis consilium summo studio Constancia Regis uxor, nationis mulier Gallicæ, quæ viri animum, in eamdem sententiam alioqui pronum, incredibili contentione stimulabat. Sed adversus hunc Regis, Reginæ, Legatique consensum Toletanus clerus, populusque universus ritum suum sacrorum, tot sæculis inter medios barbaros conservatum, mordicus (ut aiunt)

aiunt) retinentes; primo indignari, fremere, tumultuari: deinde liberis etiam vocibus clamitare, vim religioni suæ afferri, patriis se sacris per summum nefas deturbari, externis ignotisque addici: denique pro suis tuendis, quæ absque piaculo relinquere non possent, extrema pati paratos esse. In eo tumultu, accensis utrimque studiis, cum res ad apertam seditionem spectare videretur, visum communi consilio est, rem dubiam singulari armatorum certamine, de eius temporis more, recepto illo quidem magis, quam probato, terminare. Delecti itaque milites, alter pro Toletano ritu, pro Gallicano alter, dimicaturi, dicitur certamini dies, apparatur locus, ingens omnium expectatio, par metus, utraque parte pro se timente, utraque pro suo milite Superis vota nuncupante. Igitur pugnæ dies cum advenisset, frequenti admodum mortalium turba, spectaculi locum vicinaque circum tecta complente, in medium armati processere; signoque dato, obversis cominus armis, in mutua vulnera ruentes, summa uterque vi, summa virtute rem gerunt. Accendebat illorum animos circumfusæ multitudinis dissonus clamor, ad singula pugnæ momenta sublatus. Tandem, quod multis opus, victoria, haud ita diu anceps, penes Toletanum militem fuit. Ingens tum subito populi universi lætitia: ingens plausus excitatus: omnis ætas, sexus, ordo, voce, manibusque in cœlum sublatis, profluentibus per ora lacrimis, Deo gratulari, militis sui virtutem laudibus ferre, bonaque illi omnia certatim comprecari: denique ad Divorum aras frequentes concurrere; concepta pro religione vota illis ipsis sacris, à quibus illi steterant, soluturi. Interim Rex, vehementi dolore perculsus, obfirmato nihilominus animo, in sententia persistebat. Itaque eventum certaminis negare, satis idoneum fuisse divini consilii argumentum; quin pernicioso potius, adeoque impio exemplo factum, quod de re sacra iudicium funesto gladiatorum certamini permissum fuisset: sibi quidem nefarium consilium initio displicuisse; cessisse tamen publicæ temeritati, ne dum certaminis abnuit discrimen, causæ suæ diffidere videretur. Nunc, cum res ipsa urgeret, non permissurum, ut incertum, temerariumque periculum pro comperto, atque adeo cœlesti iudicio reciperetur. Regis orationi cum Proceres omnes non solum ultro assensissent, sed multis illam quoque rationibus, argumentisque confirmassent, abrogatum tandem pugnæ iudicium, resque de integro agitari, inito simul consilio, cœpta est. Ubi cum sententiis variaretur, ad extremum in eam dicuntur universi convenisse, ut divini Numinis voluntas precibus imprimis, ieiuniisque placati, miraculo exquireretur innocuo: supplicibusque ab eo votis peteretur, uti coniectis in accensam pyram Toletano Gallicanoque codicibus, quem maxime divinum ipsius consilium probaret, cuiusque usum è republica Christiana magis futurum prospiceret, uti hunc ab ignis iniuria servare dignaretur illæsum. Cum placuisset omnibus sententia, decernuntur continuo publicæ supplicationes, indicitur ieiunium,

Digitized by Google

vota præterea privatim pro cuiusque affectu suscipiuntur. Tandem statuto die, accensa in medio foro ingenti pyra, densissima turba ad prodigii expectationem inter spem metumque suspensa, afferuntur codices: conceptisque ad Deum precibus, uti quod maxime ea de re fieri placeret, ostento illo, testatum hominibus facere vellet, in medios crepitantium flammarum globos uterque coniectus est. Ibi tum (dictu mirabile!) Gallicanus codex è medio rogo dicitur expansis foliis liber ab incendio sponte prosiliisse; Toletanus vero itidem incolumis, quo loci coniectus fuerat, permansisse: quod portentum Regem regiosque Proceres ita interpretatos fuisse credere par est, quasi Gallicanum ritum publice emittendum invulgandumque Deus admoneret; porro Toletanum illis ipsis Ecclesiis Toletanis, ubi tunc canebatur, relinquendum. Certe ita regio decreto ex Legati pontificisque auctoritate sancitum fuisse constat(1). Nec ignoro Scriptoribus nostris nullam fieri de prodigii interpretatione mentionem, atque adeo Rodericum Toletanum neque interpretamento quidem locum ullum reliquum facere. Quippe qui (modo fides sit exemplaribus), Toletano codice integro, Gallicanum omnino conflagrasse; Regem vero, nimium propositi tenacem, contempto miraculo, in sententia perstitisse tradat. Verum profecto nec Regi quidem, viro, cum omnibus regiis dotibus, tum eximia in Deum pietate, laudatissimo, tam insanam, impiamque proterviam tribuere, nec seditiosam multitudinem, tanto edito pro se miraculo, facile conquieturam fuisse, credere fas existimo. Nam de proverbio, ex Regis pervicaci contentione nato, *Trahi leges, quo velint Reges*, quod Rodericus ipse affert; illud certe multo aptius ex regia illa portenti explicatione, pro commodo videlicet excogitata, ortum videri posset, quod licuisset nimirum, in diversam quoque partem illius interpretationem trahere. Sed de prodigio quidem hactenus. Illud certe satis constat, Gallicanum illum, seu potius Gregorianum ritum, quo nunc Ecclesia ferme o-

(1) Credibile non est auctoritate Legati Summi Pontificis confirmatum, vel decretum fuisse, ut Toletanus, seu Mozarabicus ritus Toleti remaneret, cum aliunde constet Bernardum Archiepiscopum, natione Gallum, et Legatum Pontificium totis viribus cum Regina Constantia incubuisse, ut Gothicus, vel Mozarabicus ritus aboleretur, et Gallicanus per universam Hispaniam protenderetur. Magis igitur veritati accedit, Regem Alphonsum voluisse placere Summo Pontifici, et acquiescere precibus Reginæ, et Archiepiscopi in admissione, et extensione ritus Gallicani, seu Romani, per totam Hispaniam; simulque ut votis cleri, et populi Toletani, suo ritui Gothico perantiquo nimis addicti, aliquomodo satisfaceret, permisisse, ut ritus Gothicus sex in Parœciis Toletanis permaneret, ritusque Gallicanus in Matrice, et aliis Hispaniarum Ecclesiis servaretur. Nec expavescere debemus audito duello inter equitem Hispanum et Gallum, neque supercillia tollere audita probatione per ignem ritus Mozarabici, et Gallicani; quicumque etenim historiam ecclesiasticam perlegerit, inveniet non absimiles illo tempore usitatas probationes in purgatione canonica, et vulgari: passim namque legitur Episcopos, criminis insimulatos, prunas ardentes in manibus portasse, seu per prunas ardentes incesisse: mulieres etiam coniugatas, viris de adulterio suspectas, eamdem probationem, vel aliam duriorem ad innocentiam suam comprobandam sustinuisse.

omnis latina utitur, hac tempestate in Hispania, nec sine contentione, receptum; Toletanum vero sex illis Toletanis Ecclesiis fuisse permissum. Porro cum in urbe nuper recepta, inter varias Basilicarum, fanorum, ædiumque sacrarum dedicationes, parochiales imprimis (quas dicunt) Ecclesiæ regionatim constituerentur, ad quas populus rei divinæ causa potissimum conveniret, suique cuivis limites per vicos domosque circumquaque vicinas præfinirentur, solis illis sex Ecclesiis fines quidem nulli præstituti sunt; sed sui cuique Mozarabes, illorumque posteri, ubiubi illos intra, extrave urbem, in agro Toletano morari contingeret, pro parochianis assignati. Quibus etiam immunitates datæ, privilegiaque irrogata minime vulgaria. Hi igitur primum, horumque deinde posteri suam quisque Ecclesiam, sacraque gentilitia frequentabant; et interim quidem, dum frequens posteritas illa fuit, sacra perinde ipsa in Ecclesiis illis assidua, celebriaque fuere. Postea vero quam hominum illorum soboles (ut res mortalium sunt) imminui in dies, atque deficere cœpisset, simul et illorum ritus ecclesiasticus sensim labi, concidereque apparebat, ac vulgaris sacrorum consuetudo in eorum etiam Ecclesias paulatim irrepere: adeo quidem, ut memoria nostra, non nisi paucis quibusdam statis, festisque diebus, eo ritu in illis sacrificaretur. Ita cum ritus totus in occasum iam proclivis, propediemque interiturus videretur, Franciscus Ximenez Archiepiscopus (quem superius commemoravimus), ut erat vir ille fervens admodum religionis cultor, priscarumque cæremoniarum studiosissimus, illius instaurandi curam cogitationemque suscepit. Adhibitisque viris, quotquot extabant, eius rei peritis, primum libros omnes, quibus sacra illa continerentur, Gothicis illos quidem caracteribus conscriptos, vix paucis quibusdam Sacrificis eo tempore cognitos, in vulgaris litteraturæ formam redigendos, impressoriisque formis excudendos curavit. Erant vero caracteres illi non omnino à latinis nostris abhorrentes, sed partim quidem illorum eadem forma qua nostri, partim vero quadamtenus differenti, quos per Gudilam quemdam Episcopum genti Gothorum una cum fidei Christianæ rudimentis traditos ferunt, quæ postea quidem Toletana littera, deinde etiam Mozarabum dicta est. Libris ergo restitutis, Sacellum, de quo agitur, eleganti structura condidit, inque eo collegium instituit tredecim Sacerdotum, quos Mozarabum capellanos appellavit, adiunctis tribus præterea sacrorum ministris. Hoc collegium, idoneis proventibus annuis instructum, sub Capituli Toletani patrocinio constituit. Ipsis porro Sacerdotibus perpetuam horum sacrorum curationem mandavit, ita ut illis eo ritu quot diebus sacrificare, horariasque preces diurnas nocturnasque concinere sollemne esset. Ad quos, et sex illarum Mozarabum Ecclesiarum sacerdotia (quæ dicuntur beneficia) pertinere voluit, per ipsos quidem pro sacerdotiorum antiquitate, quoties vacua esse contingeret, optanda, per Archiepiscopum vero confe-

ferenda. Porro ex eo numero cum deficere Sacerdotem contingeret, uti alius aliquorum suffragiis sufficeretur, ex iis potissimum candidatis electus, qui sacerdotio Ecclesiæ cuiuspiam Mozarabis præditus esset; quod si extra collegium nemo eiusmodi reperiretur, ex aliis eius ritus peritioribus: electum instituendi ius penes Capitulum esse sanxit[1]. Ità sacra illa, quæ (ut ceteræ nimirum res mortalium) senium iam ipsum ferre vix poterant, restituta, et ab interitu vindicata sunt. In cuius restitutionis memoriam cenotaphium restitutori in medio Sacello honorifice erectum cernitur, impendente desuper coccineo galero, Cardinalitii honoris, quo ille præditus fuerat, insigni. Multa præterea alia ab hoc Pontifice egregia sumptuosaque opera extructa videmus. Imprimis gymnasium litterarium Complutense, ubi liberalium disciplinarum studia, potissimum vero sacrarum, ignavia temporum apud nos neglecta, suscitavit, constitutis amplissimis vectigalibus annuis in professorum omne genus stipendia, inque pauperum scholasticorum alenda sodalitia. In quorum sodalitiorum maximi amplissimique fano illius cadaver marmoreo monumento situm est. Templum præterea in eodem oppido, Sanctorum Martyrum Iusti et Pastoris, Divorum eius loci tutelarium, vetustate, ruinisque collapsum, à fundamentis refecit, atque ampliavit, numerumque in eo auxit sacerdotiorum; quæ sacerdotia in litteratos viros, quasi studiorum præmia, uti perpetuo conferrentur, instituit. Cœnobium quoque ibidem condidit religiosarum feminarum S. Ioannis de Pœnitentia, adiuncto gynæceo, educandis castissime sanctissimeque virginibus, quibus adultis, liberum esset, vel in ipsam religiosam societatem gratuito transire, vel certa, dotis nomine, accepta pecunia, nuptiis indulgere: cœnobium rursus aliud feminarum, eiusdem, et appellationis, et instituti, in urbe Toletana, cum suo itidem virginum gynæceo, longe amplissimum, atque opulentissimum: Illiescis municipio, proxime agrum Toletanum, monasterium quoque eiusdem ordinis feminarum: Turrilacunæ oppido, natali illius solo, virorum monasterium ex Divi Francisci asseclis, ex quibus et ipse fuit. In quibus locis omnibus cenotaphia illius extant; sacraque funebria, tum anniversaria, tum quotidiana, pro manium illius expiatione frequentia celebrantur. Nec vero extruendis modo publicis operibus operam dedit; quin variis quoque rationibus studuit, de re Christiana deque republica sua bene mereri. Nam Saracenorum Granatensium multa millia ad fidei confessionem adduxit, quos aquis ipse lustralibus conspersos Christiano ritu initiavit. Sacrarum litterarum veteris novique testamenti libros, Hebraico, Græco, Latinoque sermone, adiectis interpretationibus atque annotationibus, magna sua impensa compositos, excusosque primus in lucem dedit. Hispanam rempublicam, regia gubernatione semel, at-

(1) Sensus istius periodi obscurus est; sed ex scripto fundationis liquido constabit.

Digitized by Google

atque iterum, suo tempore destitutam, compressis tumultibus, pacatam reddidit, incredibilique severitate administravit. Expeditionem in Africanos Saracenos magno exercitu, maiore animo susceptam, præsentia sua prosequutus, Orano urbe (cuius expugnationem animo destinarat) in potestatem redacta, belloque mira celeritate confecto, de hostibus triumphavit. Cuius quidem pictura expeditionis in adverso Sacelli huius pariete conspicitur. Toletanam, Complutensem, Turrilacunensemque rempublicam, donato magno frumenti numero, annonæ difficultatibus perpetuo sublevandis iuvit. Quotidianas largitiones in egenos profuse admodum exercuit, quos, nunc gratuitis frumentationibus, nunc veste, nunc pecunia viritim distributa, prosequebatur. Vir priscæ severitatis atque sanctimoniæ, et cuius memoriæ consecrandæ nihil omnino deesse videatur præter ætatem.

CAP. XLIII.
De Sacello S. Ioannis Baptistæ.

Sacellum præterea, quod Reverendissimus Cardinalis Ioannes Tavera, huius Ecclesiæ Præsul, sub invocatione Sancti Ioannis Baptistæ in calce turris excelsioris curavit struendum, sine proventu adhuc, et sine ministeriis sacrorum extat. Ubi ipsum dominum Cardinalem sepeliri velle, ab aliquibus ferebatur; re vera tamen, non in hoc (de quo agimus) Sacello, sed in augustissimo potius, ad sinistram maximi altaris, monumentum sibi fieri (idque obtento regio permissu) animo destinarat. Postea vero (ut sunt mortalium ingenia) in hospitali divi Ioannis Baptistæ, quod eiusdem Illustrissimi Archiepiscopi opera et impensis extra muros huius urbis cœptum, assignatis deinde operi perficiendo, ac ægris pauperibus curandis, reditibus, adhuc etiam magno artificum numero operante, ædificatur, cadaver ipsius sepeliendum, ibique pro eius animæ expiatione sacrificia celebranda mandavit. Obiit 31 die Iulii, anno Domini 1545, Vallisoleti, ubi in maximo templo eius corpus sequestratum est, inde ad dictum hospitale transferendum. Hoc autem Sacellum (1), quod olim capellæ regiæ sacrarium fuerat, Missis privatis interdictorum tempore deservit, quo divinum officium (ut sacri canones in cap. alma mater, de sent. excom. lib. 6. decernunt) secretius peragatur.

CAP. XLIIII.
De Sacello Crucifixi, alias dominæ Theresæ de Haro.

Non longius abest Sacellum (2) ab illustrissima domina Theresa *de*

(1) Hoc Sacellum, in cuius frontispicio sculpta est in marmore imago S. Ioannis Baptistæ, hodie appellatur Capella Turris, et Canonicorum, in qua tantummodo ipsi privatim Missas celebrant. Antea certe deserviebat sacristiæ capellæ Regum novorum; postea in meliorem formam redactum, tria altaria in eo posita fuerunt, et in medio Imago Crucifixi, non Ioannis Baptistæ, ut antea denominabatur.

(2) In clathro huius capellæ superius posita sunt stemmata dominæ Theresiæ *de Haro*, nempe duo lupi excoriati, eodem modo quo sub statua domini Didaci Lupi *de Haro* in columna navis maioris prope organum cernuntur; hæc enim fuerant

de Haro in boreali parte constructum prope locum, ubi quondam novorum Regum Sacellum fuit[1], tria continens altaria. Hæc, præclari mulier generis, memorabile caritatis et misericordiæ opus exercuit; virginibus enim pupillis maritandis, atque egenis hominibus nobili genere natis sublevandis, perpetuos reditus annuos quadringentorum nummorum aureorum, quindecim sestertia constituentium, ex æquo per quattuor ex Sacerdotibus canonicos distribuendos instituit, quorum duo virginum dotibus, duo vero eleemosynis pauperum præficiuntur. Quamvis in prima ordinatione eleemosynam hanc captivis redimendis proposuerat, ut ex titulo in eadem ædicula inscripto constat. Qui reditus pro cuiusque locandæ feminæ conditione, dictorum canonicorum sententia, distribuuntur. Virgines autem benedictiones nuptiales cum sponsis in hoc eodem Sacello ante dotem oblatam accipiunt. Tres præterea instituit Sacerdotes, qui singulis hebdomadibus quinquies per vices rem divinam facerent; et dum horis canonicis in choro adsunt, æqualem cum aliis capellanis distributionum quotidianarum portionem capiunt. In Missis vero celebrandis hic est servandus ordo: die Veneris, de Cruce cum Passione: die Sabbati, de Virgine Maria: reliquis diebus, pro defunctis, nisi festi fuerint, de quibus tunc Missa est celebranda pro dictæ dominæ Theresæ *de Haro*, et Didaci Lupi *de Padilla*, coniugum, suorumque defunctorum expiationibus. Si vero sacellani, aliquo morbo impediti, prædicta sacrificia Deo exhibere nequiverint, dimidium, ac si exhibuissent, mercedis accepturi sunt. Voluit item, ut æditiuus huius Sacelli cunctis, divinam ibi rem facere cupientibus, omnia sacro cultui necessaria gratuito præberet.

CAP. XLV.
De ara del Antigua *vulgo appellata.*

Inde gloriosissimæ Virginis Mariæ ara se offert, *del Antigua* vulgo appellata, eo quod vetusta quædam Virginea effigies, quæ olim (ut fertur) in profundo putei prope ipsam aram magno operti lapide reperta fuit, supra eam sita est: quod aliunde evenisse credi non decet, quam ab illa exitiali Hispaniæ calamitate, qua Sanctorum simulacra, cum minime Christiani alio deportare potuissent, ne à barbaris irriderentur, abditissimis in locis ingenti mœrore reposuerunt. Id quod à nostratibus, sacrarum litterarum peritis, ad exemplum Hebræorum factum videtur: nam, ut in lib. 2. Machabæorum scriptum est, cap. 1. cum Hebræi captivi in Præsidem traherentur, Sacerdotes, qui tunc cul-

to-

rant stemmata, quibus usa fuit familia *de Haro*, in cuius dominio erat Cantabria, quæ postea recidit in nostros Reges. Præterea apparent quædam quasi cochlearia, seu spathulæ, quibus utebatur suis in stemmatibus familia *de Padilla*.

(1) Capella Regum novorum, à Rege Enrico facta, per mediam navim maiorem tendebat, et quasi dissecabat corpus Ecclesiæ; et ad sacristiam, et aulam capitularem deserviebat locus, quem hodie occupat capella sub turri, et dominæ Theresiæ *de Haro*.

Digitized by Google

tores Dei erant, acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus et siccus. Prisca tamen tranquillitate Christianæ religioni restituta, multa ex illis paruerunt, quæ proinde maiori quadam devotione colebantur. Cuius plane rei causa effigies hæc Virginis vetustissima apud nos in mira est veneratione. Eademque de causa plures, non modo cives Toletani, sed etiam alii ex diversis provinciæ partibus, crebra sacrificia in ea celebranda mandarunt, quod quidem hucusque identidem efficitur. Et ne hominum viventium, seu defunctorum, qui Missas ibi voluerunt suis impensis celebrari, devotio fraudaretur, divinis illis rebus portionarius Ecclesiæ, ut veram haberet rationem, ex Capituli decreto præfectus est, qui numerum eleemosynarum et Missarum supputationem Visitatoribus quam expeditam annuatim reddere teneretur. Numerus autem sacrificiorum, quæ quotannis ibidem recitanda sunt, quinque circiter millium est. Quo fit ut vicina, quæ sunt circum, altaria ad tot Missarum copiam solvendarum, quum in hac sacra ara adimpleri non possint, requirantur. Quapropter nostrates exterique, undecumque venerint, Sacerdotes, sacro in hoc Templo rem divinam, si lubet, mercede accepta, celebrare valent. In eodem altari tres aliæ Missæ, Guterrii Cardenensis institutione, Commendatarii maximi quondam militiæ Spathæ, provinciæ Legionensis, in hebdomada recitantur, cuius, uxorisque eius, statuæ marmoreæ ad pedes Virginis adsunt, ipse filium, ipsa filiam quasi Virgini offerentes[1].

CAP. XLVI.
De Sacello baptismatis.

Angusta baptisterii ædicula proxima est, in qua residet dictus portionarius, Missarum rationem habens. Ideo autem dicitur baptisterii, quia infantuli in sacro fonte ex ære fusili, subtilibus cælaturis conflato, eiusdemque metalli operculo munito, ibidem abluuntur. At non ita frequentabatur olim hæc spiritualis ablutio, cum bis dumtaxat in anno, in Paschate scilicet et in adventu Spiritus Sancti fieret, ut in cap. duo tempora, et in cap. de catechumenis, de con-

(1) Suis expensis construxit hoc altare cum omni suo Gothico ornatu dominus Guterrius de Cardenas, Commendator maior ordinis S. Iacobi de Spatha in regno Legionis: iacetque eius statua genibus flexis ante statuam Virginis Mariæ, in modum offerentis ante se filium eius, à parte dextra; et à sinistra stat simili modo posita statua dominæ Theresiæ Enriquez, uxoris eius, habentis ante se filiam, et offerentis eam Beatæ Mariæ Virgini. (Hæc domina Theresia Enriquez est eadem, quæ construxit suis sumptibus Ecclesiam Sanctissimi Sacramenti in sua villa *de Torrijos*, et etiam conventum ordinis S. Francisci Observantium). Effigies B. Mariæ est marmorea, vetustissima corona et ornamentis Gothicis induta, et, ni fallor, non solum debet appellari antiqua, sed pervetusta, Gothorum tempore fabrefacta, quam potuerunt adorare Ildephonsus et Iulianus; ipsemet namque ascendi ad aram imaginis, sedulo eam perspexi, et contrectavi, et animadverti caput et manus fuisse ruptas, et postea unitas: ipsaque facies Virginis ad modum feminæ Gothicæ.

Devotio imaginum etiam transmigrat, ut accidit imagini nostræ *del Antigua*; transiit namque ad imaginem Sacrarii, sensimque in altari *del Antigua* refriguit.

Digitized by Google

secratione, dist.4, cuius verba sunt: *De catechumenis baptizandis id decretum est, ut in Paschali festivitate, vel Pentecoste, veniant ad baptizandum: ceteris sollemnitatibus infirmi tantum debent baptizari.* In cuius memoriam nunc clerus Toletanus sabbato, quod in Albis dicitur, dictum fontem baptismalem adit concinens: *Isti sunt agni novelli, qui annuntiarunt, alleluia: modo veniunt ad fontes, repleti sunt claritate, alleluia: in conspectu Agni amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum.*

Insuper et feria quarta ante Dominicam de Passione alia antiquitas observatur, ut congregatis infantibus in Ecclesia cum candelis accensis, diaconus quattuor evangeliorum principia decantet, scilicet Matthæi cap.8, Lucæ cap.11. Marci cap. 7, Ioannis cap. 9, et statim puelli abeunt. Quæ omnia tempore catechuminorum solebant fieri; nostra vero tempestate, cum nullus sit catechuminus, in typum tantum, ne antiquitas hæc pereat, observantur[1]. Et quia posset etiam dubitari, qui dicantur catechumini; sunt illi, qui rebus evangelicis nuper instructi, et nondum baptizati, Missam Catechuminorum dictam, quæ est ab introitu usque ad offertorium, audiebant; amplius autem illis non licebat interesse: immo diaconus alta voce clamabat, *Catechumeni exeant foras,* propterea quia nondum sacro baptismate regenerati, nec membra Ecclesiæ erant: ita refert dominus Cardinalis de Turrecremata in cap. Iacobus de consecr. distinct.1. Postmodum tamen Ecclesia, divino aflata spiritu, infantes ad octavum diem nativitatis suæ aqua regenerationis baptizare consuevit Christi exemplo, Lucæ cap.2; idque etiam ut pericula sane multa evitarentur.

CAP. XLVII.
De Sacello Sanctæ Mariæ de Pietate.

Nec silentio dignum apparet, Alphonsi Martinez, Thesaurarii et canonici Toletani, Sacellum, appellationem Virginis Mariæ de Pietate obtinens, quod licet angustum sit, pulchrum tamen et elegans, utrimque patulum videre est: ad claustrum albario opere multiforatili, brevibus cancellis ferreis superpositis, munitur: ad faciem Ecclesiæ albario itidem opere clauditur elegantissimis apicibus, quibus parvulæ ianuæ subsunt ferreæ. Habet ista capella unicam aram, ad solis ortum erectam, insuper tabulis pictis scultisque imaginibus ornatam apprime, quarum media Beatissima Virgo Iesum Servatorem nostrum à cruce depositum gremio suo continet. Est etiam sa-

(1) Feria quarta Dominicæ quartæ quadragesimæ leguntur à diacono quattuor evangelia in memoriam scrutiniorum, quæ fiebant de catechumenis, priusquam ad sacram communionem admitterentur; antea etenim edocebantur symbolum fidei, et virtutem evangeliorum, ut videre licet in Martenne *de antiquis Ecclesiæ ritibus.* Ne autem memoria huius antiquitatis pereat, æquum est, ut præfata die matres filios suos infantulos ad Ecclesiam ducant, et evangelium super eos decantetur, diaconusque aspergat illos aqua benedicta. Quod non semel suasi quibusdam parentibus, et ita fecere.

Digitized by Google

sacrariolum, quo aliqua Sacelli ornamenta reponuntur. Tria præterea dolia ad aquam in festis Assumptionis et Nativitatis Sanctissimæ Virginis asservandam, qua omnium agricolarum, et cuiuscumque conditionis hominum, tam agrum Toletanum, quam extra incolentium, sitis sedatur, quorum maxima iis diebus ad pernoctandum in hoc templo concurrit multitudo [1]. Dictus autem Alphonsus Martinez, huius Sacelli fundator, æditúo, atque sacellano mercedem instituit, ut hic tres in hebdomada pro fundatoris anima recitaret Missas; ille vero sacellano et omnibus Sacrificis, ibi pro devotione celebraturis, cultui divino necessaria ministraret. Et ne curiosum lectorem pia huius nobilis viri opera lateant, hoc epitaphio, quod pariete occidentali eiusdem Sacelli in saxo litteris deauratis inscriptum inveni, optime poterit agnoscere. *Aquí yaçen enterrados padre y madre de Alfonso Martinez, thesorero y canónigo, y obrero que fué de esta sancta yglesia, el qual hiço esta capilla á su costa y mission, y la ordenó con licencia del cabildo, y está en medio enterrado; el qual ordenó é fundó al servicio de dios y de la virgen sancta Maria el monasterio de Monte syon de la orden de sant Bernardo, y compró todo el sitio en que está assentado desde el camino que vá á corral rubio, hasta el camino que vá á peña ventosa, é la viña donde nasce el agua, é la sierra; el qual monasterio comenzó á fundar el dia de sancta Ines del año de mil é trezientos y veynte y siete: fallesció año de mil cccc. é leian veynte y cinco de Iunio: su alma sea en parayso, nuestro señor aya misericordia della.*

CAP. XLVIII.
De parochia Sancti Petri.

Sacellorum, quæ in circuitu Ecclesiæ iuxta parietes situantur, ultimum occurrit Divi Petri, parochiali iure decoratum. Quod dominus Sancius *de Roxas*, egregius Præsul Toletanus, erexit, et sacrosanctam Eucharistiam, quæ olim in Sacello, Divi Petri veteris nuncupato, custodiri solebat, huc transtulit; illudque septem lapideis ascendimus gradibus. Inque superno limine, mirifico lapicidarum opere confecto, effigies visitur marmorea Divi Petri in cathedra sedentis. Sub cuius pedibus statuæ, pectoribus tenus, domini Sancii *de Roxas* Archiepiscopi, Dignitatumque (hoc est qui primas partes post Præsulem in choro obtinent), pæne in gyrum Præsulem comitantium, sunt sculptæ. Ab eo vero loco, ubi Dignitates desinunt, carmina hæc, supremum gradum contingentia, scripta sunt, probos dicti Antistitis mores, vitamque laudabilem referentia:

(1) Ad præsens utiliori et honestiori providentia præbetur aqua in claustro, quin ulla fiat irreverentia intra Ecclesiam, in qua, et in claustro nemini permittitur pernoctare; sed omnes advenientes ad celebrandas festivitates, in foro manent, quousque aperiantur valvæ Ecclesiæ ad matutinum.

Digitized by Google

Hic iacet in sacra, suaque rutilante capella,
Conditus in tumba primatum gloria fulva,
Sanctius ecclesiæ huic archiepiscopus altæ,
Hesperiæ primas, multum ac famosus in orbe,
De Roxas heros generoso in sanguine magnus,
Pollens ingenio, sollers, reverendus in ævo,
In mauros rigidus, animosus, ac ferendis
Consiliis pulchra quædam perfulgida stella,
Acceptus regi Castellæ valde Ioanni,
Tum quia tam fide ipsi servire coronæ
Illustri semper nimium pro posse studebat,
Tum quia vivebat (ut pastor) prorsus ab omni
Crimine longinquus cuiuslibet criminis atri,
Præsertim caste, mite, omni ac tempore honeste,
Militibus placidus, ipsis sine fine benignus,
Ac clero gratus, cuius devotio tanta
Obsequiumque dei fuit, ac eleemosyna in arctis
Carceribus positis, viduis, necnon egenis,
Atque monasteriis sacris, mœstisue pupillis
Nobilitate sua, sua sic laudandaque vita,
Quod magis gratus, quod nec par tempore ullo,
Fulsit in Hispania penitus regione tiara.
Pergit ad excelsa primatis tam ardua mitra,
Mille quadringentis undenis protinus annis,
Bis simul adiunctis, decimo sed mense supremo
Octo ter ac deni residebant transtra diei.

Ostium vero ipsius Sacelli clathris ingentibus obturatur ferreis. E regione cuius conspicimus altare maximum ad Septemtrionem, ubi sacrosanctum Christi Corpus perpetuo custoditur, desuper tabulis absolutissimo penicillo depictis ornatum, atque à pavimento quinque gradibus sublimius, tessellis undique adopertis. Prope admodum adiacet dicti domini Sancii *de Roxas* marmorea imago, exactissime excisa, vividisque coloribus delineata, super lapideum monumentum imposita, quæ plerumque ligneo tegumento, ferreis filis contexto, coriaceo velamine (quod vulgo *guadamecil* appellant) superstrato, obtegitur. Inter sepulcrum et altare candela cerea, ab Archiepiscopo domino Ioanne, Patriarcha (ut aiunt), relicta, noctu diuque iugiter ardet. Iuxta altare hoc, multis sacræ paginæ historiis ornatum, capellani stationem(quam dicunt chorum), cancellis ferreis à populo divisam, sibi præscripsere. Quibus dictus dominus Sancius *de Roxas* sex dumtaxat capellanis, quinquies per hebdomadem singulatim rem divinam facturis, proventum reliquit. Crescentibus vero deinde reditibus annui census, Capitulum (ad quod pertinet huius capellæ administratio) numerum ad viginti Sacerdotes auxit, eis-

Digitized by Google

eisque canonicus præponitur. In quorum numero alter duorum rectorum, curam parochiæ gerentium, habetur. Nam cum unicus esset huius parochiæ rector, Reverendissimus Cardinalis Petrus Gundisalvus Mendozius alium constituit. Hi igitur sacellani quotidie, præter dictas Missas, communem aliam diei ad secundum cymbali tactum, de prima dictum, pro fundatoris anima omnes una tenentur decantare. Officiumque defunctorum itidem ad secundam vesperorum pulsationem dicturi conveniunt. At cum aliquod occurrit Divorum festum, quibus Sacella, aut oratoria pilis Basilicæ adhærentia, dicata sunt, in cuius festi laudem omnis cœtus beneficiariorum, decantatis in choro vespertinis horis, suo ordine eius Sacellum, seu oratorium, preces ex more soluturi adeunt, facta commemoratione, suffecti statim in illorum locum huius Divi Petri Basilicæ capellani in Sacello vel oratorio illo vespertinas eiusdem festivitatis horas, ac sequenti die Missam cum concione sollemniter celebrare, eiusdem Præsulis institutione tenentur. Ad dextram aræ præcipuæ posticum adest, quo sacrarium huius parochiæ adimus. Ubi duodecim capsæ, iuxta parietem septemtrionalem positæ, ornamenta omnia custodiunt: aliæque duæ præter has habentur, quarum prima ad vasa sacra Sacelli; altera item ad cereos confraternitatis Sacramenti asservandos destinatur. Præterea ad parietem meridionalem duæ aliæ sunt capsæ, libros ad Sacramenta conferenda, aliaque ad eorum ministerium necessaria, redituum insuper, et possessionum parochiæ et Sacelli chirographa continentes. Sunt etiam hic plutei, qui libros, per totum annum officiis divinis inservientes, sustinent. His adiacet altare è nigro marmore structum, ubi tempore interdicti divinum peragitur officium. Continuo sequuntur cochlides scalæ, quibus duas cellas, custodi Sacelli destinatas, ascendimus, quæ lucent pulchris vitreis, stemmate domini Sancii *de Roxas* insignitis. Extra chorum à lateribus sub parietum arcubus alia duo collocantur altaria: ad quodvis eorum tribus ascendimus gradibus. Dextrum, Mariæ Virgini dicatum, Petrus Alphonsus, Abbas S. Vincentii, extruxit, in quo instituit capellaniam trium in hebdomade Missarum, ædituoque reditum, necnon vasa plurima argentea huius Sacelli ministerio reliquit. Sinistrum vero, Divo Nicolao sacrum, Gundisalvus Sancius *de Madrigal*, Archidiaconus Oretanus, Toleti canonicus, Regis consiliarius, erexit. Huius lapidea effigies prope hoc altare prominet in orientali pariete. In occidentali autem, non longius ab altari, post cellulam, ubi minutæ res asservantur, recondita est arca, variis circumquaque variata coloribus, in quam eleemosyna ad emendum ceram Sanctissimi Sacramenti confertur, quæ ferreis cuspidibus munitur, ut latrunculos abigat. Hærent præterea huic parieti duo plutei ferrei, qui singula breviaria membranea ecclesiastica, suis catenulis innixa (ne ab aliquo surripiantur) sustinent. Hisque clerici mercenarii horas canonicas persolvunt, ne librorum pe-

Digitized by Google

penuria tam sanctum opus omittatur. Denique iuxta valvas præcipuas huius parochiæ aliæ sunt scalæ, quibus organa, supernumque chorum, his valvis superimpositum, petimus, in quo diebus tantum sollemnibus decantantur divina(1).

CAP. XLIX.

De capellis chorum beneficiariorum circumstantibus, ac primo de Sacello Sanctæ Mariæ Magdalenæ.

Hactenus recensuimus Sacella intra Ecclesiam parietibus inhærentia: nunc vero ad ea quæ in ambitu chori beneficiariorum locata sunt, regrediamur. In exteriore igitur eius parte ad meridiem est ædicula Beatæ Mariæ Magdalenæ contra Divi Christophori imaginem. Ubi pro anima Reverendissimi domini Roderici, Toletani Archiepiscopi, quinque Missarum sollemnia singulis hebdomadibus peraguntur. Quoniam vero frequenter hoc in opere de Illustrissimo domino Roderico, Toletano Antistite bonæ memoriæ, mentionem facimus, æquum quidem erit, omissis aliis, quæ eum virum satis commendant, et extollunt, vel illud unum enarrare, quod omnibus (ni fallor) maximum ac pulcherrimum facinus videbitur, dominum videlicet Rodericum, summo ingenio præditum, doctrina ac variorum idiomatum peritia insignem, in Concilio Lateranensi, cui Innocentius III. Pontifex præfuit, congregatis omnium ferme Ecclesiarum Præsulibus, infinito deinde dissimilium gentium numero, orationem habuisse, in qua (ne quempiam eius verba laterent) sex idiomatibus, hoc est Romano, Teutonico, Gallico, Anglico, Navarriensi, et Hispano, usus fuit. Huius rei testimonium mihi præstant multi viri docti, et postremo codex quidam vetustus, ex diversis antiquorum patrum voluminibus, atque privilegiis compositus, cui titulus est: *De primatu, nobilitate, ac dominio Ecclesiæ Toletanæ*. Eadem verba, quæ in ipso volumine habentur, quoniam scitu quidem digna, hic subtexenda decrevi.

"Anno Domini 1215, mense »Novembris, celebrata est sancta »et universalis Synodus Romæ in »Ecclesia Sancti Salvatoris, quæ »Constantina vocatur, præsiden»te domino Innocentio Papa III, »pontificatus eius anno 18, in qua »fuerunt Patriarchæ duo Constan-

»ti-

(1) Exterior forma huius capellæ parochialis nullatenus immutata est; sed interior pulchrior, et solidior, et secundum regulas artis ornatior reddita. Altare namque maius ex iaspide et marmore est constructum: supra id parieti hæret effigies S. Petri, paralyticum sanantis in ingressu templi Hierosolymitani; opus sane perfecte absolutum à Francisco Baieu, nostri Catholici Regis celebri pictore: ornatur, et cingitur ora marmorea, affabre facta. Quattuor præterea altaria ex iaspide in prædicta capella erecta sunt, duo in dextro, et duo in sinistro latere: scilicet duo (in quibus collocatæ sunt imagines S. Petri Oxomensis, et S. Iuliani Conchensis) expensis domini Mathiæ *de Robles*, Archidiaconi Toletani: alia duo altaria in honorem S. Ignatii, et S. Francisci Xaverii dicata sunt; quæ antea, haud recte constructa, extabant extra portam huius capellæ, et veluti affixa columnis Ecclesiæ. Omnis denique ambitus capellæ est in meliorem formam restitutus: sacristia, et aliæ officinæ fere à fundamentis erectæ.

»tinopolitanus et Hierosolymita»nus; Antiochensis autem Patriar»cha, gravi languore detentus, ve»nire non potuit, sed misit pro »se vicarium Antarodensem Epi»scopum: Alexandrinus vero Pa»triarcha, sub dominio Saraceno»rum constitutus, similiter venire »non potuit, sed misit vicarium »suum Petrum diaconum germa»num suum. Fuerunt autem in »eodem Concilio Primates et Ar»chiepiscopi numero 71, Episco»pi vero 412, de Abbatibus, et »aliis religiosis personis, et Deca»nis, et Prioribus, Præpositis, Ar»chidiaconis, et aliis clèricis sæcu»laribus, et procuratoribus Princi»pum, Conciliorum, et commu»nitatum, de diversis mundi par»tibus congregatis, non fuit nu»merus. Et in hac generali Syno»do Rodericus, Archiepiscopus »Toletanus, et Hispaniarum Pri»mas, de licentia Pontificis pro»posuit verbum Dei, incipiens, »et finiens in latino sermone; sed »quia de diversis mundi partibus »tam clerici, quam laici ibidem »convenerant, ut omnibus satisfa»ceret, suas in prædicando pausa»tiones et interpolationes faciendo, »easdem auctoritates et rationes, »propositas in latino, exposuit lai»cis et illitteratis in linguagiis ma»ternis, videlicet Romanorum, »Teutonicorum, Francorum, An»glorum, Navarrorum, et Hispa»norum. Huiusmodi autem prædi»cationis expositio placuit in con»spectu omnium, non solum sub»tile, sed potius admirabile repu»tantes; cum à tempore Aposto»lorum vix crederetur, seu ab ali»quo audiretur, vel scriptum re»pertum fuisset, aliquem alicubi »sub tot modis idiomatum, seu »linguarum, in uno et eodem ser»mone verbum Domini prædican»do taliter exposuisse.»

CAP. L.
De Sacello Beatæ Elisabeth de Ungaria.

Ulterius vero S. Elisabeth de Ungaria Sacellum è vestibulo capituli huius almæ Ecclesiæ huc translatum invenitur. Ubi Ioannis Alphonsi institutione singulis hebdomadis quinquies res divina occurrentis diei recitatur.

CAP. LI.
De Sacello Sanctæ Catharinæ.

Lucas *de las Peñas*, canonicus Toletanus, in honorem S. Catharinæ condidit Sacellum è vestigio sequens, stipendiumque sacellano pro tribus in qualibet hebdomada Missis reliquit: feria secunda, pro defunctis: feria quarta, de Trinitate: die vero Sabbati, de Beata Maria. In eodem item Sacello tres aliæ Missæ pro anima doctoris Ioannis Martini *de Herrera*, Toletani canonici, dicuntur, quibus unus æditDuus inservit.

CAP. LII.
De ara Divæ Mariæ, quæ Hispane del Estrella *dicitur.*

Deinde Fernandi *Perez de Ayala*, canonici Toletani, liberalitate fundata est ædicula in memoriam Mariæ Virginis, quæ *del Estrella* vulgariter dicitur, quondam *del Pilar*, eo quod ibi ſons factitius ex

ex quadam pila olim fluebat, ubi populus præcipuis festivitatibus hinc inde magna devotione in hanc sacram Basilicam veniens, bibere solitus erat. In Sacello hoc tria in hebdomada dicti Ferdinandi impendiis sacra persolvuntur: primum pro defunctis, secundum de Angelis, ultimum de Sancta Maria. Hic præterea dominus Fernandus *de Illescas*, Cantor, ac Toletanus canonicus, rem divinam singulis diebus per duos sacellanos alternatim fieri iussit.

CAP. LIII.
De altari depositionis sanctissimi Corporis Iesu à cruce.

Proxima est ædicula, pietate et splendore decorata, à Nicolao Ortiz, canonico Toletano, erecta; à Roderico vero Ortiz eius nepote, eiusdemque Templi canonico, reditu instituto. Ubi eximium opus Nicodemi et Iosephi ab Arimathia, qui Iesum à cruce deposuerunt, sculptis mirifice eorum imaginibus, excisum recolitur. In hac ara eiusdem Roderici sumptibus duo sunt instituti Sacerdotes cum æditimo, qui alternis hebdomadis ibi pro fundatorum manibus rem sacram solvere tenentur.

CAP. LIIII.
De Sacello Divi Michaelis.

Tria proxima Sacella nominata sunt in tergo chori contra ianuam, quæ dicitur *del Perdon*. In sinistra vero parte ad Septemtrionem fundata est ædicula S. Michaelis, ubi quattuor qualibet hebdomade Missarum sacrificia pro anima Petri Nuñii, portionarii Toletani, celebrare, interesseque officiis in choro capellanus tenetur. Hic etiam Didacus Perez Presbyterum cum æditui, qui centum quinquaginta sex Missas annuatim celebraret, præposuit.

CAP. LV.
De Sacello Beati Petri Oxomensis.

Succedit deinde ædicula S. Petri Episcopi Oxomensis, è regione parochiæ Divi Petri posita, in qua duæ sunt institutæ capellaniæ: alteram Didacus Rodericus *de Oviedo*, portionarius Toletanus, cum officio centum quinquaginta sex Missarum singulis annis; alteram vero quidam Sancius Fernandez, portionarius etiam, cum cura duarum Missarum in hebdomada instituit [1].

CAP. LVI.
De ædicula quæ Dominici Sepulcri dicitur.

Nempe ex iis, quæ passim per Ecclesiam visuntur, nihil augustius videtur esse, quam venerabilis Servatoris nostri sepulcri memoria, quæ in subterranea ædicula sub altari maiori structa, duabus validissimis columnis suffulta, colitur. Ubi olim erant Regum veterum ca-

(1) Prædictæ quattuor capellæ, quæ circumdant chorum à parte meridionali et septemtrionali, propter nimiam illarum obscuritatem, et inconvenientia, quæ ex hoc oriebantur, occlusæ nuper fuere; ipsoque in aditu singularum constructum fuit marmoreum altare, cum imagine lapidea illius Sancti, cui erant antea dicatæ, elaborata ab opifice Mariano *de Salvatierra*.

Digitized by Google

cadavera, quæ nunc ad latera eiusdem maximi altaris (ut diximus) sita sunt. In hoc sacro loco duæ sunt aræ [1]: altera Divo Iuliano, altera vero S. Sebastiano sacræ. In hac tres capellanias Rodericus Tenorius, Ægidius *de Roxas*, Ioannes, cognomento *Duque de Strada*, canonici Toletani, mandarunt: primus quater in hebdomada celebrari Missam instituit; secundus ter, itidem et tertius: quorum quilibet suum sacellanum præfecit. Ægidius vero adhuc ædituum adiunxit. Sunt hic etiam duo armariola, ad asservandum vestimenta, et omnia divini cultus ministerio necessaria. In confinio igitur prædictarum ararum medium est Dominicum sepulcrum, accuratissime excisum, clathrisque ferreis septum. Est præterea alius æditimus sepulcro destinatus, qui omnibus chori Sacrificis, pro devotione celebraturis, ornamenta cum aliis divinæ rei faciendæ necessariis præstat. Binis in hunc specum descendimus scalis, alteris ad Meridiem, ad Septemtrionem alteris spectantibus, septione ferrea munitis. His septemtrionalibus si quis fuerit egressus, in exteriori parte chori, contra sacrarii ostium, inveniet altare marmoreum, à Petro Gundisalvo Mendozio erectum, in quo tres Missæ singulis diebus eiusdem institutione solvuntur. Quod patet ex titulo supra hanc aram inscripto his verbis: *Illustris Petri cardinalis, patriarchæ Alexandrini, Toletanique Archiepiscopi celebris institutio: piæque devotionis memoria, sæculis perpetuis futura, ter quotidie Missarum solennia solventur sub lucem prima, ad tertiam altera, in nonaque tertia.* Hic magnificentissimus Archipræsul, intra alia pietatis opera, dotavit omnes Missas, quæ in choro præcipuæ Basilicæ celebrantur; et completorii quadragesimalis præmium auxit, ut beneficiarii, devotione, aut præmio allecti, illis adessent.

CAP. LVII.

De ædicula Virginis Matris descensioni sacra, et oratoriis huius Ecclesiæ pilis adhærentibus.

Quis autem plurimas Sanctorum deauratas imagines, pilis fere omnibus affixas enarrabit? Quibus sua quondam adiacebant altaria: quæ, cum eis deambulantium turba debitam reverentiam non exhiberet, et ne eorum multitudine Ecclesia impediretur, penitus amota sunt [2], relictis modo imaginibus, binas circiter ulnas à pavimento altioribus, ne eius rei saltem memoria periret.

Dignum tamen fuit, ut altare descensioni Virginis dicatum, iuxta quod sedit ipsamet Dei Genitrix, non

(1) Præter hæc altaria, quæ enumerat Ortizius in Sacello sepulcri infra pavimentum altaris maioris, est et aliud præterea altare postea extructum, in quo corpus S. Ursulæ Virginis integrum, ut visitur, in quadam capsa magnifica custoditur: hoc altare, clathris ferreis circumseptum, solis canonicis ad sacrum celebrandum patet.

(2) Altaria, pilis adhærentia, multis abhinc annis fuerunt sublata; et imagines, quæ erant superius positæ, meo in Præsulatu quædam translatæ, aliæ vero ex lapide de novo constructæ sunt meliori forma, et omnes in aptiori loco appositæ fuerunt.

non submoveretur. Quod, desuper ornatum schemate, ex limpidissimo alabastro exciso, exprimente Virginem Mariam induentem suum sacra veste Alphonsum, intrantes portam Cymbalorum, si ora ad Aquilonem vertant, è iaspide confectum videbunt intra exiguam ædiculam tertiæ pilæ adhærentem, ab utroque latere cancellatam, clausamque valvis ferreis, meridiem versus positis: quæ licet angusta, structura tamen augustissima. Eius namque testudinem, cæruleo colore deliniatam, stellisque plurimis fulgentem, quattuor porphyriticæ sustinent columnæ; illamque pulchriorem reddit turricula, pinnis elegantibus circumdata, in sublime tendens instar pyramidis, supra eam mira venustate elaborata, cuius acroterium tenet imago quædam lapidea. Subtus sinistrum cornu altaris asservatur saxum, reticulo ferreo munitum exterius, in quo steterunt Beatissimæ Mariæ Virginis pedes, super quod huiusmodi metrum, petra sculptum, legitur:

Quando la reyna del cielo
Puso los pies en el suelo,
En esta piedra los puso.
De besarla tened uso
Para mas vuestro consuelo.

Quare cives Toletani magna devotione lapidem hunc, utpote scabellum sacris Mariæ Virginis tactum pedibus, deosculantur. In hoc altari celebratur quotidie Missa, per Reverendissimum Alphonsum *de Fonseca*, Archiepiscopum Toletanum, instituta, deputatis ad id duobus capellanis hebdomadatim celebrantibus: idque post peractum Missæ maioris officium. In festi huius Sanctissimæ Descensionis vigilia beneficiarii chori cum sollemni pompa aram hanc adeunt, iuxta quam cum commemoratione vespertini psalmi finiuntur. Quibus peractis, ex institutione Alphonsi Sancii, huius Ecclesiæ portionarii, sacellani chori vesperos, et sequenti die Missam, quo Toletana Ecclesia dictum miraculum recolit, stipendio consignato, sollemniter decantant[1].

CAP. LVIII.

De educatione infantium expositorum.

Deinde pilæ, parochiæ Divi Petri è regione positæ, adhæret ingens instar cunarum lapis, ubi infantes, paterno relegato pietatis officio, publicæ misericordiæ ob pudorem servandum furtim exponuntur. Educanturque expensis hospitalis Sanctæ Crucis, ab Illustrissimo Cardinali Petro Gundisalvo Mendozio in hac urbe conditi, annis singulis quadringenti et amplius infantes. Sed non satis tot infantium multitudinem hospitali sustentare valente, in eorum educationis subsidium, et piam subventionem, tria millia argentorum, vel

(1) Iuxta hoc altare sepultum est corpus dignissimi, et venerabilis prædecessoris mei, domini Balthasaris *de Moscoso et Sandoval*, cuius effigies ærea deaurata cernitur in frontispicio: nemo vero miretur hunc Præsulem tam prope altare iacere; licet enim Sanctorum albo non sit adscriptus, eius tamen virtutis fama ubique nota est, ut cuilibet videre licet in eius vita typis edita.

Digitized by Google

vel regalium nummorum, ex æquo ab Archiepiscopo, Ecclesiæ fabricæ proventu, et Capitulo quovis anno offeruntur[1]. Pueris autem puellisque necessaria tribuuntur, donec ab aliquibus piis hominibus adoptantur, aut ad serviendum, quisque, prout obvenit, eliguntur; certam demum mercedem ab ipsis suscepturi. Opus hoc infantiæ huiusmodi alendæ, omni sane commendatione dignum, à Francisco Ortiz, canonico Toletano, in hospitali, quod ipse curandis amentibus, seu insanis hominibus construxit, primo cœptum est[2]. Quod postea à prædicto Cardinale Petro Gundisalvo Mendozio, crescente pro hominum malitia expositorum numero, adeo ut nonnumquam quingentos fere lactari contingat, aucta vectigalium quantitate, illuc, ubi nunc est, fuit translatum. Nutrices vero in festo Natalis Beatæ Mariæ eo ordine, quo in supplicationibus fieri consuevit, præeunte Cruce, et vexillis insignia Illustrissimi Cardinalis indicantibus, à prædicto hospitali ad sanctissimum usque Templum veniunt, quælibet alumnum suum, cæruleo alboque indumento vestitum, baiulans. Dictus autem Franciscus Ortiz in infantium alendorum locum tredecim senes, qui è secunda fortuna in egestatem incidissent, sufficiendos instituit.

CAP. LIX.
De claustri descriptione usque ad domini Petri Tenorii Sacellum.

Ventum est ad ultimam partem operis, non minus difficilem, ubi de connexis Ecclesiæ aliqua debent explicari. Claustrum in primis adeo amplum, magnificum, sublime, atque superbum est, totque rerum pictarum varietate nitescit, ut hoc unum per se Ecclesiæ nostræ membrum cum aliarum urbium templis de magnitudine et elegantia possit contendere[3]. Non longe à tibicine, saxum expositorum infantium continente, illius patet aditus præcipuus, capellæ Divi Petri contiguus, per quem si quis intraverit, statim ad sinistram videbit ingentes quasdam cumeras ligneas, ubi panis coctus, singulis diebus pauperibus per

 unum

(1) Proventus huius hospitalis Sanctæ Crucis magnopere excreverunt, postquam scripsit Ortizius: Cardinales etenim dominus Balthasar *de Moscoso*, et dominus Ludovicus *Portocarrero* suo in testamento tum temporis cum debita licentia Sedis Apostolicæ heredem illud instituerunt. Quam ob causam merito numeratur, ut præcipuus fundator, Archiepiscopus *Mendoza*, et ut insignes benefactores, Archipræsules *Moscoso*, et *Portocarrero*; quorum omnium effigies in Ecclesia hospitalis iuxta altare maius sunt appositæ.

(2) Hospitale, amentibus destinatum, vulgo *del Nuncio*, multis abhinc annis segregatum, commodiorem in locum (Deo volente) transferetur in magnificam fabricam, quæ ædificata iam est, sumptibus meis præcipua ex parte.

(3) Expensis fabricæ sanctæ Ecclesiæ recenter ornatum est hoc claustrum picturis à contendentibus hinc inde regiæ cameræ pictoribus domino Francisco Baieu, et domino Mariano Maella. Ibi ad vivum repræsentantur prædicatio evangelica Sancti Eugenii I, eius martyrium, et translatio corporis. Alia in claustri linea martyrium et obitus S. Leocadiæ. In alia Sancta Casilda, eiusque obitus; simul etiam S. Ildephonsi, Eugenii III, atque Helladii imagines conspiciuntur. Nec silentio præterire debemus, etiam ibi martyrium S. Infantis oppidi *de la Guardia*, à Iudæis crucifixi, apprime depictum esse.

Digitized by Google

unum canonicorum distribuendus, asservatur[1]. Hanc quidem eleemosynam, hoc est sexcentas tesseras frumentarias (quæ vulgo dicuntur *hanegas*), Prælatus, fabrica, et Capitulum æqualibus portionibus conferunt; habent enim mensas discretas, quod iure non improbatur: ut in cap. edoceri de rescrip. Ad dextram vero gymnasium se offert, cathedraque ibi sacræ paginæ, dotata (proh dolor!)[2] et deserta (raræ enim lectiones leguntur, cum quotidie essent legendæ); et in eo gymnasio scalæ sunt, quibus itur in Bibliothecam, vetustam quidem, sed utilem, copiosamque, cui assidet custos stipendiarius[3], qui eius ostia claudit, et aperit volentibus libros evolvere, eidemque cura est mundandi aulam, ac pulverem librorum excutiendi. Continuo est officina, ubi multa instrumenta servitio Ecclesiæ, et repræsentatio-

(1) Postquam regia pietate, et sumptibus meis refectum est, et fere totum extructum palatium regium, denominatum *Alcazar*, ut domus esset caritatis, pauperibus iuvandis deserviens, in qua infantes religione imbuerentur, simulque iuvenes in officiis, et artibus textoriis serici et lanæ exercerentur; eleemosyna tritici in meliorem usum commutata est: nam et Præsul et Capitulum eam quotannis assignarunt, ut pauperes, in regia ista domo caritatis commorantes, alerentur.

(2) Ingemuit Ortizius, et ingemisco ego, desertam esse cathedram, in qua debent clerici edoceri sacram Scripturam: nec enim omissio hæc ullo prætextu excusari potest; cum Præbenda Lectoralis in Ecclesiis Cathedralibus præcipue instituta sit, ut eam obtinens, sacras litteras explicet; quod propterea munus tenetur adimplere, ut faciat fructus suos: et pariter dicendum de canonico Pœnitentiario, cui alias obligatio incumbit confessiones audiendi. Magna autem sollicitudine Præsulis, et Capituli curandum est, ut Primatus Ecclesiæ Toletanæ nedum in proventibus, templi magnitudine, et sacra supellectili resplendeat, sed in magisterio, et munerum adimpletione, canonicis tam in choro, quam in cathedra, ceteris Ecclesiis exemplum præbentibus: cum aliunde neque Prælati auctoritas, vel Capituli, neque fundatores in suis testamentis possint præcipere, ne hæ leges canonicæ locum habeant, sive quod canonici Lectoralis, et Pœnitentiarius debitis stipendiis priventur, dum officiis suis in cathedra, vel in confessionali satisfaciunt.

(3) Bibliorum, et sacrorum custos in hac sancta Ecclesia mea Toletana est Thesaurarius, seu Sacrista, ut vocatur in iure Canonico, ad quem pertinet nominare vicem eius gerentem tam in Sacrario quam in Bibliotheca. Ego quidem ipse, dum canonicatu potirer, vices gessi domini Romualdi *de Velarde*, postea Episcopi Abulensis, et domini Francisci *Perez Bayer*, qui nunc est Bibliothecarius maior regiæ Bibliothecæ, et Archidiaconus Valentinus. Equidem hæc dignitas in novissima concordia cum Sede Apostolica fuit reservata S. Pontifici; sed absdubio in eius reservatione latuit officium custodiendi sacra, et Bibliothecam S. Ecclesiæ, in qua asservantur pretiosa et selectissima MSS. ad quæ evolvenda, et de eis rationem reddendam necessaria est persona antiquitatis non ignara: nam cum ad eam invisendam accedant non solum huius regni clarissimi viri, sed etiam exteri, indecorum est, ut ibi non assistat canonicus omnigena, quantum fieri potest, eruditione refertus. Certe in Ecclesia adeo magna expedit maxime præcellentia in virtute et doctrina Præsulis et canonicorum.

Archiepiscopus dominus Petrus Tenorius primus fuit, qui suam Bibliothecam Ecclesiæ donavit, et hæc est quasi fundamentum illius, quæ hodie omnibus admirationi est; in ea enim recondita sunt Biblia sacra Gothica, codices Conciliorum, Sacramentalia, Ritualia, et alia MSS. ad ritum Gothicum pertinentia, quæ sæpius perlustrarunt P. Mariana, clarissimus Ioannes Baptista Perezius, Cardinalis *de Aguirre*, prælaudatus Franciscus *Perez Bayer*, Patres *Burriel*, et *Florez*, plurimaque ex eis decerpserunt.

Præter hanc Bibliothecam S. Ecclesiæ alia copiosior est, omnibus patens, Archiepiscopalis scilicet, à me erecta, et ditata selectissimis voluminibus, Museoque adiacenti, quod non tam copia rerum, quam electione, ex partibus regni mineralis, vegetabilis, et animalis, magnopere æstimandum est.

Digitized by Google

tionibus actuum, qui festis sollemnioribus fiunt, reponuntur. Inter quam et capellam subsequentem quoties gradus magisterii litterarii per Scholasticum conferendi sunt (is enim est qui academiam Toletanam moderatur), tabulata quædam extruuntur, omni ornamento et splendore referta, atque illic de more convenitur, et studiorum labores et vigiliæ præmiis dignissime cohonestantur.

CAP. LX.

De Sacello domini Petri Tenorii Toletani Antistitis, et eius præclaris operibus.

Domini Petri Tenorii, Archiepiscopi Toletani, monumenta quis maxima admiratione non prosequatur? Ipse enim sumptuosum hoc claustrum ædificavit, iecitque primum lapidem pridie Assumptionis candidissimæ Virginis, anno Domini 1389, ibique Sacellum, quod quinque, albo nigroque lapide structis, gradibus ascendimus, eleganter struxit, contra dictam claustri ianuam aditum habens, clathris quidem ferreis, necnon ligneis valvis obturatum. Omnes eius parietes interius Sanctorum historiis, animisque Ethnicorum tartareis flammis ardentium, undique depicti sunt. Sacellum hoc tria ad Orientem posita continet altaria, sacrariumque, ubi omnia eius ornamenta cum aliis ad divinum cultum facientibus custodiuntur. Dictus Archiepiscopus septem capellanos idoneis reditibus instituit, quibus singulis quattuor Missas unaquaque hebdomada celebrandas adiunxit, præter communem aliam, quæ ab uno ex Sacrificis, aliis ad secundum sonum cymbali de prima congregatis, officiumque canentibus, quot diebus celebratur. Vespere autem secundo campanæ vespertinæ pulsatu ad horarias preces defunctorum omnes conveniunt. Cuius institutionis patronatum Capitulum obtinere voluit. Cumque reditus ab ipso assignati in dies augerentur, decreto patronorum eisdem ex proventibus additi sunt alii novem sacellani, totidem obærati sacrificiis. Sancitumque est insuper, ut quovis anno unus ex canonicis Presbyter in universis administrandis præcipui gerat vices sacellani. Fundatoris vero corpus sepulcro sub marmoreo eiusdemque statua super effigiata mediam capellæ partem occupat. Iuxta quod, paulo humilius, est alterum monumentum Episcopi Placentini Vincentii *Arias, de Balboa* dicti, optimi et religiosi viri, eiusdem Archiepiscopi quondam capellani. Alia sane plurima hic magnificentissimus Archipræsul celebria pulchraque opera effecit, quæ scitu utpote dignissima, ut in exemplaribus Ecclesiæ annotatum reperi, huic opusculo adnectere visum est. Ipse enim in Tago fluvio, qui Toletum ferme ambit, pontem, Divi Martini appellatum, antea exiguum nimis et angustum, ubi multi discrimina vitæ patiebantur, altum munitumque (ut cernere est) ædificavit. Castellum præterea S. Servandi nominis, trans pontem *de Alcantara* situm, pro huius urbis defensione ac munitione, pæne dirutum, resarcivit. Cœnobium ordinis Divi Hieronymi in oppido *de Ta-*

la-

lavera condidit. Oppidum quoque *de Villafranca* à primordiis fundavit, ibique Ecclesiam sex Sacerdotum assignatis vectigalibus struxit. Atque hospitale duorum impluviorum, quorum alterum feminarum, alterum virorum est. Omnesque advenas pauperes ac peregrinos unius dumtaxat diei naturalis spatium commorari, ac eisdem alio profecturis ex præfecti hospitalis sententia viaticum erogari iussit. Pontem rursus iuxta dictum municipium erexit geminis turribus validissimisque munitum, ab ipso quidem auctore Archiepiscopalem nuncupatum, à quo oppidum etiam ipsum Pons Archiepiscopi appellatur. Porro tria castra Ecclesiæ Toletanæ, scilicet *Canales*, *Alhamin*, *Almonazir*, quæ iussu Regis domini Petri diruta fuerunt, instauravit. Nec vero his tantum acquievit, quin castellum etiam munitissimum iuxta oppidum, quod *Alcala* regia nuncupatur, in confinibus regni Granatæ struxit, ut illud captivi Christiani, qui manus Saracenorum evasissent, in protectionem suffugiumque haberent. Inque sublimi eius turri mirandæ magnitudinis olei lampadem collocavit, cuius lux et splendor tres circiter leucas fulgebat, ne illuc confugientes, dispendium ullum, erroremve paterentur. Vir profecto sanctissimus, et qui vitæ huius dubiæ illecebras contemnens, ad perpetuam se toto animo parare videretur. Cæterum hisce paucis ex iis, quæ ille inclite gessit, prælibatis, ad inceptum nostrum revertamur. Hic ergo absolvitur Sacellorum numerus: nam prout nobis institutum fuit, ab ærario sacro exordium sumere, ac deinceps per gyrum procedere; ad hanc partem tandem deventum est, qua nimirum Sacella clauduntur: ubi mihi gratulari libet, quod, quemadmodum in prœliis contingit, ut extrenui quique in fine collocentur, ita etiam in præsentia obvenerit, ut ultimam manum Ecclesiæ adponenti hoc domini Petri Tenorii Sacellum occurrerit, quod multis nominibus celebrari dignum existit.

CAP. LXI.

De numero beneficiatorum.

Est ergo numerus omnium beneficiatorum, ne forte lector in illis recensendis distorqueatur; si velit modo à choro, et deinde per singula Sacella enumerationem facere, quadringenti quadraginta quattuor: ubi lector attendas, obsecro, totam hanc multitudinem quaternario numero (eoque triplici) absolvi, qui nimirum in Pythagorica doctrina augustissimus et sacrosanctus erat. Ordinem hic singulorum apponere placuit, etiamsi postea in libelli fine, versibus quibusdam, (ut memoria facilius teneas) complectendum curavimus, ne sit quod de nobis conqueri possis in omnibus tibi non satisfactum esse.

Archiepiscopus Primas Hispaniarum.

Quattuordecim dignitates.

Canonici præbendati quadraginta.

Quinquaginta portionarii.

Viginti canonici extravagantes.

Capellani, de Choro nuncupati, quadraginta octo.

Tri-

Digitized by Google

Triginta septem Sacerdotes stipendiarii, qui horis solum nocturnis sunt deputati.

Clericuli quadraginta, ex quibus sunt sex electi musicæ.

Capellani capellarum, cum aliquot sacristis, et clericellis, centum nonaginta quattuor.

Quorum numerum nulla nunc Ecclesia præter Toletanam reddere poterit, licet olim templum Constantinopolitanum plures beneficiarios contineret, ut leg. non plures, de sacros. Eccles. Cod. quod felicissimo tempore tuo, Princeps augustissime, in pristinum statum restituendum speramus.

CAP. LXII.
De ultima claustri descriptione.

Omnes claustri parietes picturis Divorum absolutissimis undique ornantur. Quas si quis studiose lustraverit, nempe Apellem ibi penicillum satis graphice exercuisse agnoscet. Et quoniam has ad unguem imagines, et earum primitivorum historias parvo nequaquam tempore aut brevi expositione, sed libro et eo amplo explicare, et prosequi deberem, quod à me in præsentia præstari non potest, nonnullas tantum veluti ex transcursu, à particularibus abstinens, ibi depictas enarrabo. Sed quia opus hoc describi impeditum est, et claritatis non ita capax, operæ pretium erit præscire, claustrum de quo agitur, quattuor habere absides, quæ quadrangulum constituunt, septenos fornices sortientes; qui perinde suum parietem velut in septem dividunt spatia, ternas ut plurimum historias continentia. Atque, ut ab exordio ordinem picturæ optimum (in quo coniicio magna latere mysteria) in scribendo servemus; supra ianuam capellæ domini Petri Tenorii prœlium depictum est, quo Michael Archangelus, et Angeli eius prœliabantur cum dracone, qui cum Angelis suis per superbiam corruens, angelicum numerum minuit. In prima vero parte parietis orientalis iuxta supradictam historiam aliæ tres visuntur. Prima est formatio primorum parentum: nam cum Angelorum reparationi consuleret omnipotens Deus (quorum decimus ordo de cœlo deciderat, ut in cap. hi duo de cons. dist. 1. in decretis), protoplastum de limo terræ formavit, qui sui generis propagatione damna cœlestis patriæ resarciret. Secunda et media est, uti primi parentes fructum prohibitum degustant, suggerente colubro, os et caput femineum demonstrante: tertia est depulsio eorumdem per Angelum de paradiso. In secunda parte tres itidem historiæ pictæ habentur: prima, quomodo postquam Ioachim prohibitus fuit offerre in templo, verecundia confusus, ad pastores suos longe abiit, eique apparuit Angelus, ac iussit, imperante Domino, ut ad Annam uxorem suam reverteretur ex ipso germen habituram. Tertia, quomodo S. Annæ Deum oranti, ut maritum suum sibi restitui dignaretur, Angelus identidem Dei iussu nunciavit reditum Ioachim, Virginemque Sacratissimam Mariam ex ipsa nascituram. Media et præcipua est, quomodo Ioachim et S. Anna sese ad portam civitatis invicem conspi-

spiciendo, perfusi gaudio, amplectuntur. Tertia pars habet duas tantum historias: altera est, quomodo S. Anna peperit Virginem Dei Matrem: altera, quomodo Virgo ipsa Beatissima quindecim scalarum gradibus ad templum ascendit; et à lateribus adsunt duo Prophetæ. Quarta habet unicam historiam, hoc est, adventum Gabrielis ad Sanctissimæ Incarnationis mysterium salutantis Virginem gloriosam, et Spiritum Sanctum à Patre Supremo demissum, iuxta verbum Archangeli: *Spiritus Sanctus superveniet in te.* Quinta itidem unicam obtinet historiam, scilicet, iter Virginis Sanctissimæ, tribus comitatæ virtutibus, in habitu et figura virginum per montana Iudææ; utque intrat domum Zachariæ, hic gloriosissima Maria et beata Elisabeth summa humilitate se invicem salutant: tum dextra ac sinistra adsunt duo Prophetæ. In sexta parte habetur felicissimum Assertoris nostri natale, multis Angelis, tam in aere, quam apud infantem astantibus; ac Beatissima Mater et Ioseph flexis genibus Iesum adorant, et duo itidem utrimque Prophetæ. Septima et ultima pars huius absidis supra posticum capellæ Divi Petri, iuxta ianuam qua ex claustro in Ecclesiam quattuor gradibus descendimus, adventus Regum Magorum, et adoratio visitur.

Secunda absis meridionalis, Ecclesiæ ambulationi contigua, vacat historiis, ne lux, quæ per claustrum ad Ecclesiam transmittitur, qua illustrantur Sacella, impediatur. Ultima tamen pars eius absidis ad claustri posticum, quo in viam publicam itur, depingitur oblatione Sanctissimæ Virginis, cum obtulit filium Iesum in templo, et iusti Simeonis tradidit manibus: cui subsunt Archiepiscopus, et chori beneficiarii. Huic deinde picturæ subest tribunal, unde Vicarius urbis ius dicere solitus erat. Tertius apsidis paries, viæ publicæ contiguus, propter septem fornices septem pariter divisionibus secatur. In quarum prima sunt tres historiæ: ad lævam, uti Virgo Beatissima orans, habet filium Iesum, sinu fovens, et Angelus apparens Ioseph, monet illum, ducat Matrem ipsam, et Sanctissimum Filium in Ægyptum: media et præcipua est, quomodo Virgo pretiosissima, et beatus Ioseph cum infante in Ægyptum tendunt. Tertia est eorum ingressio, quando omnia idola Ægypti corruerunt. In secunda sunt item historiæ tres. Prima, occisio Infantium innocentium: secunda, ubi Redemptor noster, suæ ætatis iam duodecimum agens annum, disputabat in templo inter doctores, et quomodo sua Mater et Ioseph, solliciti, templum ingrediuntur, cum ipsa dixit: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Tertia, quomodo Iesus intrat fluvium Iordan, atque à Divo Ioanne baptizatur. Sequens divisio continet totidem historias: prima est dæmonis imago, Servatorem nostrum tentantis: secunda transfiguratio Domini nostri in monte Thabor cum tribus discipulis, Moyse et Helia astantibus: tertia est Assertoris nostri imago, Divum Lazarum exuscitantis è monumento. In quarta parte depictum est, quomodo Dominus noster ingreditur Ierusalem, assectan-

Digitized by Google

ctantibus discipulis, et susceptio sibi facta: prope autem hanc historiam videre est imaginem Redemptoris nostri, de templo negotiatores eiicientis. Quinta divisio tres continet historias: prima est ablutio pedum Apostolorum ab eorum Principe Iesu facta: secunda est cœna Domini cum discipulis: tertia oratio facta à Christo benedictissimo in hortis. Sexta totidem sortitur historias: prima, ut Dominus noster columnæ alligatus est, et carnifices sanctissimum corpus verberibus afficiunt: secunda media et maxima est, quomodo Redemptor noster stat coram Pilato, sententiam pronunciante contra iudicem de nobis sententiam laturum: tertia est, quomodo Christus Dominus noster crucem humeris baiulat. In septima et ultima parte unica depicta est historia, scilicet, Dominus noster in cruce pendens inter duos latrones, et alios permultos perfidos, et scelestos homines, quamvis non deficiunt aliqui religiosi et optimi, scilicet, Mater eius curis ingentibus ægra, Beatus Ioannes et Maria Magdalena cum aliis quibusdam huiusmodi. Sequuntur iam quartæ ac supremæ absidis historiæ enarrandæ, quæ quidem finiuntur ad capellam domini Petri Tenorii, unde huius claustri descriptio initium accepit. In prima igitur huius absidis divisione tres habentur historiæ: prima, ut sacratissimum Christi corpus, de cruce detractum, repositum fuit in gremio mœstissimæ Virginis Matris: secunda ac media est, quomodo anima sacratissima Christi cum ineffabili divinitate Sanctos Patres in limbo visitavit: tertia, ut Christi corpus reponitur in monumento. In secunda totidem continentur historiæ: prima, uti Servator noster apparuit Mariæ Magdalenæ in hortis olitoris habitu: secunda, ut Assertor ipse, armatis obsessus custodibus, prodiit è sepulcro. In tertia ostenditur, qua forma Dominus noster, videntibus discipulis, ad cœlos ascendit cum Angelis permultis, quibus tota hæc pars plena conspicitur. In quarta depictus erat adventus Spiritus Sancti in die Pentecostes, sed parietis uligine maxima ex parte incrustatio dissipata est. Quinta habet Assumptionem Virginis gloriosissimæ, Apostolis astantibus. In sexta cernitur supremum iudicium, quo Dominus noster veniet cum maiestate et potestate maxima, et Beatissima Maria, nostrum omnium studiosissima patrona, à dextris eius, ac discipuli hinc inde sedentes: paulo dein inferius stant ad dextram Beati, albis velaminibus amicti; ad sinistram vero condemnati apud infernum ibidem horribiliter figuratum. Septima ac postrema huius absidis divisio, quæ est supra limina Sacelli domini Petri Tenorii, delinitur unica historia, scilicet lapsu Angelorum damnatorum, veluti in ipso historiarum exordio explicavimus. Sciendum insuper, quod infra historias et figuras supradictas, multæ Sanctorum imagines, agri pascui ac consiti, villæ, mare, montes, lacus, fluentia, rupes, planities, nemora, valles, arbores, prata, herbæ, aves, flumina, et alia huiusmodi plurima perquam graphice depicta conspiciuntur, quibus

Digitized by Google

simul et historiis tam veteris, quam novi Testamenti, quas adhuc significavimus, nullibi non ornati parietes spectatores rerum amœnitate et copia detinent meritissime[1]. Præterea intra parietem septemtrionalem altare[2] visitur, superpositis tabulis pictis, craticulisque ferreis, necnon ligneis clausum postibus, à quodam Alphonso Gundisalvo *de Castellanos*, huius urbis tribuno plebis, sub invocatione Beati Alphonsi anno Domini 1420 erectum, à quo aram ipsam *de los Castellanos* vulgus appellat, instituto sacellano rem ibi divinam quotidie facturo, in cuius stipendium ædes quasdam in hac urbe iuxta viam publicam sandaliorum reliquit. Quæ postea in tumultu quodam civili solo æquatæ fuerunt. Huius autem posteri, sub quorum patrocinio dictum opus constituerat, ne omnino memoria periret, aream ædium auctioni exposuerunt. Unde omnibus diebus veneris in quadragesima Missam unicam celebrare faciunt. Quibus etiam, si quid ibi collapsum fuerit, instaurandi reficiendique cura iniuncta est. Iuxta quam aram in angulo ad occidentalem pæne plagam vergente, ligneum pulpitum parieti affixum conspicitur, ubi quadragesimali tempore præter conciones plurimas, quæ in aliis Templi partibus fiunt, Divorum Dominici, Francisci, et Augustini asseclæ concionantur. Non longo abhinc tractu in pariete occidentali se offert ianua quædam parvula, qua aperitur ingens camera subterranea, sub via publica fabrefacta, instrumentis lapicidarum fabrorumque lignariorum asservandis, artificibusque ibi (si lubet) nocte excipiendis deputata. Porro in meridionali pariete iuxta posticum, quo in viam publicam itur, supra dictam Vicarii urbis sedem[3] iudicialem, necnon infra beneficiatorum effigies, solemne est epitaphium huiusmodi.

Lunes tres dias de Hebrero año de mil y quinientos y veinte y dos, dia de sant Blas, por los méritos de la sacratissima virgen nuestra señora, el dean y cabildo

(1) Omnes sacræ historiæ, et cetera quæ refert Ortizius, depicta erant, ut hodie, supra recens udum albarium, quod vulgo dicimus *al fresco*; sed decursu temporis deturpatæ, vel deletæ fuerunt, cortice nudata et à pariete avulsa: quam ob causam novæ picturæ suffectæ fuere, ut supra annotavimus pag. 467.

(2) Supra hoc altare posuit Cardinalis Gaspar *de Quiroga*, Archiepiscopus Toletanus, picturam, alia veteri sublata, manu Ludovici *de Velasco* factam, quæ, si non superat, æquat saltem omnes alias in hac Ecclesia positas. In ea depictæ sunt imagines Virginis Mariæ, et Sanctorum Blasii, Antonii Abbatis, Cosmæ, et Damiani, Agnetis, et Catharinæ; et ad pedes Beatæ Mariæ Virginis provolutus, eam adorat Ferdinandus Infans Aragoniæ, qui expugnavit Antequeram, et postea fuit proclamatus Rex Aragoniæ: hoc quidem in præmium suæ fidelitatis erga Ioannem Regem infantulum; nam cum Proceres eum ut Regem Castellæ desiderarent in tam minori ætate legitimi heredis infantuli, in comitio habito intra eamdem capellam, Ferdinandus respondit: "Absit, ut tale »crimen fidelitati meæ iniiciam: serviam »utique Regi infantulo, et eius nomine »gubernabo; sed sceptrum fidissime illi »servabo.

(3) Hæc sedes sublata est, et iurisdictio huius dignitatis expiravit: verum est quod priscis temporibus ad Vicarium expectabat invigilare, ut festa sacra colerentur, et intra Templum nulla fieret irreverentia; sed hoc munus competit hodie Vicario generali, et Decano Capituli.

Digitized by Google

do con todo el clero de esta sancta yglesia y caballeros y buenos ciudadanos, con mano armada, juntamente con el arzobispo de Barri, que á la sazon tenia la justicia, vencieron á todos los que con color de comunidad tenian la ciudad tiranizada. Y pluo á dios que ansi se hiciese en recompensa de las muchas injurias que á esta sancta yglesia y á sus ministros avian hecho, y fué esta divina victoria causa de la total pacificacion desta ciudad y de todo el reyno, en la qual con mucha lealtad, por manos de los dichos señores, fué servido dios y la virgen nuestra señora y la magestad del emperador don Carlos semper Augusto rey nuestro señor(1).

Insuper ut de editioribus ædificii partibus aliquid dicam, scalæ ingentes ad Septemtrionem, iuxta domini Petri Tenorii Sacellum, sitæ sunt, partim novenis, partim senis, et his brevibus, in quadrangulum erectæ lapideis gradibus, donec ad summum perveniatur; in quarum tractu tres patent cellulæ: una oleo pro omnibus Templi lampadibus, numero triginta, præter eas, quæ in Sacellis allucent; aliæ vero duæ aliis Ecclesiæ ministeriis destinatæ. Iis enim scalis ascendimus ædificia magnifica, tempore domini Francisci *Ximenez*, Archiepiscopi Toletani, extructa. Ad quæ, quoniam sigillatim enarranda, plus, quam par est, temporis exquireretur; idcirco obiter sat erit dixisse, nostra hac tempestate Præsuli esse hospitio, suisque famulis et familiaribus, necnon clavigero, aliisque Ecclesiæ opificibus: atque ad Occidentem quasdam cochlides scalas habere, quibus in virides hortos, in medio huius claustri positos, herbis pomisque odoriferis vernantes, secreto descendimus, multis quippe malis citreis, myrtis, lauro, aliisque id genus abundantes. Postremo in huius claustri angulo, ædi S. Petri contiguo, sunt aulæ, magnifice super primam absidem fabrefactæ, ex cuius absidis fornice proiectum menianum, pulchre elaboratum, in secundam protenditur, quod dominus Franciscus *Ximenez* Archiepiscopus (ut fertur) struxit, ut ex eo Christianissima Regina Elisabeth, tuæ celsitudinis proavia, rem divinam audire, aliisque divinis mysteriis interesse posset; inde enim præcipuum huius Templi altare adorare datur.

CAP. LXIII.

De exteriori turris descriptione.

In extrema Templi parte, quæ Occidentem respicit, duæ surgunt turres, è quibus altera imperfecta remansit; altera vero quadrata, seu mavis, octogona, excelsior et elegantior cernitur, cuius admiranda altitudo nubes transcendere videtur; ad eamque merito silere possunt Ægyptiæ pyramides, Alexandrina Pharus, Rhodiorumque colossus. Turris hæc, ex lapide fusco

(1) Hæc inscriptio sublata est, et in eius locum suffecta pictura S. Eulogii, Præsulis Toletani electi; indecens namque visum fuit discordias communitatum in memoriam revocare, præcipue cum *Padilla* et eius uxor quamplurimum ad eas fovendas contulerint, satiusque sit infidelitatis notam penitus abolere.

et duriori et elegantiori constructa, universis Hispaniæ templorum turribus (quod publico omnium ore circumfertur) speciosior et sublimior, plana ad primam fasciam, nihil exterius sculptum habet; inde vero usque ad fenestras, ubi cymbala pendent, multis lapideis fasciis circumdatur: multa ibi expolita, atque impense fabrefacta, videre operæ pretium est, maxime secundum limbum (nam quinque præsertim zonis (ut sic dicam) admirandi operis hæc moles præcingitur), ex nigro lapide columellis suo ordine interpositis mirifice elaboratum: in quo paribus inter se spatiis distantia cuiusdam Præsulis insignia ex lapide albo affixa, tessellisque hinc inde circumdata prospiciuntur. At tertius limbus tessellis cæruleis, pari intervallo dispositis, decoratus, pulchram turrim pulchriorem visuque amœniorem reddit, quæ sigilla sub parvis fornicibus mire elaboratis in ipso structuræ lapide adiacent. In quarta fascia plurima hominum capita ex lapide albo prominent, quæ parvulis quibusdam pilis distincta, procul intueri videntur. Paulo superius ingentes pro cymbalis fenestræ clathratæ apparent, in quavis fronte binæ, quarum inter utramque humanam statuam cernimus, ex lapide etiam albo fabrefactam; ita ut in singulis tetrantibus singulæ hominum effigies conspiciantur. Supra has fenestras visitur quinta corona, cui innititur ambulacrum turrim quacumque circuens, supra quod in cuiuslibet frontis medio (unica dempta) nova turricula surgit cum pinnaculo Mediolanensi bractea munito, cruce auro delinita desuper imposita; et hic quadrangularis pars secunda finitur. Sequitur inde tertium et ultimum turris opificium, rotundæ formæ, augustius et elegantius, in octo nimirum pilas artificiose assurgens, quibus totidem capreoli iunguntur fortioris muniminis gratia, ubi et quattuor pergrandes pinnæ triangularis formæ turri ipsi, potius elegantiæ, quam munitioni eriguntur. Inque octo pilarum summo plenam elegantiarum atque artificii coronidem inspicimus. Supra quam tholus fastigiatus, in modum pyramidis absolutus, cœlum tangere videtur. Cuius fastigio crux ferrea ingentis magnitudinis superimposita est, quæ cum ex inferiori solo suspicitur, ob turris profunditatem exigua quidem, sed propius cernentibus miræ profecto et ipsa altitudinis censetur.

CAP. LXIIII.

De interiori turris descriptione, et cymbalorum nominibus.

His iam, quæ de exteriori turri dicenda censui, utcumque patefactis, ad interius latentia revertamur. Iis igitur, quæ modo referenda sunt, aditus est, qui in ipso statim turris calce sese offert, ab Ecclesiæ pavimento septem gradibus editior, poste ligneo ferreis munito laminis obturatus: à quo usque ad turris fastigium 284 gradus scala cochlea ascenduntur. Ad 83 gradum ianua parva posita ascensum præpedit. Ad huius ostioli dextram tribus gradibus superius carcer, ligneis foribus ferro celatis clausus, in ipsiusque turris velut thorace positus, quasi inexpugnabi-

bi-

bilis locatur. Quattuor fenestræ eximiæ altitudinis (quælibet in suo pariete à pavimento proceri hominis statura sublimior existens) ipsum carcerem illuminant, iuxta quas in parietum crassitudine iudicis ecclesiastici imperio deprehensi lectos sternere consueverunt; quippe turris spatium cum sit 40 pedum (nam cum formam quadratam hæc turris habeat, æqualis ab omni parte metientibus apparet) viginti cavum, et totidem lata parietum crassitudo sibi vendicat. Huic altera cella superstat quindecim gradibus sublimior, quæ à prædictis itidem fenestris illuc usque longis illustratur. In eiusque angulo, Septemtrionem pæne respicienti, cisterna quædam; in orientali vero parte horreum ligneum ad esum potumque custodum pro turris maiori munimine conspiciuntur. Aqua enim frumentumque ad munitionem, quæque ad victum pertinent, non minus quam arma, sunt necessaria. Mox è ianua illa secunda trames angustus Meridiem versus aliquantulum protenditur. Ad cuius sinistram, non longe post ianuam, turri contiguum domicilium est præsidi turris destinatum: domus omnino integra, cœnaculum, cubiculum, coquinam, aulam venustiorem hospitandi gratia, aliaque receptacula ad supellectilia asservanda continens. Adversus huius domicilii aditum, menianum ligneum, ad portæ illius, quam diximus *de la torre*, dextram superimpositum, imminet, ex quo turris præfectus panem, vinum, carnes, aliaque victui necessaria per restim et trochleam accipit. Inde in tramitis extremo scalæ cochleæ iterum offeruntur, triginta tres utique gradus adimplentes, quæ solida camera exterius pyramidali ex lapide albo, sexque pilis imposita, operiuntur. Ad quarum dextram solaria magna, quo longiora, eo angustiora, super portas Indulgentiæ, et Tabellionum sita, ad Mozarabum Sacelli pinnaculum perducunt.

E regione scalarum invenitur ianua quædam parvula, qua totius Ecclesiæ ædificia convexa, inexplicabilem sane labyrinthum, circumambire datur. Continuo in ipso turris imo ascensus patet, qui ligneis valvis ferro exterius roboratis munitur. Hinc ad decimum quintum gradum carcer alius se offert munitissimus, ac supra illum, de quo paulo ante diximus, existens: ostio ferreo obturatur, ob suumque munimen Cameræ fortis vulgo nomen ei inditum est. Ad vigesimum octavum gradum adiacet solum, opere fornicato superius opertum, ubi octo magni ponderis cymbala pendent, funibusque perticis axium alligatis hinc inde obvolvuntur. Eorum nomina sunt: primi, ascendentibus ad dextram in pariete orientali se offerentis, Sancta Leocadia. Deinde in septemtrionali pariete duæ sunt campanæ, prima Incarnatio Christi, secunda *Calderona* vulgo nuncupatæ. Mox sequitur occidentalis paries, duas alias continens: prima quidem Divi Alphonsi, altera vero Resurrectionis Domini titulo decorantur. In pariete denique meridionali duo alia cymbala sunt: alterum Sanctus Eugenius, alterum vero Dominica Ascensio appellatur. Inque horum medio cymba-

balum ingens, cetera longe sua ponderositate præcellens, positum est, cui nomen inditur *Cananea*[1], ligneoque artificio innitens, propter admirandam eius magnitudinem crepitaculo dumtaxat moto pulsatur. Quadraginta insuper ascensis gradibus, erigitur tertia et ultima turris pars, quam rotundæ formæ esse diximus, duo summi ponderis cymbala in medio prorsus existentia continens: alterum, quod nominatur Santa Maria à nivibus, altero, cui nomen *Fonseca*, ulna celsius: quæ, ligneo artificio innitentia, ob ingens ipsorum pondus moveri nequeunt; nec, si possent, liceret, ne turris, ipsorum pondere gravata, ruinam minaretur; sed crepitaculo agitato ipsa immobilia personant. Quæ omnia cymbala adeo compositos mira quadam dissimilium sonituum moderatione (veluti ex summis, et mediis, et infimis vocibus) sonores offerunt, ut huic armoniæ omnes cuiusvis alterius templi cymbalorum concentus per totum orbem cedant. Hinc ad octogesimum quintum gradum tholus est, quem in pyramidem fastigiatum esse diximus, qui demum exteriori interiorique turri finem imponens, adeo se cunctis spectabilem præbet, ut turri decori et tegumento sit.

CAP. LXV.

De palatiis Archiepiscopalibus, et aula Conciliorum appellata.

In circuitu Templi omnes domus Ecclesiæ salaria pendunt, in quibus describendis non visum est tempus consumere. Sed omittenda non sunt Præsulum palatia, amplissima quidem, prisco tamen modo structa, quinque enim impluvia continent, Sacellum insuper egregium intemeratæ Virgini dicatum, cum claustro multis expolitis columellis suffulto. Quæ quidem palatia non mediocrem venerationem merentur, siquidem et in eis sacrosanctæ Synodi celebrari consueverunt, et præterea constructo instar pontis ambulacro Ecclesiæ ipsi iunguntur, ac veluti pars ipsius efficiuntur. In eis etiam tribunal metropolitanum non exigui nominis et auctoritatis, nimirum cum primum in Hispaniis teneat locum, continetur. Hic etiam non silentio prætermittendum opus, quod institutione bonæ memoriæ Ioannis Patriarchæ, Archipræsulis Toletani, triginta pauperum ibi quotidie prandentium exercetur, eorumque mensam canonicus hebdomadarius absoluto Missæ sacrificio benedicere, panem vinumque, an victui commo-

(1) Hoc cymbalum, denominatum *Cananea*, in eius consecratione ruptum est, et in eius locum aliud maioris ponderis fusum; pondo etenim est triginta et septem millia librarum, quæ ad nostram vulgarem mensuram redactæ, efficiunt mille et quingentas *arrobas*: ob cuius magnitudinem non levi periculo ruinæ exposita fuit turris, dum in medio eius locaretur, quod ipse vidi; et nisi à peritis in arte nautica rotis et instrumentis mathematicis levatum è terra fuisset, simulque turris funiculis circumdata, forte illius fabricæ summa pars funditus corruisset. Propterea in totius turris refectione, meo in tempore facta, maxima cura adhibita fuit, et interius exteriusque ferro circumsepta superior pars, et fornices reparatæ; attamen omnes mirantur hanc fabricam substitisse, tam in fulminis percussione, quæ evenit initio huius sæculi, quam campanæ tantæ molis elevatione.

Digitized by Google

móda sint, aspicere tenetur. Insignitur præterea domus hæc Archiepiscopalis illustri quadam et spatiosa aula, mira venustate fabrefacta, ubi dictæ sacrosanctæ Synodi peraguntur, ac forsan Toletana etiam Concilia celebrata sunt, ut vulgaris civium sermo, ad nostram usque ætatem conservatus, innuit, ac titulus deinde ipsius aulæ, iuxta laquearia parietibus circumscriptus, indicare videtur; nec enim temere maiores nostros titulum ibi adponendum curasse, credere fas est, qui ex 5 quæst. 4 desumptus, ita se habet. *In loco benedictionis consedentes domini sacerdotes nullis debent aut indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbare, nullis etiam vanis fabulis, vel risibus agi, et quod est deterius, obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere. Si quis enim (ut Apostolus ait) putat se esse religiosum, non refrenans linguam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Illud vero, quod in aliquibus Conciliis sic scriptum reperies: *In Ecclesia Sanctæ Mariæ semper Virginis:* aut *in Ecclesia Sanctæ Leocadiæ*, sive *in Ecclesia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli*: ita poterit intelligi, quasi in illis sacris ædibus eorum Conciliorum materiæ propositæ fuerint, tractatæ vero forsan in hac aula, quam de Conciliis nuncupant. Habebatur etiam in eadem aula singulis annis in die Cœnæ Dominicæ latina concio, pariter et manuum ablutio beneficiariorum per Præsulem, sive, eo absente, per duos ex senioribus Ecclesiæ, quæ tamen ab hinc vigesimo sexto anno ad capitulum, ubi hoc tempore canonici congregantur, translatæ sunt.

CAP. LXVI.
De Conciliis Toletanis.

Et quoniam Toletana Concilia aliis quibuslibet celebriora existimantur (ut ex volumine decretorum elicitur, in quo centum decem capitula enucleata ex illis apparent), dignum duxi ea suo ordine cum Rege, sub quo fuerint celebrata, enumerare[1]. Sunt igitur secundum dominum Rodericum Archiepiscopum, et Didacum *de Valera*, in Hispaniarum historiis septemdecim, tametsi in Conciliorum tomis tredecim tantum collecta videamus.

Primum Concilium Toletanum, XIX Episcoporum, habitum est circa tempora Anastasii Papæ, Honorio et Arcadio Romanum imperium tenentibus, septimo idus Septembris, Stilicone Consule. Qui anno Domini CCCCXX, alias etiam anno CCCCII, consulatum gessisse traditur à Chronographis. Præsedit huic Concilio Patronus, Toletanæ Ecclesiæ Metropolitanus Episcopus.

Secundum Concilium Toletanum celebratum est circa tempora Ioannis Papæ II, anno quinto Amalarici Regis, sub Montano Archiepiscopo Toletano.

Ter-

(1) Hæc notitia Conciliorum correctior superius apposita fuit: in supputatione enim Ortizii nec ordo chronologicus, nec Præsides Conciliorum referuntur secundum receptiorem sententiam nostrorum historicorum, nec iuxta codices MSS. Æmilianensem, et Toletanos; idcirco in his non immoramur.

Digitized by Google

Tertium Concilium, LXII Episcoporum, tempore Pelagii Papæ, anno quarto Reccaredi Regis, ubi Ariana hæresis damnata est in Hispania, et Gothi ad Catholicam fidem conversi. Huic Concilio præsedisse Helladium, Toletanum Archiepiscopum, refert Rodericus Toletanus, lib. 2 cap. 15 suæ historiæ. Verum eius subscriptio in actis Concilii non reperitur, sed Euphemii, Toletanæ Ecclesiæ Metropolitani Episcopi provinciæ Carpetaniæ, quem tamen Euphemium Rodericus Tarraconensem Episcopum facit, qui eidem Concilio etiam interfuerit.

Quartum tempore Honorii Papæ primi, LXVIII Episcoporum, anno tertio Sisenandi Regis, in Ecclesia S. Leocadiæ virginis et martyris, sub Iusto Archiepiscopo Toletano. Huic Concilio subscripsit S. Isidorus.

Quintum tempore eiusdem Honorii, XX Episcoporum, anno primo Chintillani Regis, qui alias Cintila dicitur, in eadem Basilica Leocadiæ, sub Eugenio urbis regiæ Primate.

Sextum, XXXVII Episcoporum, tempore eiusdem Honorii Papæ, sexto idus Ianuarii, anno secundo eiusdem Chintillani, seu Cintilæ Regis, in prætorio Toletano in Ecclesia S. Leocadiæ, sub Eugenio Primate.

Septimum, XXXVIII Episcoporum, alias XL, circa tempora Theodori Papæ, vel Martini primi, anno quinto, alias sexto, Cindasvindi Regis, sub Eugenio Archiepiscopo Toletano.

Octavum, LII Episcoporum, alias LIX, circa tempora Martini Papæ primi, anno quarto Recisundi Regis, in Basilica prætoriensi Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, sub Eugenio Primate.

Nonum, XVI Episcoporum, circa tempora eiusdem Martini, anno septimo eiusdem Recisundi Regis, in Basilica Sanctæ Mariæ semper Virginis, sub Eugenio Primate.

Decimum, XVII Episcoporum, alias XXV, circa tempora eiusdem Martini Papæ, anno octavo eiusdem Recisundi, sub Eugenio Archiepiscopo Toletano. Notandum vero, duos hoc tempore Eugenios Ecclesiæ Toletanæ Archiepiscopos fuisse, alterum alterius immediatum successorem. Ita sex Concilia prædicta, quæ sub Eugenio habita dicuntur, non sub eodem, sed sub duobus habita sunt.

Undecimum, Episcoporum XVI, circa tempora Vitalliani Papæ, anno quarto Vambani Regis, in Beatæ Matris Domini Mariæ Virginis sede, sub Quirico Archiepiscopo, immediato Sancti Alphonsi successore.

Duodecimum, Episcoporum XXXV, tempore Agathonis Papæ, vel Leonis Papæ II, anno primo Ervigii Regis, in Basilica Sanctorum Apostolorum, sub Sancto Iuliano urbis regiæ Primate, qui corrupte subscribitur Iulius.

Tredecimum, XLVIII Episcoporum, circa eadem tempora, anno quarto eiusdem Ervigii Regis, in Basilica Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, sub eodem Iuliano Archiepiscopo. Atque hæc sunt tredecim Concilia Toletana, quæ in vulgatis Conciliorum codicibus continentur. Præter quæ traduntur

à

Digitized by Google

à Roderico Toletano et aliis quattuor alia Concilia, videlicet:

Quartum decimum Concilium, XVI Episcoporum, habitum anno quinto eiusdem Ervigii Regis, sub eodem Iuliano Primate.

Quintum decimum, LXI Episcoporum, anno primo Egicæ Regis, in Ecclesia Prætoriensi Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, sub eodem Iuliano.

Decimum sextum Concilium anno sexto eiusdem Egicæ Regis, sub Felice urbis regiæ Primate.

Decimum septimum Concilium celebratum fuit anno septimo eiusdem Egicæ Regis in Ecclesia Sanctæ Leocadiæ, ubi sanctum eius corpus quiescebat, in suburbio Toletano, sub eodem Felice Primate. Hæc sunt XVII Toletana Concilia, quibus referendis minime visum est annum nativitatis Christi, seu Æræ Cæsaris, in quo fuit unumquodque illorum celebratum, adscribere ob codicum varietatem, quam vitio scriptorum, qui in numerorum designatione facile labuntur, accidisse constat. Unde in posteriore editione libri Conciliorum annorum huiusmodi annotatio, quæ in priore editione habebatur, sublata est.

Utinam, Serenissime Princeps, Concilia conventusque ecclesiastici more antiquo (uti canones disponunt 18 dist.) frequentarentur. Vigilantibus enim Prælatis non tot hæreses hinc inde pullularent. Nam si Arius eiusque sectatores confestim oppressi essent, nequaquam eorum virus magnam orbis partem infecisset. Idemque de Lutheranis dici potuit, quorum hæresis paulatim adeo irrepserat, ut iam non publicis modo disceptationibus, sed armis etiam incredibili obstinatione defenderetur. Multa præterea commoda provenirent, morum cohiberetur dissolutio, vitia non tam late paterent, immodica rerum cupiditas intra proprios fines reprimeretur. Annuente tamen divina benignitate, speramus, ut Patrum Tridentini congregatorum sollertia tantis morbis debita medela salubriter adhibeatur. Præcipue cum genitor tuæ celsitudinis Imperator noster felicissimus summa religione animum indefessum in hoc dirigat. Cui re vera non incongrue hæc possunt adaptari carmina.

Cum fidem Christi premerent procellæ,
Et Petri navis quateretur undis,
Cura Caroli retinet cadentem
Religionem.

CAP. LXVII.

De officialibus tam Capituli, quam fabricæ huius almæ Ecclesiæ.

Sed quoniam ad optatum finem huius nostri laboris, Serenissime Princeps, iam ventum est, visum fuit etiam nomina officialium, et officiorum, tam Capituli, quam fabricæ, quæ magnificentiam, amplitudinem, et liberalitatem, iuxta et opulentiam huius sancti Templi nobis demonstrant, et manifestant, ad calcem huius operis ponere.

Est tamen advertendum, quod officiales Capituli et fabricæ, si multi sunt, etsi diversis nominibus nuncupentur, eo tamen sunt ordine compositi, ut soluta oratione uniuscuiusque nomen facile et officium intelligatur. Inter hos autem locum primum obtinent duo Visitatores beneficiariorum Ecclesiæ(1), propterea quod ad mores componendos sunt deputati, vel ex eo quod morborum animæ præcipue curam habent. Sunt et alii duo, quibus visitandi sacrum ærarium quolibet anno onus incumbit. Duo etiam Iconomi unoquoque anno deputantur. Ædiles item duo. Quattuor qui rationibus præsunt. Duo Visitatores puerorum, ad servitium chori et Ecclesiæ deputatorum, qui vulgo *Clerizones* dicuntur. Duo Visitatores possessionum Ecclesiæ: et duo hospitalis Sanctæ Crucis, per prædictum Cardinalem Petrum Gundisalvum Mendozium fundati. Duo etiam Collegii S. Catharinæ, per dominum Franciscum Alvarez à Toleto, huius Ecclesiæ Scholasticum et canonicum, fundati, de quo meminimus superius cap. de choro beneficiariorum; duo vero hospitalis, *del Nuncio* vulgariter dicti, in quo mente capti, numero 33, una cum tredecim senibus, qui aliquando extra inopiam vixerint, et ad ultimum ab eadem compressi sint, omnia ad vitæ alimenta necessaria percipiunt. Hoc instituit dominus Franciscus Ortiz, Nuncius Apostolicus, et canonicus Toletanus. Item alii duo Visitatores hospitalis Misericordiæ huius civitatis. Sunt et alii duo ad visitationem capellæ Epiphaniæ, quæ in Ecclesia parochiali S. Andreæ huius civitatis sita est. Et unus alius nominatur pro visitatione Ecclesiæ Sacramenti oppidi *de Torrijos*. Est et distributor eleemosynæ panis, quæ quotidie in claustro Ecclesiæ pauperibus erogatur. Alius etiam præest Missis in altari Sanctæ Mariæ *del Antigua* dicendis. Et duo Visitatores sunt, qui ab ipso Missarum rationem exposcunt. Unus Administrator capellæ Divi Blasii: alius capellæ S. Petri: alius capellæ Mozarabum: alius capellæ Ioannis *de Salcedo*: alius etiam deputatur pro administratione capellaniarum, per dominum Petrum Gundisalvum *de Mendoza*, Cardinalem, et Archiepiscopum Toletanum, in eadem Ecclesia institutarum. Duo Administratores eleemosynæ dominæ Theresæ *de Haro*, quæ in Sacello eiusdem maritandis orbis virginibus quotannis distribuitur. Duo item eleemosynæ eiusdem dominæ Theresæ, quæ ingenuis et honestis pauperibus erogatur. Duo etiam Administratores eleemosynæ Ioannis Lupi *de Leon*, canonici Toletani, quæ in Sacello eiusdem dotandis pupillis virginibus dispensatur. Duo item eleemosynæ eiusdem Ioannis Lupi *de Leon* ad comparandas vestes, inter pauperes viros in eadem capella distribuendas.

Præter ministros superius memo-

(1) Visitatio, ut actus iurisdictionis, in S. Ecclesia Toletana ad solum Præsulem spectat: ad correctionem vero privatam deputari possunt Visitatores, de quibus agit Ortizius; ex cuius tempore nova decreta emanarunt, tam Apostolica, quam Regia; et exercitium Visitatorum oppidi *de Torrijos*, et aliorum, in desuetudinem abiit.

Digitized by Google

moratos eliguntur quotannis bini ex senioribus canonicis, eleemosynæ illius Administratores, quæ ex institutione Illustrissimi Alphonsi Fonsecæ, Archiepiscopi Toletani, bonæ memoriæ, maritandis orbis virginibus deputata est. Donavit hic Pontifex, dum viveret, Ecclesiæ suæ Capitulo annua millia morapetinorum nostrorum quadringenta, id est, ducatos aureos circiter mille sexaginta septem, in virginum honestarum, paterna potissimum ope destitutarum, dotes, annis singulis erogandos. Quo beneficio incredibile dictu est, quantopere succurratur popularium virguncularum pudicitiæ, ne egestate atque inopia cogantur femineum pudorem turpiter prostituere. Nec hac solum parte pietatis opera hic Præsul exercuit. Nam et collegium scholarium amplissimum Iacobi Zebedæi titulo, adiuncto Sacello frequentibus sacellanis celebri, ubi corpus ipsius conditum est, magnifico tum ædificio, tum censu, Salmanticæ instituit. Eiusque urbis (quod fuit illi natale solum) municipes omnes liberos ex æquo, atque immunes constituit, comparatis donatisque publice proventibus annuis, unde tributa regia perpetuo pendantur. Apud Compostellam præterea (cuius Ecclesiæ Metropolitanæ pontificatum aliquot annos gesserat) collegium aliud litterarium, privilegio etiam studii generalis, variarumque disciplinarum professione insigne, à fundamentis extructum, amplis proventibus locupletavit, quo nationem illam incultam magna ex parte, atque horridam, ad humanitatis, ac litteraturæ cultum invitaret. Palatium Archiepiscopale Complutense, iniuria vetustatis deforme iam et lapsabundum, insumptis circiter quadragies mille aureis ducatis, non restituit modo, sed in augustiorem amplioremque formam revocavit. Arcem oppidi S. Torquati[1], facinorosorum clericorum horrendo carcere notam, incendio absumptam, in melius refecit. In Ecclesia vero ipsa Toletana frequentes priscorum ædificiorum deformitates corrigendi, inque his regiam capellam novorum Regum ad locum, ubi nunc est, transferendi auctor fuit. Idem etiam tres illas maximas (quæ Occidentem respiciunt) Ecclesiæ portas, quibus olim per plures gradus in ipsam Ecclesiam velut in cryptam quamdam tenebricosam descendebatur, effosso toto vestibulo, atque ipsa etiam via publica longo tractu depressa, atque complanata, in eam, quæ nunc cernitur, formam componendas curavit. Hic denique est ille Pontifex, qui Serenissimam Isabellam, Augustam celsitudinis tuæ matrem, ex Portugallia ad incliti Cæsaris parentis tui nuptias venientem, incredibili pompa, atque apparatu deduxit. Teque postea recens genitum lustralibus aquis in Christo regeneravit, puerilique ætati tuæ nullo loco defuit, quominus illam omnium obsequiorum genere prosequeretur. Quod sane unum satis esse poterat, ut illius memo-

(1) Arx S. Torquati hodie non incarcerandis clericis, sed Administri iustitiæ habitationi deservit.

riam hac digressiuncula utcumque celebrandam curaremus. Nunc vero ad institutum nostrum sermonem convertamus. Est ergo magister cæremoniarum : magister musicæ. Subsequuntur deinde octo cantores, qui præter singulas portiones, quas in Ecclesia obtinent (quæ auctoritate apostolica sunt eisdem deputatæ), salaria singulis annis percipiunt. Sunt et alii cantores numero in præsentia duodecim, qui etsi non portiones, stipendia tamen unusquisque pro meritis percipit. Sunt etiam duo succentores, et alius, qui in eorum absentia ipsorum vices gerit: unus qui cantoribus libros apponit. Sunt et tibicines octo, et unus organorum pulsator: alius eiusdem locum tenens. Isti ministrum habent, qui organis pulsandis aerem follibus subministrat. Quattuor lectores, qui lectiones ad matutinas, et ad pretiosa, et completorium, dum divina in choro cantantur, legunt: antiphonas, lectiones, et responsoria, quæ per beneficiarios cantanda sunt, commendant: incensaria, et aquam benedictam deferunt, et aliorum omnium curam habent, quæ ad officium ordinis lectorum spectant. Est præterea fabricæ Præfectus, et duo Visitatores fabricæ: Theologiæ professor: magister grammaticæ. Sunt et tres clavigeri interioris sacrarii, quibus trium clavium eiusdem interioris aditus cura est: ex quibus una penes Archiepiscopum, vel canonicum eius vicem gerentem, altera penes Capitulum, et pro eo unum aliquem ex canonicis asservatur: tertia ad Thesaurarium pertinet una cum reliquis sacrarii ipsius clavibus. Duo etiam clavigeri archivorum, videlicet, Thesaurarius, et unus canonicus à Capitulo assignatus: ubi instrumenta scriniorum, scripturæ, et privilegia sub magna custodia tenentur. Tres æditui sacri ærarii. Est et secretarius, cui incumbit litteras Capituli scribere, et acta capitularia singulis diebus, quibus ad capitulum convenitur, in libro ad hoc deputato seorsum ponere, rationesque omnes Ecclesiæ maxima cum diligentia conficere, et ad visitationes capellarum (capellis tamen Regum exceptis) una cum Visitatoribus interesse, et quæ distributa per repartitorem sunt, in libro refectorarii scribere, ut unicuique, tam Dignitatum, canonicorum, portionariorum, quam etiam sacellanorum chori, et aliorum dictæ Ecclesiæ capellanorum, officialium, et puerorum per refectorarium sua portio, prout distributa, et à secretario scripta apparebit, persolvatur: librum redituum vestiariorum etiam habet, in quo rationes eorumdem continentur, et inter eosdem canonicos quolibet anno distribuit; illis tamen exceptis, qui nondum suam annalem residentiam integre fecerunt: seu aliam quam per 90 dies canonici in Dignitate non constituti, et per 60 canonici in Dignitate constituti, unoquoque anno facere tenentur: reditibus vestiariorum sic per eum divisis, in libro peculiari scribit, et eum receptori tradit, ut unicuique sua pars distributa persolvatur. Receptor est etiam redituum vestiariorum, hoc est decimæ partis omnium decimarum frumenti et vini, quæ ad canonicos

Digitized by Google

cos solum pertinet, et inter eosdem, facta tamen residentia, distribuitur. Unus distributor, aut divisor, ad cuius officium spectat rationem cum omnibus chori beneficiatis habere, et unicuique illorum partem, prout residentiam fecerit, distribuere. Est et refectorarius, qui curam habet omnes reditus mensæ capitularis, seu refectorii dictæ Ecclesiæ, à redemptoribus recipiendi, et beneficiatis Ecclesiæ persolvendi: hic quattuor habet qui vulgariter *escuderos del refitór* nuncupantur, qui eidem deserviunt in his, quæ ad officium suum spectant. Frumentator est etiam, qui et granarius; habet enim curam unicuique beneficiariorum Ecclesiæ portionem bladii et salis à secretario distributam integre persolvendi. Unus puerorum institutor, qui *claustrero* vulgo dicitur. Magister etiam operum, et ædificiorum Ecclesiæ. Unus exactor redituum fabricæ, qui omnium officialium stipendia, ceteraque ad fabricam spectantia persolvit. Notarius etiam, qui redituum rationes habet, instrumentaque omnia, et scripturas ad fabricam pertinentes conficit. Est et ædificiorum fabricæ sollicitator, quem vulgo *clavero* nominamus. Deservit etiam sceptriferarius, et unus cursor, qui et sceptriferarii locum tenet. Et unus sollicitator, cui incumbit omnia negotia, et lites Ecclesiæ magna diligentia curare. Præses turris, cui cura incumbit pulsandi campanas: argentarius: vestium sacrarum laborator: unus qui organa fabrefacit: ceræ artifex: accensor ceræ: custos olei et ceræ: Bibliothecæ custos: moderator horologii. Sunt præterea quattuor Ecclesiæ custodes: unus alius, qui die ac nocte curam gerit portarum eiusdem, claudendo et aperiendo: sacri ærarii fullo: est et lampadum accensor: pictor: deaurator: canum fugator. Quidam alius, qui Ecclesiæ mundandæ scopis curam habet: minister cloacarum: magister fenestrarum specularium: magister clathrorum: ac ferri artifex. Hi omnes stipendia diversa unoquoque anno ab Ecclesia percipiunt, et Ecclesiæ unusquisque sua sorte, qua vocatus est, inservit. Qui, etsi numero multi; pauci tamen, si ad maiestatem Templi, atque opulentiam conferantur.

Sexcentos credas Ecclesia nostra ministros
Continet, hi qui sint, si vacat, accipito.

Antistiti, qui totius
Hispaniæ primas tenet,
Primam in choro sedem damus.
Huic assident quatuordecim,
Quos dignitates dicimus.
Hos insequuntur canonici
Totidem, quot olim consecrat
Ieiunio Christus dies.
Habent sodales hi suos,
Queis portio nomen dedit:
Hi quinque complent decades.
His addimus canonicos
Viginti, eos communiter
Extravagantes nuncupant.
Post hos capellani locum
Octo atque quadraginta habent.
Hos adiuvant sacrifici
Septem atque triginta, sacris

Qui

Qui nocte adesse debeant.
Sequuntur hos sacrificuli,
Canonicis numero pares:
Ex his tamen solummodo
Eligimus sex musicæ,
Qui nomen à numero tenent.
Sunt et capellani, suis
Qui præsident ædiculis:
Hi cum sacristis omnibus
Centum nonaginta quattuor.
Et quattuor lectoribus
Adiunge cantores sacros:
Incertus horum numerus est,
Duodecim in præsentia.
Capitulum atque fabrica
Operarios, stipendia
Qui pro laboribus ferunt,
Centum atque quadraginta.

INDEX

Parochiarum, ædium sacrarum, cœnobiorum, xenodochiorum, et confraternitatum pientissimæ urbis Toletanæ.(1)

Hæc habui, Princeps Augustissime, de quibus te sedulo admonerem, circa Templi Toletani cognitionem. Quæ tametsi rudi et incompto stilo à me nunc prodita et evulgata sint (nempe ut par erat ab homine publicis negotiis districto, neque in Rhetorum flosculis admodum exercitato); occasionem tamen et ansam exhibui hæc ipsa latius et copiosius explicandi, quibus et otium felicius, et facultas dicendi paratior contigerit. Nam et Græcorum et Romanorum historiæ, quæ tam ob verborum, quam ob rerum splendorem, maiori in pretio et auctoritate quam ullæ aliæ sunt, numquam in tantam dignitatem excrevissent, nisi diariis, commentariis, regestis, ceterisque curiosorum hominum libellis auctæ pariter et absolutæ essent. Quod si apud nostros eadem cura et diligentia fuisset, multa fortasse, quæ nunc oblivione sepulta delitescunt, lucem nacta, sese ostenderent nihilo illis vetustis inferiora, quorum tam celebris memoria est. Sed nimirum inter maiores nostros optimus quisque (quod Sallustius ait) facere, quam dicere malebat. Hoc quod à me in Templi Toletani descriptione factum est, Pausanias, Græcus auctor, in omnibus Græciæ angulis recensendis elegantissime et copiosissime fecit; tanta tamen anxietate et cura, ut non defuerint ex doctis nonnulli, quibus ille nimis diligens rerum minutarum æstimator visus sit. A qua ego reprehensione alienus fortasse videri possim, cum in hoc sacro Templo nihil tam minutum, aut tenue haberi debeat, quin illius mentio iucunda, atque adeo pia piis hominibus contingat. Ac proinde priusquam manum de tabula tollamus (postquam Templi religiosissimi à nobis pro virili mentio facta est), reliquarum sacrarum ædium, cœnobiorum, xenodochiorum, et confraternitatum, quibus urbs Toletana abundat, indicem tantum facere decrevimus, ut hinc possit quivis cognoscere, qua devotione divina mysteria et caritatis opera in ea celebrentur.

In-

(1) Hæc quæ ab hinc refert Ortizius de Parochiis, et ceteris quæ sequuntur usque ad finem huius operis, decursu temporis, præcipue vero postquam Reges nostri Aulam suam alibi collocarunt, variationes quasdam subiere; quarum annotatione non expedit immorari.

Digitized by Google

Index sacrarum ædium, quas parochias vocant.

Ædes titulo Divi Petri in Ecclesia Metropolitana.
Ædes titulo S. Michaelis.
Titulo S. Iusti.
Titulo S. Romani.
Titulo S. Leocadiæ.
Titulo S. Laurentii.
Titulo S. Andreæ.
Titulo S. Cypriani.
Titulo S. Christophori.
Titulo S. Thomæ.
Titulo S. Salvatoris.
Titulo S. Antonini.
Titulo SS. Bartholomæi et Zoyli.
Titulo S. Ioannis Baptistæ.
Titulo S. Genesii.
Titulo S. Vincentii.
Titulo S. Nicolai.
Titulo S. Mariæ Magdalenæ.
Titulo S. Martini.
In suburbio, titulo S. Iacobi.
Ibidem altera titulo S. Isidori.

Habentur præter has sex aliæ, quas Mozarabum dicunt, de quibus cap. de capella Mozarabum copiose dictum est.

Titulo S. Marci.
Titulo S. Sebastiani.
Titulo S. Torquati.
Titulo S. Lucæ.
Titulo S. Iustæ.
Titulo S. Eulaliæ.

Cœnobia monachorum.

Cœnobium titulo S. Ioannis ante portam latinam, ubi sodalitium, Divo Francisco sacrum, vitam in communi degit. Opus Regum, cognomento Catholicorum, vere regiam maiestatem præ se ferens.

Titulo S. Petri martyris, ubi sodalitium Prædicatorum habitat.

Titulo S. Augustini, ubi eiusdem ordinis religiosi sunt.

Titulo Sanctissimæ Virginis, quod Carmelitæ obtinent.

Titulo S. Catharinæ eius ordinis, quem dicunt S. Mariæ de Mercede.

Titulo SS. Trinitatis, ubi eiusdem ordinis religiosi.

Extra muros.

Cœnobium titulo Sanctissimæ Virginis Sisliensis ordinis Divi Hieronymi.

Titulo S. Bernardi ordinis Cisterciensis, cognomento Montis Sion.

Titulo S. Bartholomæi, quod Minimorum appellationem tenet.

Cœnobia monacharum.

Titulo Sanctæ Fidei, quod religiosæ mulieres incolunt, eodem insigni ornatæ, et eisdem legibus viventes, quibus religiosi ordinis militaris S. Iacobi de Spatha: ense rubeo insignitæ, quem in pectore conspicuum gestant.

Titulo S. Dominici ordinis eiusdem Sancti, cognomento Regium.

Titulo Matris Dei, eiusdem Divi Dominici institutis adstrictum.

Titulo S. Claræ ex Divi Francisci instituto.

Titulo S. Isabellæ eiusdem ordinis.

Titulo S. Ioannis de Pœnitentia earumdem.

Titulo Conceptionis Virgineæ earumdem.

Titulo S. Antonii Pataviensis earumdem.

Titulo S. Michaelis, cognomento ab

Digitized by Google

ab Angelis, earumdem.

Titulo S. Annæ earumdem.

Titulo S. Ursulæ ordinis Divi Augustini.

Titulo S. Pauli ordinem S. Hieronymi professæ.

Titulo S. Clementis ordinis Cisterciensium.

Titulo S. Dominici eiusdem ordinis, cognomento Antiquum.

Cœnobia beatarum.

Sunt præter ea alia etiam muliebria sodalitia, quæ tametsi omnem pietatem, religionem, et sanctimoniam exhibent, non ita tamen severis legibus perinde ac monachæ addictæ sunt. Beatæ nomine peculiari nuncupantur: earum cœnobia sunt, quæ sequuntur.

Cœnobium titulo S. Torquati, cuius religiosæ Augustinianum dogma sequuntur.

Titulo Sanctissimæ Virginis, quod Hieronymianum est, et à Vita paupere cognomen habet.

Titulo eiusdem Sanctissimæ Virginis, cognomen à Misericordia est, etiam si vulgo non perinde notum, passim enim Gaietani dicitur.

Titulo Visitationis, et hoc quoque Hieronymianum, sed magis Reginæ cognomento vulgo innotescit.

Titulo Spiritus Sancti, ex instituto Divi Dominici vivens.

Titulo Iesu et Mariæ Matris, ordinis Minimorum: id habetur in urbis suburbio.

Titulo S. Petri, cuius etiam ordo ibi servatur.

Sacella quæ præterea in urbe habentur.

Hactenus de parochiis et cœnobiis utriusque sexus. Nunc de aliis ædibus agamus, quæ neque parochiarum iure, nec monachorum sodalitiis censentur, sed veluti Sacella quædam religiosa omni cultu et pietate venerantur.

Titulo Matris Dei, in pontificali palatio.

Titulo Sanctæ Leocadiæ, in urbis arce, ubi in vinculis hæc ipsa Diva asservata dicitur.

Titulo S. Ioannis Equestris, quod religiosis eiusdem militiæ equitibus obnoxium est.

Titulo S. Benedicti, quod religiosa militia Calatravensium obtinet.

Titulo S. Mariæ, cognomento *Blanca*, olim Iudæorum Synagoga.

Titulo S. Mariæ, cognomento ab Stella, in suburbio.

Titulo S. Leonardi.

Titulo S. Crucis ad Divum Nicolaum.

Titulo S. Crucis in cæmeterio parochiæ S. Michaelis.

Sunt his annumeranda et Sacellum, quod Ligurum conventus iuxta Divi Augustini monasterium habet, ad eam portam, qua ingressus ad cœnobium est; et quod in foro huius urbis præcipuo, titulo Sanguinis Christi, in edito loco constitutum cernitur, ubi singulis diebus res divina summo mane peragitur, ut possint universi, qui forensibus negotiis distringuntur, ea ipsa tractantes, citra ullum occasionum dispendium, quod fortasse ex diverticulis ad templa contigisset, Eucharistiæ Sacramentum adorare.

Ædes

Ædes sacræ, quæ extra urbem sunt velut eremiticæ.

Titulo S. Leocadiæ collegialis: obtinet Abbatem et dignitates.
Titulo S. Ildephonsi.
Titulo S. Susannæ.
Titulo S. Petri.
Titulo S. Lazari.
Titulo S. Eugenii.
Titulo S. Antonii.
Titulo S. Luciæ in regiis hortis.
Titulo S. Michaelis ad cauponam cucurbitariam.
Titulo S. Mariæ Nivalis.
Titulo S. Annæ.
Titulo S. Hieronymi ad septum rubrum.
Titulo S. Petri et Felicis trans amnem.
Titulo S. Magdalenæ Azuqueiquensis.
Titulo Sanctissimæ Virginis Cubilitanæ.

Index xenodochiorum.

Indicant hæc omnia, quæ superius dicta sunt, urbis Toletanæ ad divinum cultum propensionem; sed quæ nunc dicentur, animum misericordem et caritate plenum declarabunt: nihil enim prætermissum esse intelliges eorum, quæ ad pauperes sublevandos pertinent, sive fratres quoquo modo iuvandos. Siquidem xenodochiis, hoc est locis, ubi peregrini recipiuntur: nosocomiis, ubi ægroti curantur: ptochotrophiis, ubi pauperes aluntur, brephotrophiis, ubi infantes: orphanotrophiis, ubi pupilli: catochotrophiis, ubi insanis et mente captis: gerontocomiis, ubi senibus providetur, urbs hæc nostra passim referta est. De quibus omnibus cum affatim in l. illud de sacros. Eccl. C. mentio habeatur; adhuc aliquid illic desideratur, quod tibi civitas hæc nostra pientissima offeret. Nam Toletanis Præsulibus de pietatis officiis in urbe sua certatim contendentibus, nunc demum Ioannis Taveræ, Archiepiscopi Toletani, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, pietate et sumptu moles quædam operosissima surgit, ubi non solum ægroti, de quibus dictum est, sed ii etiam suscipiendi dicuntur, qui ex morbo diutino labefactati, in pristinas vires nondum redierunt. Accidebat enim sæpenumero, ut qui in aliis nosocomiis curati fuerant, cum, novis subinde ægrotis succedentibus, haud satis firmi, nec refecti discederent, ad mali succi dietam revertentes, in graviorem morbum inciderent. Qua de causa vir prudentissimus, in hac parte pauperibus prospiciens, extra urbis muros locum delegit, in quo huiusmodi ægroti foveantur: ubi ea structura et maiestate opus procedit, ut cum quibusvis regiis operibus absolutum merito contendat. Sed iam nos ad institutum pergamus, et sigillatim xenodochia numeremus.

Nosocomium titulo S.Crucis, Petri Gundisalvi de Mendoza, Cardinalis et Archiepiscopi Toletani, opus.
Titulo Virgineæ Descensionis, cognomento Regium, ad Ecclesiam Metropolitanam.
Titulo Visitationis, cognomento Nuncii, ad S. Ioannem Baptistam: hic mente captis, et senibus, quos inopia et ætas premit, providetur.

Titulo S. Iacobi militiæ equestris.

Titulo S. Petri, ad Ecclesiam Metropolitanam.

Titulo S. Illefonsi ad S. Leocadiam.

Titulo Matris Dei ad S. Leocadiam.

Titulo S.Michaelis ad S.Michaelem.

Titulo S. Leocadiæ ad S. Michaelem.

Titulo S. Sebastiani ad S. Michaelem.

Titulo S. Antonii ad S. Michaelem.

Titulo S. Mariæ, vulgo Candelariæ, ad S. Michaelem.

Titulo S. Iusti ad S. Iustum.

Titulo Iesus ad S. Nicolaum.

Titulo S. Annæ ad S. Romanum.

Titulo Amoris Dei ad S. Cyprianum.

Titulo S. Andreæ à tergo cœnobii Divi Francisci.

Titulo S. Iacobi ad S. Iacobum in suburbio.

Titulo ab Stella ad S. Iacobum in suburbio.

Aliud sine titulo, quod prostitutarum mulierum est, quæ vitam illam obscenam abnegantes, sobriam et puram eligunt.

Collegium puerorum.

Titulo Amoris Dei ad S. Sebastianum: novitium hoc opus, et caritate plenum. Nam quorumdam Presbiterorum industria, et infirmi in eo diligentissime curantur, et puellulæ orphanæ, alias iuventæ dispendium subituræ, sub probæ mulieris custodia asservantur: præceptis christianis instituuntur: lanificio, et ceteris muliebribus officiis exercentur; indeque in divitum familias adsciscuntur, simul atque ad famulitium idoneæ sunt. Res quidem præclara, et insignis, omni laude et favore prosequenda, quandoquidem infirmo sexui adeo insigniter consultum est. Debetur id potissimum duobus collegii Sanctæ Catharinæ capellanis, qui id sedulo præ ceteris curarunt.

Est aliud itidem sine titulo, non ita pridem habitari cœptum. Cuius erectionem et curam sibi homo quidam iniunxit, de quo, non opinor, ingratum erit in hoc loco non nihil recensere. Vivit Granatæ, vir christiana simplicitate, ac paupertate: nomen est illi Ioannes, cognomen Dei: humili loco natus: nullis litteris, neque doctrina instructus; incredibili tamen studio christianæ caritatis cultor, totus pauperibus sublevandis occupatus. Plus sunt quam ducenti homines, quos ille, omni præsidio destitutos, variisque languoribus afflictos, reficiendos et recreandos curat. Habitus illi qualis Cynicorum est: vili tribonio indutus incedit: peram à tergo gestat, non quidem lupinis, aut opisthographis refertam, sed eleemosynis colligendis paratam, nudis pedibus et detecto capite; sed hanc vilitatem, quam exterius præ se fert, interior quædam alia comitatur, omnibus divitiis, et humanis potentiis anteferenda. Principes quosvis, pauperum suorum causam acturus, intrepide alloquitur, citra tamen iactantiam et fastum. Venit hic Toletum anno superiori, animos incolarum, ut apparet, exploraturus, an in miseros et indigentes, ut Christianos decet, propensi essent: quod cum ita esse intellexisset, nuper ad nos Fernandum quemdam misit, eodem, quo ipse, habitu, eodem studio, et eadem professione. Inter-

Digitized by Google

terdiu vicos urbis, et plateas circumit, et vel tacens à quovis eleemosynam extorquet: noctu clamat per eosdem vicos; et veluti gallus matutinis horis ad munia consueta mortales excitat, ita ille post solis occasum, quando in suos quisque penates redit, pauperum curam, et memoriam habendam, indefessa assiduitate singulis noctibus vociferatur. Qua intentione tandem factum est, ut merito in hoc loco Fernandi xenodochium inter cetera recenseatur.

Index confraternitatum, decem decades complentium.

Nomen confraternitatis piorum hominum sive collegia, sive sodalitates significat: quæ certis quibusdam legibus consentientes, aliquod munus christianum subeunt, aut Divi cuiuspiam venerationi student, quem ob aliquam peculiarem causam sibi præ ceteris colendum elegerunt: talis nimirum, ut exemplo rem ostendamus, Divi Sebastiani, aut Divi Rochi confraternitas est. Cum enim aliquando pestilentiæ lues grassaretur, et populi afflicti ad Divos conversi, istorum potissimum præsidia experti essent; beneficii suscepti memores, statis quibusdam diebus eos ipsos celebrare instituunt: pompam publice sollemnem ducunt: cereos manibus incensos gerunt: et demum symbolis ab unoquoque datis communes epulas eis diebus habent, et animos suos lautiori convivio, sobrie tamen et religiose, exhilarant: rationem munerum tractandorum exigunt. Sunt etiam ex iis, quibus epulæ non placent, sed contenti sollemni pompa, de muneribus solum sollicite disquirunt. Habent singulæ ad id suas parochias, monasteria, xenodochia, sive sacella, ubi suos conventus peragunt, suos quæstores, et præfectos tenent, sua æraria, suos cereos possident.

Intra Ecclesiam Metropolitanam.

1. Confraternitas titulo Sanctissimæ Virginis *del Antigua*, vetustate, et antiquitate veneranda.
2. Titulo Sanctissimæ Virginis *de la O*, cuius confratres universi cæci sunt, qui passim per templa vicosque quæstum ex precibus, quas recitant, faciunt.
3. Titulo Sanctissimæ Virginis ab Stella.

In parochia Divi Petri.

4. Titulo Divi Petri.
5. Titulo Eucharistiæ.
6. Titulo Descensionis Virgineæ.

In parochia Divi Michaelis.

7. Titulo S. Michaelis.
8. Titulo Eucharistiæ.
9. Titulo SS. Andreæ et Catharinæ.
10. Titulo S. Antonii.
11. Titulo Sanctissimæ Virginis *de Candelaria*, cuius confratres sartores sunt.
12. Titulo SS. Cosmæ et Damiani.
13. Titulo S. Leocadiæ.
14. Titulo S. Sebastiani.

In parochia D. Leocadiæ.

15. Titulo Eucharistiæ.
16. Titulo S. Alphonsi.
17. Titulo SS. Andreæ, Ioannis Ba-

Baptistæ, et Sebastiani.

In parochia S. Iusti.

18. Titulo S. Iusti.
19. Titulo Eucharistiæ.
20. Titulo Animarum Purgatorii.
21. Titulo S. Acacii.

In parochia S. Romani.

22. Titulo Eucharistiæ.
23. Titulo S. Annæ.
24. Titulo Sanctissimæ Virginis *del Rosario*: huius confratres telarum sericearum textores sunt: habent ærarium in cœnobio S. Dominici, cui titulus S. Petri Martyris est.

In parochia S. Martini.

25. Titulo S. Martini.
26. Titulo Eucharistiæ.
27. Titulo S. Nicolai Tolentini.
28. Titulo Sanctissimæ Virginis, cognomento *de Gracia.*
29. Titulo S. Susannæ.
30. Titulo S. Blasii.
31. Titulo S. Pauli.
32. Titulo S. Ioseph.
33. Titulo S. Bartholomæi.
34. Titulo S. Quiteriæ.

In parochia S. Eulaliæ.

35. Titulo S. Eulaliæ.
36. Titulo Eucharistiæ.

In parochia S. Thomæ.

37. Titulo Eucharistiæ.
38. Titulo Conceptionis Virgineæ.
39. Titulo Sanctissimæ Virginis, cognomento Cubilitanæ.
40. Titulo eiusdem Sanctissimæ Virginis, cognomento *Blanca.*

In parochia S. Salvatoris.

41. Titulo Eucharistiæ.
42. Titulo Misericordiæ.
43. Titulo Quintæ angustiæ.
44. Titulo SS. Blasii et Susannæ.
45. Titulo Conceptionis, cuius confratres carminatores et fullones sunt.
46. Titulo Trinitatis et S. Augustini.
47. Titulo Sanctissimæ Virginis *de la O*, cuius confratres tunsores sunt.

In parochia S. Cypriani.

48. Titulo Sanctissimæ Virginis.
49. Titulo Eucharistiæ.
50. Titulo S. Ioannis Evangelistæ.
51. Titulo Animarum quæ in Purgatorio expiantur.

In parochia D. Bartholomæi.

52. Titulo Eucharistiæ.

In parochia S. Antonini.

53. Titulo Eucharistiæ.
54. Titulo S. Catharinæ.
55. Titulo Matris Dei, cuius ærarium in Sacello eiusdem nominis est, quod in palatio pontificali esse diximus.

In parochia S. Sebastiani.

56. Titulo S. Sebastiani.

In parochia S. Andreæ.

57. Titulo Eucharistiæ.
58. Titulo Sanctissimæ Virginis ab Stella.

In parochia S. Laurentii.

59. Titulo Eucharistiæ.
60. Titulo Animarum Purgatorii.
61. Titulo S. Ioannis Evangelistæ, cuius confratres serici infectores sunt.

In

Digitized by Google

In parochia S. Lucæ.

62. Titulo eiusdem Divi Lucæ.

In parochia Divæ Magdalenæ.

63. Titulo Eucharistiæ.
64. Titulo Incarnationis et S.Rochi.
65. Titulo Animarum Purgatorii.
66. Titulo S. Barbaræ.
67. Titulo Sanguinis Iesu Christi.
68. Titulo S. Illefonſi: huius confratres pileorum opifices sunt.
69. Titulo SS. Crispini et Crispiniani: huius confratres sutores sunt.
70. Titulo S. veræ Crucis.
71. Titulo Sanctissimæ Virginis de Consolatione, quam celebraturi baiuli conveniunt.
72. Titulo S. Ludovici.

In parochia S. Nicolai.

73. Titulo S. Nicolai.
74. Titulo Eucharistiæ.
75. Titulo Conceptionis.
76. Titulo Animarum Purgatorii.
77. Titulo Angelorum.
78. Titulo S. Fidei: huius confratres monetæ fabri et ministri universi sunt.

In parochia S. Iustæ.

79. Titulo Eucharistiæ.
80. Titulo Caritatis.
81. Titulo Virginis de Succursu.
82. Titulo SS. Bartholomæi et Quiteriæ.

In parochia S.Genesii.

83. Titulo Eucharistiæ.
84. Titulo S.Genesii: huius confratres caligarum sartores sunt.

In parochia S. Ioannis Baptistæ.

85. Titulo Eucharistiæ.
86. Titulo Sanctissimæ Virginis, cognomento Nivium.
87. Titulo Sanctissimæ Virginis, cognomento *Blanca.*

In parochia S. Vincentii.

88. Titulo Eucharistiæ.

In parochia S. Iacobi in suburbio.

89. Titulo Eucharistiæ.
90. Titulo Divi Iacobi.
91. Titulo Sanctissimæ Virginis ab Stella.
92. Titulo Divi Sebastiani.
93. Titulo Divi Matthæi.
94. Titulo Divæ Annæ.

In parochia S.Isidori in suburbio.

95. Titulo Eucharistiæ.
96. Titulo Animarum quæ expiantur.
97. Titulo Divorum Isidori et Lazari.
98. Titulo S. Leonardi.
99. Titulo S. Antonii: eius confratres capistrarii sunt.
100. Titulo S. Luciæ: eius confratres olitores universi sunt: congregantur in Sacello eiusdem Divæ Luciæ, quod est in regiis hortis: habent suum ærarium in parochia Divi Iacobi.
101. Potest et his annumerari fraternitas illa, quam vulgo appellant *la santa Hermandad*, eorum quibus curæ est, latrones, publicarumque viarum grassatores fugientes insequi, et in eos capitali iudicio animadvertere.

De collegio S. Catharinæ.

Debet inter cetera pietatis monumenta collegium litterarium S. Catharinæ recenseri, opus (ut di-

diximus) Francisci Alvarez à Toleto, Scholastici Toletani. Primum liberales artes, ius pontificium, sacra theologia, eaque ab ipsis collegii primordiis; nunc autem domini Bernardini Alcaraz, Scholastici, opera, græcæ linguæ, et rei medicæ præcepta magno iuventutis profectú docentur. Aluntur in dicto collegio decem capellani, viri moribus et doctrina egregii: ex quibus partim doctores Theologi, partim iuris pontificii sunt: nonnulli in liberalibus doctrinis magisterii gradum meruere: qui quotidie in Sacello, ibidem Divæ Catharinæ dicato, divina mysteria peragunt. Sunt præterea duodecim collegæ, de quibus cap. XVIII superius dictum est. In eodem itidem collegio litterarii omnigenæ facultatis gradus regio atque pontificio privilegiis honorifice conferuntur. Sed ut ultimam huic operi iam manum adponamus, ceteris supersedere præstat. Tantum te, Princeps Serenissime, obtestor, ut quidquid hoc laboris, aut diligentiæ est, boni consulere digneris: et si quid in tanta rerum magnitudine et copia prætermissum esse videatur, eam rerum amplissimarum conditionem et naturam esse intelligas, ut numquam possint pro dignitate, sive describi, sive commendari. Valeat celsitudo tua, quam nobis, et universo Christiano orbi Dominus Iesus diutissime servet: ita enim et religio in dies crescet, et huiusmodi multa pietatis opera vires pristinas et incrementa sument.

EXPLICIT DESCRIPTIO TEMPLI TOLETANI.

IN-

Digitized by Google

INDEX GEOGRAPHICUS

REGIONUM, URBIUM, ET ALIORUM LOCORUM, quorum in novem de rebus Hispaniæ libris fit mentio.

A

Abula, Castellæ veteris urbs ad Adaiam amnem, nunc *Avila*.

Accium, seu Acci, regni Granatensis urbs, dicta *Guadix*. It. *Accio*, Gallæciæ oppidum Compostellani tractus.

Acecha, in tractu Toletano fuit oppidum: *Aceca*.

Achaia, pars Græciæ magis propè meridiem, ubi Corinthus, nunc Livadia dicta, in qua ducatus Clarentiæ.

Adrianopolis, Thraciæ urbs, quæ Turcis Endrem, vulgo *Andrinopoli*.

Æmilia, Italiæ regio, quæ et Lombardia.

Æolia, regio Asiæ minoris, nunc Sarcum dicta, pars est Natoliæ.

Agatha, Narbonensis Galliæ civitas: *Agde*.

Agennense territorium. V. Aginnum.

Agger fumorum, in Rivi sicci tractu provinciæ Pincianæ oppid. *Tordehumos*.

Agger sellarum, provinciæ Pincianæ, seu Vallisoletanæ oppidum: *Tordesillas*.

Aginnum, Aquitaniæ urbs in Gallia, Aginnensis tractus caput, nunc *Agén*.

Agosin, seu Agosmo, castrum fuit in tractu Cazorlæ.

Aircorroz, oppidum Navarræ in valle de Basaburua: *Ayzaroz*.

Aioroium, provinciæ Pincianæ oppidum dirutum.

Alani, Sarmatiæ populi in parte occidentali Moscoviæ versus Livoniam.

Alanquellum, oppidum Portugalliæ, ad Tagum flumen, parum ab Olyssipone dissitum: *Alanquer*.

Alarcuis, Bœticæ urbs, vulgo *Alarcos*. Item in Oretanis, Castellæ novæ tractu, propè *Almagro*, parva civitas, seu castrum valdè munitum, nunc dirutum.

Alarco, Diœcesis Conchensis in nova Castella oppidum: *Alarcon*.

Alava, una ex tribus Biscagiæ provinciis.

Alaulula, oppidum Glennensis provinciæ penitus dirutum.

Alba, urbs Galliæ Narbonensis, nunc *Aps*, Vivariensis provinciæ vicus.

Alba *de Aliste*, in regno Legionensi oppidum.

Albelda, vicus Ruconiæ, seu Rivogiæ, in Castella veteri: *Albelda* duabus à Lucronio leucis distans.

Alcantara, Beturiæ oppidum in confinio Portugalliæ.

Alcaratium, Castellæ novæ in Mancia, vulgo *Mancha*, oppidum: *Alcaraz*.

Alchazar, Portugalliæ pagus in provincia vulgo *Extremadura*, *Alcazar de la Sal* dictus.

Alcobatia, in Portugallia oppidum ab ora Oceani parum distans: *Alcobaza*.

Alcolea sub Talabrica, ad Tagum fluvium: *Alcolea de Tajo*.

Alcudia, non procul à Calatrava oppidum dirutum.

Alexancum, Castellæ veteris oppidum in Rivogia: *Alesanco*.

Alfanum, Castellæ novæ oppidum forte in tractu Toletano non procul à Maqueda.

Alfondega, in Castella nova provinciæ Matritensis oppidum: *Alhóndiga*.

Algodor, fluvius Castellæ novæ in Mancia.

Alhama, regni Granatensis urbs. It. oppidum in tractu *de Almería*.

Almaria, quæ et Almeria, urbs Bœticæ in regno Granatensi.

Almazan, veteris Castellæ oppidum, sex leucis à Soria.

Almocharia, Castellæ novæ oppidum provinciæ Matritensis: *Almoguera*.

Almodovar, oppidum Castellæ novæ in Mancia, ad montium Marianorum radices.

Digitized by Google

Almonecir, vulgo *Almonacid*, oppidum tribus leucis à Toleto distans.

Alpes, montes sunt editi, qui Italiam separant à Gallia et Germania.

Alpobrega, provinciæ et tractus Toletani dirutum oppidum: *Alpuebrega*.

Amanus, Ciliciæ mons notissimus: *el monte de Escanderona*, quæ urbs est ad illius radices sita.

Amaia, inter Legionem et Burgos ad Ceam versus montana: olim urbs Episcopalis, nunc parvum oppidum.

Anagarum, Castellæ novæ oppidum in Ruconia, ubi nunc *Trejo*, vulgo *Náxera*.

Anas, fluvius dictus *Guadiana*, qui in Agro Laminitano, Castellæ novæ tractu, oritur.

Anccius, Gallæciæ fluvius, nunc *Sarria*.

Anchialon, urbs Ciliciæ proxima Tarso. It. oppidum Græciæ in Epiro. It. Thraciæ urbs non multum distans à Develto.

Andegavum, Galliæ urbs, provinciæ Andegavensis caput: *Angers*.

Andugarum, urbs in Bœtica, sex à Giennio leucis, nunc *Anduxar*.

Antelia, regni Valentini oppidum in tractu Alcirensi: *Antélla*.

Aptellum, regni Legionensis oppidum, nunc *Otello* prope Palentiam.

Apulia, quæ est *Pulla*, una ex quattuor regni Neapolitani partibus.

Aquilaria, veteris Castellæ in Soriensi provincia oppidum: *Aguilera*.

Aquisgranum, Germaniæ inferioris urbs in Westphaliæ circulo: *Aquisgran*.

Aquitania, secunda Galliæ provincia, nunc *la Gascuña*.

Arausium, Galliæ urbs in Provincia: *Orange*.

Araxes, ingens fluvius Armeniæ maioris, qui in mare Caspium dilabitur.

Arbolium, in regno Legionensi castrum: *los Arguellos*.

Arelatum, Provinciæ in Gallia urbs: *Arlés*.

Areola, oppidum fuit in provincia Giennensi.

Arevalum, oppidum Castellæ veteris ad Adaiam: *Arévalo*.

Arganale, nunc *Arraganal*, oppidum à Rodericopoli, parum dissitum.

Ariona, Pœticæ oppidum tribus à Tucci leucis distans: *Arjona*.

Arlucea, in Alavæ provincia oppidum: *Arlucea*.

Armenia maior, nunc Turcomania, Asiæ regio perampla.

Arzorocia, in Alavæ provincia dirutum oppidum.

Ascalona, Castellæ novæ oppidum, octo leucis à Toleto distans: *Escalona*.

Aspa, Pyrinæi vallis in Bencarnia, nunc *Aspe*.

Asperianum in Biterræ aquis oppidum Galliæ: *Aspres*.

Assido, Bœticæ urbs, nunc *Xerez de la Frontera*.

Assyria, regio Asiæ notissima, quæ nunc *Diarbeck*.

Astigitana, urbs in Bœtica ad Singulim fluvium: *Ecija*.

Astura, fluvius regni Legionensis, nunc *Tuerto* dictus, Asturicam abluens.

Asturica, regni Legionensis urbs, vulgo *Astorga*.

Atentia, in Castella veteri Diœcesis Seguntinæ oppidum: *Atienza*.

Athavit, Alavæ oppidum quod et Atauri.

Atlas, mons Africæ satis notus.

Auca, Burgis finitima urbs penitus excisa: nunc locus *Nuestra Señora de Oca* nominatur.

Augustodunum, Galliæ in Burgundiæ ducatu urbs: *Autun*.

Aurelia, quæ vulgo *Oreja*, in Occaniæ tractu, provinciæ Toletanæ oppidum.

Aurelianum, urbs Galliæ haud ignobilis, provinciæ cognominis caput, nunc *Orleans*.

Auria, ad Minium fluvium Gallæciæ urbs: *Orense*.

Auseva, in Asturibus mons non procul ab Oveto.

Ausona, Catalauniæ urbs, quæ etiam Vicus, nunc *Vique*.

Ausonia, Italiæ regio, quæ olim à Terracina ad fretum usque Siculum protendebatur.

Aussa, oppidum Navarræ in valle de Ulzama: *Auza*.

Aventinus, ex septem Urbis montibus unus, qui hodie *de Santa Sabina* dicitur.

Axarquia, Cordubensis civitatis extra muros vicus.

Azecbuth, quod nunc *Melgar* provinciæ Toletanæ oppid. in Occaniæ tractu.

Ba-

B

Babylon, urbs Asiæ maxima, ex cuius ruinis crevit *Bagdad.*
Badallocium, quæ est Pax-Augusta, Beturiæ caput: *Badajoz.*
Bœtica, Hispaniæ provincia meridionalis, vulgo *Andalucía.*
Bætis, fluvius in Bœtica, qui in saltu oritur Tugiensi, nunc *Guadalquivir.*
Baldach, urbs Mesopotamiæ in provincia Hierach, non procul ab antiqua Babylone: nunc *Bagdad.*
Baleares insulæ in Mediterraneo ad Hispaniam Tarraconensem pertinentes: *Mallorca*, *Menorca*, *é Ibiza.*
Balnea, regni Giennensis in Bætica oppidum: *Baños.* It. provinciæ Salmanticensis oppid.
Barchino, Catalauniæ urbs præcipua, olim Faventia, nunc *Barcelona.*
Baregia, quod et Amaia, oppidum ad Ceam versus montana.
Barsentum, prope Consentiam, amnis in Calabria citeriori, nunc *Busento.*
Basti, seu Vasta, urbs regni Granatensis: *Baza.*
Bearnensis, provincia Galliæ in Aquitania: *Bearne.*
Beatia, urbs Bæticæ in regno Granatensi: *Baeza.*
Beia, Lusitaniæ urbs, olim Pax-Iulia, nunc *Beja.*
Beiara, oppidum Beturiæ, quod *Bejar.* Est item huius nominis vicus in limite regni Valentini.
Belgæ populi, seu Belgium, regio inter Galliam, Germaniam, et Oceanum Germanicum extensa: *los Paises Baxos.*
Beloaga, in Guipuzcoæ provincia oppid.
Belliforamen, oppidum Burgensis provinciæ: *Villorado.*
Beneventum, regni Legionensis oppidum in tractu Campestri: *Benavente.*
Berizum, antiqui regni Legionensis in Diœcesi Asturicensi tractus: *el Bierzo.*
Betulo, oppidum Bæticæ prope Beatiam excisum: est item eiusdem nominis pagus in Catalonia, non procul à Barchinone dissitus, nunc *Badelona.*
Betulona, aliis videtur fuisse Beatia, aliis oppidum dirutum, non multum à Beatia distans.
Bigorciæ, comitatus in Gallia Aquitanica: *Bigorre*: vel potius Biguriæ in Navarra inferiori, aut Biguriæ in Stellæ præfectura.
Bilbilis, Aragoniæ urbs penitus excisa, ubi nunc *Calatayud*, quæ et Bilbilis nova dicitur.
Bilche, ad Navas Tolosæ castrum, nunc *Bilches.*
Birueca, Castellæ novæ oppidum ad fluvium Taiunam: *Brihuega.*
Biscagia, Hispaniæ provincia septemtrionalis: *Vizcaya.*
Biterra, Galliæ Narbonensis urbs in Occitania inferiori, nunc *Beziers.*
Biturix, Galliæ urbs, provinciæ Bituricensis caput: *Beziers.*
Bizantium, Thraciæ seu Romaniæ urbs præcipua: *Constantinopla.*
Blaci populi, seu Blachi, ubi Valachia, et Bulgariæ maior pars.
Bletissa, quæ vulgo *Ledesma.*
Boides, in Asturum provincia vallis. It. oppidulum prope Gegionem.
Bolanos, in regno Legionensi oppidum: *Bolaños.*
Boria, urbs Aragoniæ prope Tyrassonam: *Borja.*
Bosphorus, fluvius, pars est Ponti Euxini in ora Taurici Chersonesi.
Brabantia, Belgii provincia amplissima: *Brabante.*
Bracara, in Lusitania urbs præcipua: *Braga.*
Brioca: Vid. Birueca.
Britannia, provincia Galliæ perampla: *Bretaña.*
Britoniensis, urbs Gallæciæ non procul à Mindonio, ubi nunc *Santa María de Bretoña.*
Brutium, Italiæ regio ex præcipuis regni Neapolitani, nunc *Calabria.*
Burdegala, Galliæ Aquitanicæ urbs: *Burdeos.*
Burgundiones, qui ex Germania in Galliam Celticam transmigrarunt, ubi Burgundia: *Borgoñones.*
Burriana, Valentiæ oppidum in Castellonis tractu.
Butracum, in Castellæ novæ et veteris confinio oppidum ad radices montis Ardoz, vulgo *Buitrago.*

C

Cabannæ, tractus Toletani oppidum: *Ca-*

Cabañas de la Sagra.
Cacus Mons, qui etiam Caunus dicitur: *Moncayo.*
Cæsarea, urbs Cappadociæ ad Halym fluvium.
Cæsareum, Bæticæ urbs: *Xerez.* It. Castrum præfecturæ Burgensis: *Castroxeriz.*
Caieta, provinciæ *Tierra de labor* dictæ in regno Neapolitano urbs: *Gaeta.*
Calabria, ampla est regni Neapolitani provincia versus Siciliam extensa.
Calacanazor, seu vulturum altitudo, oppidum parum ab Oxoma distans: vulgo *Alcatañazor.*
Calagurris, urbs Castellæ veteris in limine Navarræ: *Calahorra.*
Calataiub, urbs Aragoniæ, quæ et nova Bilbilis dicta.
Calatrava, olim Oretum dicta, Castellæ novæ oppidum in Mancia.
Canaba, Galliæ oppidum in agro Narbonensi.
Canales, oppidum dirutum in tractu Toletano.
Canceres, seu Caceres, tractus cognominis in Extremadura caput.
Canicæ, in Asturibus vallis. It. oppidum, vulgo *Cangas de Onis.*
Cannetum, tractus Conchensis oppidum: *Cañete.*
Cantabria, provincia Hispaniæ septemtrionalis, ubi Biscagia.
Capella, in Extremadura tractus Turgellensis oppidum: *Capilla.*
Cappadocia, Asiæ minoris regio, Ponto Euxino versus Boream exposita.
Capua, urbs in provincia Terræ Laboris, à veteri Capua parum distans.
Caracena, prope *Medinaceli*, veteris Castellæ oppidum in provincia Soriensi.
Caracuel, tractus Oretani oppidum in Castella nova.
Carmona, Bæticæ urbs, olim satis culta, et probe munita.
Carpetania, Hispaniæ provincia, ubi nunc tractus *Alcarria* et *Mancha* dicti, quorum urbs præcipua Toletum.
Carpium, Bæticæ oppidum quinque leucis à Corduba: *Carpio.* It. regni Legionensis castrum, vulgo *el Carpio.*
Carrio, regni Legionensis fluvius, qui in Pisoricam ingreditur: *Carrion.* It. eiusdem nominis oppidum.
Carrantium, in regno Legionensi oppidum: *Carranza.*
Caseata, prope Cazorlam oppidum: *Quesada.*
Cauria, in provincia Extremaduræ urbs: *Coria.*
Castellare-Castrum, Aragoniæ in tractu Turioli: *Castellar.*
Castellio, Sintiliæ in Bætica castrum: *Castellon.* It. oppidi *Medina del Campo* pagus: *Castejon.*
Castorla, seu Cazorla, oppidum Bæticæ in Ubetæ tractu.
Castrum-Terræ, tractus et provinciæ Legionensis oppido: *Castrotierra.*
Castrum Gundisalvi, in Pinciana provincia oppido: *Castro Gonzalo.*
Castrum-Xeriz, præfecturæ Burgensis oppidum.
Cauca, veteris Castellæ oppidum in provincia Secobiensi: *Coca.*
Caucoliberis, ultra Pyrineos oppidum: *Colibre.*
Caveæ rubeæ ad Aslantiam amnem non procul à Burgis oppidum: *Covarrubias.*
Cavea Iuliani, Portugalliæ oppidum: *Covillana.*
Caunus, mons Aragoniæ prope Castellæ veteris confinia: *Moncayo.*
Cea, in regno Legionensi oppidum non procul à Sancto Facundo: *Cea.*
Celtiberia, Hispaniæ pars septemtrionalis, ubi Aragonia.
Cilicia, regio Asiæ minoris notissima, vulgo *Caramania.*
Cinisaria, Castellæ veteris oppidum in provincia Burgensi: *Canicera.*
Cinisarium, castrum in provincia Burgensi. It. oppidum in tractu Campestri: *Cisneros.*
Ciroli, hodie *Ciruelos*, prope Toletum.
Civitas, urbecula Galliæ in Provincia: *la Ciotat.*
Clavigium, Soriensis provinciæ oppidum in Castella veteri: *Clavijo.*
Clunia, urbs maritima in Gallæcia. It. Castellæ veteris prope Oxomam oppidum: *Coruña.*
Cobeca, seu Cobexa, in tractu Toletano oppidum: *Cobeja.*
Coianca, quæ nunc *Valencia de D. Juan*, in regno Legionensi oppidum prope Ovetum.
Coimbra, Portugalliæ urbs ad Mundam fluvium.
Collar, veteris Castellæ oppidum haud ignobile: *Cuellar.*

Digitized by Google

Colubri castrum, seu *Turnealariz*, in Lusitania.
Concha, novæ Castellæ urbs cum sede Episcopali: *Cuenca.*
Consentia, in Brutis urbs: *Cosenza.*
Consocra, in Mancia Castellæ novæ tractu oppidum, decem à Toleto leucis distans: *Consuegra.*
Corinthus, urbs Peloponesi, quæ Turcis *Gereme* dicta.
Covellæ, oppidum Gallæciæ in Auriensi provincia: *Covelas.*
Covexa, Toletani tractus oppidum non procul à Toleto: *Cobeja.*
Cubas, seu Cuebas, in Giennensi provincia oppidum.
Cucullutum, in Guadalfaiaræ tractu oppidum: *Cogolludo.*

D

Dacia Ripensis, nunc Transilvania, pars Serviæ è regione Moldaviæ.
Dacia, Europæ regnum versum Septentrionem, vulgo *Dinamarca.*
Daroca, Aragoniæ urbs ad Xilocam fluvium.
Decapolis in Gadira, tractus Asiæ minoris, et Ciliciæ Isauriæque pars in Mediterraneis.
Dertosa, Catalauniæ urbs Episcopalis: *Tortosa.*
Deva, in Biscagia fluvius.
Dominarum castrum in Mancia prope Alcaraz: *Dueñas.*
Dominæ, Castellæ veteris oppidum in Pinciano tractu: *Dueñas.*
Domini-Sancti ad ripam Ceæ fluminis in regno Legionensi, ubi S. Facundi cœnobium.
Doniæ castrum prope Pinciam. Vide Dominæ.
Doria, fluvius ex Idubeda in Austrum fluens: *Duero.*
Dozium, seu Durium, fluvius. V. Doria.
Druentia, in Gallia fluvius Brigantium rigans: *Durenza.*
Dumiensis prope Bracaram pagus olim cum Sede Episcopali: *Dumio.*
Duo-germani, oppidum fuit in provincia Giennensi.

E

Ebiza, seu Ibiza, una ex Balearibus insulis in Mediterraneo.
Eciia, seu Oceia, Bæticæ urbs, quæ nunc *Ecija* in provincia Hispalensi.
Elepla, Bæticæ civitas ad fluvium *Tinto*, nunc *Niebla.*
Emerita, urbs in Extremadura: *Mérida.*
Endugarum. V. Andugarum, Bæticæ urbs: *Andujar.*
Epirus, Græciæ regio, quæ nunc *Albania.*
Estola, fluvius Legionem rigans: *Ezla.*
Ezebredus, mons per quem ad Gallæciam ex Berizo fit transitus: *Cebrero.*
Eznatoraph, seu Iznatorafe, Bæticæ castrum ultra Syrræum iugum.
Eznavexore, castrum ordinis S. Iacobi in Complutensi tractu dictum *Abenyore.*

F

Feriza, castrum in Aragoniæ regno.
Ferral, castrum in navis Tolosæ: *Ferral.*
Ferrariola, prope Palentiam oppidum: *Herraruela.*
Ficus, provinciæ Giennensis oppidum in tractu de Martos: *Higuera.*
Fita, Castellæ novæ oppidum quinque leucis à Guadalfaiara: *Hita.*
Fiterium, Navarræ in Tutelæ præfectura: *Fitero.*
Flavium, seu Flavia, Gallæciæ urbs: nunc *Santiago.*
Fons-Iuliani, in tractu *de Infantes* Manciæ oppidum: *Fuenllana.*
Fons-Rapitus, Biscagiæ urbs: vulgo *Fuenterrabia* in Guipuzcoæ provincia.
Forum-Iulii, Æmiliæ urbs, nunc *Friouli.*
Fraga, Aragoniæ oppidum in Diœcesi Ilerdensi.
Fretum Gaditanum, inter Bæticam et Mauritaniam: *Estrecho de Gibraltar.*
Frumentaria, insula Mediterranei, nunc *Fermentera.*

G

Gades, insulæ et urbis nomen inter Bætis ostia et Gaditanum fretum: *Cadiz.*
Gallæcia, Hispaniæ septentrionalis provincia: *Galicia.*
Garadis ad Sucarim fluvium non procul à Concha dissitum oppidum.

Digitized by Google

Gartiez, in regno Giennensi oppidum: vulgo *Garcies.*
Gazon, inter Ovetum et Gegionem castrum.
Gegio, oppidum in Asturibus: *Gijon.*
Gerticos, seu Bamba, in tractu Palentino prope Pinciam.
Gerundensis, urbs in Catalaunia cum sede Episcopali: *Gerona.*
Gibel-Zulema, prope Complutum in Castella nova: *Cuesta de Zulema.*
Giennium, urbs in Bætica, regni sui nominis caput: *Jaen.*
Gomellum, provinciæ Burgensis oppidum in tractu *de Aranda*: *Gumiel.*
Gordo, regni Legionensis castrum: *Gordon.*
Gormatum, oppidum provinciæ Soriensis: *Gormaz.*
Gormici, seu Gormatium, in provincia Soriensi oppidum: *Gormaz.*
Graliare, oppidum in tractu Campestri: *Grajal.*
Granno, provinciæ Burgensis oppidum in S. Dominici tractu: *Grañon.*
Guadacelet, rivus in Mancia Castellæ novæ provincia.
Guadalfaiara, Castellæ novæ urbs: *Guadalaxara.*
Guadalfaiar, locus in radice montis *de Muradal.* It. fluvius ibidem.
Guadararal, fluviolus, seu rivulus in Mancia.
Guipuscua, una ex tribus Biscagiæ provinciis: *Guipuzcoa.*
Guterrius Munio, Arevali pagus in Castella veteri: *Gutierre-Muñoz.*

H

Hadrianopolis, Thraciæ urbs: nunc *Andrinopoli.*
Helenensis, urbs in Gallia Aquitanica: *Elna.*
Heliph Sintiliæ in Bætica castrum prope Cordubam.
Helvis, nunc *Yelves*, Portugalliæ oppidum.
Hellespontus, Asiæ minoris provincia, pars Mysiæ. It. fretum inter minorem Asiam et Thraciam: vulgo *Estrecho de Gualipoli.*
Heruli, populi ex Scandinavia egressi, qui in Pannonia *de Norico* consederunt, dicti Longobardi.
Hispalis, Bæticæ urbs nobilissima: *Sevilla.*
Hospita, vallis in Pyrinæis, vulgo *puerto de Aspa.*
Hunni, populi Sarmatiæ Europeæ, qui nomen Hungariæ dederunt.

I

Ianuenses, populi Liguriæ ab Ianua urbe dicti, nunc Genuenses vocantur.
Ibernia, seu potius Hibernia, insula Europæ, una ex Britannicis in Oceano Britannico: *Irlanda.*
Iberus, fluvius qui inter Idubedam et Pyrinæos æquo spatio perfluit: *Ebro.*
Ilerda, Cataloniæ urbs: nunc *Lerida.*
Ilium, quæ et Troia, urbs Phrygiæ minoris, cuius rudera *Troia* adhuc dicta.
Inzura, Navarræ oppidum penitus excisum.
Ionia, Asiæ minoris regio in maris Ægei ora, nunc *Sarchan* dicta.
Irurita, Navarræ oppidum in valle *de Baztan.*
Iscar, Secobiensis provinciæ oppidum in tractu cognomine: *Iscar.*
Ister, fluvius qui prope Taurunum appellari vulgo incipit *Danubio.*
Iurmenia, Portugalliæ oppidum.

L

Lacuna, citra Pisoricam in tractu Pinciano: *Laguna.*
Lacra, oppidum quod fuit in regno Giennensi.
Lalii-villa, Pincianæ provinciæ oppidum in tractu Tordesillas: *Villalar.*
Lamecum, Lusitaniæ urbs: hodie *Lamego.*
Lara, oppidum Burgis finitimum, in eiusdem civitatis præfectura.
Larumbe, Navarræ in tractu Pampilonensi pagus.
Lavinia, urbs olim Latii in Italia, nunc Campaniæ Romanæ oppidulum: *Citta Lavinia.*
Ledesma, quod et Bletissa, oppidum regni Legionensis, sex à Salmantica leucis.
Legio, urbs Hispaniæ clarissima, regni cognominis caput: vulgo *Leon.*
Lemovicum, urbs Galliæ Aquitanicæ: *Limoges.*
Lentia, in Dorii ripa non procul ab Atienza: nunc *Langa.*

Digitized by Google

Lerma, Castellæ veteris oppidum ad Arlanzam amnem sex ab Auca leucis.
Lethes, amnis prope Assidonam in Bætica: *Guadalete.*
Livana, ad ripam Devæ tractus asper et montuosus: *Liébana.*
Liguria, Italiæ regio: *Ribera de Génova.*
Lincia, nunc *Puente de Lima* in provincia Portugalliæ Interamnica.
Lorvanum, Portugalliæ oppidum prope Conimbricam.
Losæ, transitus in Syrræo iugo: *Puerto de la Losa.*
Lubricale, Campestris tractus oppidum: *Lobregal.*
Lucania, regio Italiæ, nunc *Basilicata.*
Lucena, provinciæ Cordubensis in Bætica urbs.
Lucos, oppidulum in Asturibus, quod et Lugos.
Lucronium, Ruconiæ in veteri Castella urbs: *Logroño.*
Lucus, Gallæciæ urbs cum sede Episcopali: *Lugo.*
Lugdunum, Galliæ urbs in limite Bressiæ et Delfinatus: vulgo *Leon de Francia.*
Luna, castrum in regno Legionensi.
Lybia, regni Legionensis oppidum non procul à Brihuesca.
Lybiæ-Castrum, oppidum ultra Pyrinæos: *Castrolibia.*

M

Macedonia, Europæ regio, et pars Græciæ amplissima.
Madolium, Secobiensis provinciæ oppidum: hodie *Maderuelo.*
Mæotis palus, sinus, seu potius mare inter Europam et Asiam.
Magalonensis, urbs Galliæ Narbonensis: *Magalona*: nunc omnino excisa iacet.
Magan, tractus et provinciæ Toletanæ oppidum.
Magnantia, castrum Sintiliæ in Bætica prope Cordubam.
Maiorica, insula Mediterranei inter Ibizam et Minoricam: *Mallorca.*
Maiorica, provinciæ Legionensis oppidum, decem à Legione leucis distans: *Mayorga.*
Maioritum, provinciæ Toletanæ oppidum: nunc totius regni caput: *Madrid.*
Malachon, Castellæ novæ oppidum in Mancia: *Malagon.*
Mansella, provinciæ et tractus Pinciani oppidum: *Mansilla.*
Maqueda, novæ Castellæ oppidum quattuor à Toleto leucis distans.
Maranio, Navarræ oppidum in valle *de Aguilar.*
Marchena, oppidum in regno Hispalensi.
Margeritum, in tractu Toletano pagus: *Marjaliza.*
Marrochum, urbs Africæ regni Marrochii caput: *Marruecos.*
Martos, oppidum Giennensis provinciæ.
Massagetæ, Scythiæ populi, ubi hodie pars Meridionalis Tartariæ desertæ.
Massilia, Galliæ in Provincia urbs: *Marsella.*
Matancia, ad Pisoricam in provincia Pinciana: *Matanza.*
Maura, provinciæ Toletanæ oppidum: *Mora.*
Media, Asiæ regio ubi nunc pars maior *Servan* regionis.
Medinaceli, Castellæ veteris oppidum in provincia Soriensi.
Medina de rivo sicco, tractus cognominis caput in provincia Pinciana.
Medinat-Sidonia, Hispalensis provinciæ oppidum: *Medinasidonia.*
Mentesa, Bæticæ oppidum, ubi nunc *la Guardia* prope Giennium.
Mestantia, non procul à Calatrava dissitum oppidum: *Mestanza.*
Minius, Gallæciæ fluvius: *Miño.*
Minorica, Balearis minor Hispaniæ insula in Mediterraneo: *Menorca.*
Mintonensis, urbs in Gallæcia cum sede Episcopali: *Mondoñedo.*
Miraculum, castrum in Mancia: vulgo *Castillo de Almagro.*
Miranda, Navarræ oppidum in Oliti præfectura.
Miranda *del Castañar*, decem à Salmantica leucis.
Mysia, seu Amazonia, regio Asiæ minoris, quæ nunc Natolia.
Mitilene, urbs Lesbi insulæ in Asia sub dominio Turcarum.
Moia, decem à Concha leucis dissitum oppidum.
Molina, in tractu Conchensi oppidum.
Mondaicus, fluvius in Lusitania: *Mondego.*
Montelio, provinciæ Secobiensis oppidum: nunc *Montejo.*

Mon-

Montio, oppidum Aragoniæ. It. prope Palentiam oppidum: *Monzon.*

Mons-alacer, Palentinæ provinciæ oppidum: *Montealegre.*

Mons-angii, nunc *Montanches* in Extremadura, tractus Emeritensis oppid.

Mons-sacer, in Portugallia oppidum: *Monsacro.*

Mons-regalis, in tractu Salmantino oppidum: *Monreal.*

Morus Reginæ, veteris Castellæ oppidum in provincia Pinciana: *Moral de la Reyna.*

Mosaicus, Galliæ Aquitanicæ oppidum: *Mosaico.*

Muez, Navarræ oppidum.

Munio, nunc *Muñon*, prope Lermam castrum.

Muratal, inter Cazlonæ montes, et Syrræum iugum angi portus: *Muradal.*

Murelum, seu Mutelum, castrum in Gallia Narbonensi: *Murel.*

N

Nacorum, civitas Mauritaniæ.

Naiara, provinciæ Burgensis, in tractu *de Juarros* oppidum: *Náxera.*

Nannetensis, urbs in Gallia, sive Nannetes in Britannia minori ad Ligerim fluvium: *Nantes.*

Narbo, urbs Galliæ in Occitania provincia inferiori: *Narbona.*

Narceia, fluvius in regno Gallæciæ, atque in Asturibus: *Narcea.*

Naron, in Gallæcia oppidum *Betanzos* provinciæ, vel potius Lucensis.

Navæ Tolosæ, in provincia Giennensi ultra Syrræum iugum, saltus etiam Castulonensis dictæ.

Navarra, Hispaniæ regnum in eius parte septentrionali: *Navarra.*

Navarretum, oppidum Ruconiæ in Lucronii tractu: *Navarrete.*

Naurantius, mons in Asturibus duobus ab Oveto milliaribus: *Naranzo.*

Nemausensis urbs, sive Nemausus, urbs Narbonensis Galliæ in Occitania: *Nimes.*

Nubila, provinciæ et tractus Hispalensis oppidum: *Niebla.*

O

Oaroma, quæ et Oxoma, Castellæ veteris urbs.

Occania, Castellæ novæ oppidum in provincia Toletana: *Ocaña.*

Olalies, oppidulum in Asturibus tribus ab Oveto leucis.

Olorum, seu Olitum, in Navarræ finibus urbs: nunc *Olite.*

Opta, nunc *Huete*, in Conchensi provincia tractus cognominis caput.

Ordunia, Biscagiæ urbs: *Orduña.*

Oreola, urbs quæ nunc *Murcia* regni sui nominis caput.

Orgatium, in tractu Toletano oppidum: *Orgaz.*

Oronia, in Burgensi provincia tractus de Laredo oppidum: *Oreña.*

Orzeion, Zamorensis provinciæ oppidum: *Orcijon.*

Ove, fluvius in montibus Transmeræ. It. in Asturibus prope Ovetum.

Ovetum, in Asturibus civitas cum sede Episcopali: *Oviedo.*

Oxoma, in Castella veteri cum sede Episcopali urbs: *Osma.*

Ozeya, Bæticæ urbs, quæ Astix dicitur: *Ecija.*

P

Palentia, regni Legionensis urbs, cum sede Episcopali.

Palentiola, parum à Palentia distans oppidulum: *Palenzuela.*

Palmatium, Sintiliæ in Bætica castrum.

Palumbaria, mons prope Abulam in Castella veteri: *Palomera.*

Pamariensis, S. Eulaliæ Ecclesia in Asturibus, fuit in valle *de Pramara.*

Pandicurvum, præfecturæ Burgensis in tractu *de Bureba* oppidum: *Pancorvo.*

Panis-plica, in Castella veteri sex leucis à Burgis distans oppidum: *Pampliega.*

Pannonia, quæ nunc Ungaria dicta, ubi Hungariæ inferioris magna pars et Sclavoniæ.

Paphlagonia, Asiæ minoris regio, et Galatiæ pars borealis, *Bolli* à recentioribus dicta.

Paradinæ, regni Legionensis oppidum: *Paradiñas.*

Parthi, Asiæ populi ex Scythia, qui Orientis imperio diu potiti sunt.

Patavium, urbs Italiæ, agri Patavini caput: nunc *Padua* dicta.

Patricia, Gallæciæ urbs, quæ et Auria: nunc *Orense.*

Pe-

Digitized by Google

Pegum, provinciæ Giennenſis oppidum: *Priego.*
Penna-fidelis, Caſtellæ veteris oppidum novem à Pincia leucis: *Peñafiel.*
Perſia, pars Aſiæ perampla ab Indo ad Tigrim uſque extenſa.
Petragorica, urbs Galliæ in Petrocoricenſi provincia: *Perigueux.*
Petrochium, provinciæ Cordubenſis oppidum in Syrræo iugo: *Pedroche.*
Pharus Gallæciæ, in regno Algarviæ urbs cum portu ad oram ſinus Gaditani: *Faro.*
Philipopolis, Macedoniæ urbs in Thraciæ confinio: hodie etiam *Felipe* dicta.
Phrygia, regni Aſiæ minoris, nunc Sarcum dicta, ſub qua Troas comprehenditur.
Pictavium, in Gallia Aquitanica urbs: *Poitiers.*
Pilos, Giennenſis provinciæ in Ubetæ tractu oppidum.
Pionia, fluvius in Aſturibus dictus *Bueña.*
Piſidia, inter Galatiam et Phrygiam maiorem Aſiæ minoris regio, nunc *Verſaelli* dicta.
Placentia, in Extremadura urbs, cum ſede Epiſcopali: *Plaſencia.*
Plantaca, ſeu Plantata, in regno Legionenſi oppidum.
Penna, regni Legionenſis oppidum: *Peña.*
Pena-lenis, diſtrictus Conchenſis oppidum: *Peñalen.*
Pontus, regio parva Europæ, pars Mœſiæ inferioris verſus Iſtri oſtia.
Portella, Alavenſis provinciæ oppidum: *Portilla.*
Portella de Arenis, Gallæciæ oppidum: *Portilla de Arenas.*
Portu-calenſis, urbs Luſitaniæ cum ſede Epiſcopali, nunc *Oporto.*
Portus-molarum, Portugalliæ oppidum.
Pravia, in Aſturibus oppidum, ſex ab Oveto leucis.
Pulveraria, prope Aſturicam oppidum ad ripam Urbici: *Polvoredo.*
Pyrenæi montes qui Galliam ab Hiſpania dividunt.

Q

Quintana-fortunii, tractus et præfecturæ Burgenſis oppidum: *Quintana Ortuño.*

R

Ravena, Italiæ urbs in ditione Eccleſiæ, et Romandiolæ caput.
Recopolis, urbs Hiſpaniæ in Caſtella nova à Leovigildo extructa prope Zuritæ caſtrum.
Regula, Galliæ oppidum in Aquitania, vulgo *Reole.*
Rhegia, ſeu Rhegium, Calabriæ ulterioris caput in regno Neapolitano: *Rijo.*
Rheginus, urbs regni Neapolitani in Principatu citeriori.
Rhodanus, fluvius in limite Helvetiæ.
Rhodus, Aſiæ minoris inſula in mari Carpatio, nunc *Rodas* dicta.
Ripa-gurcia, ſeu Ripacurtia, Aragoniæ tractus: *Ribagorza.*
Rivus Oppæ, prope Alcaratium caſtrum: *Riopar.*
Rivus-ſiccus, in Caſtella veteri in provincia Pinciana oppidum: *Rioſeco.*
Rodericopolis, regni Legionenſis urbs cum ſede Epiſcopali: *Ciudad-Rodrigo.*
Rodiellæ, dirutum oppidum Toletani tractus: *Rodillas.*
Roda, Caſtellæ veteris oppidum in tractu Secobienſi: *Roda.*
Roindonia: Vide Ruconia.
Roſcida-vallis, Navarræ oppidum: nunc *Ronces-valles.*
Rubonia, ſeu Ruconia.
Ruconia, veteris Caſtellæ tractus: vulgo *Rioja.*
Ruthenus, Galliæ Aquitanicæ urbs, in Ruthenenſi provincia, nunc *Rodes* dicta.

S

Sabaria, Hiſpaniæ tractus penitus ignotus.
Sabucale, prope Badallocium fuit huius nominis oppidum: *Sabugal.*
Sacralia, locus Bæticæ Hiſpali finitimus: *Sacralias.*
Saldania, in Caſtellæ veteris tractu campeſtri oppidum: *Saldaña.*
Salva-leon, in Badallocii tractu oppidum: *Salvaleon.*
Salva-terra, in Alava tribus à Victoria leucis diſtans oppidum. It. in tractu Badallocii. It. in Bætica ad radices Syrræi iugi.

Sal-

Salvitas, Agennensis tractus in Gallia oppidum: *Salvitat.*
Sancta Emerentiana, in provincia Soriensi oppidum.
Sancta Eulalia, provinciæ Toletanæ, parumque à Toleto dissitum oppidum: *S. Olalla.*
Sancta Euphemia, tractus Oretani oppidum in Mancia.
Sancta Irenæa, Portugalliæ oppidum: vulgo *Santarén.*
Sancti Cypriani castrum vulgo *de Magaz* in Rivi sicci tractu.
Sanctus Facundus, veteris Castellæ oppidum in provincia Legionensi: *Sahagun.*
Sanctus Iustus, provinciæ Pincianæ oppidulum: *Santiuste.*
Sanctus Pontius de Thomaris, in Gallia Narbonensi cœnobium: *de Tomer.*
Sanctus Stephanus, provinciæ Soriensis oppidum: *San Esteban de Gormaz.*
Sanctus Torquatus, Castellæ novæ oppidum in tractu Complutensi: *Santorcaz.*
Sarmalion Sintiliæ in Bætica castrum: *Sarmalon.*
Sarasacium, Navarræ oppidum in tractu Pampilonensi: *Sarasate.*
Scalona, quinque à Toleto leucis distans oppidum: *Escalona.*
Scotia, Europæ regio, quæ in unum cum Anglia regnum iam diu coaluit: *Escocia.*
Scythia, Asiæ regio in eius parte septentrionali.
Secobia, Castellæ veteris urbs cum sede Episcopali: *Segovia.*
Secontia, Castellæ veteris urbs, vulgo *Sigüenza.*
Secorbica, urbs in regno Valentino: *Segobe.*
Secunda, oppidulum fuit prope Cordubam.
Sede, vel Site-filia, provinciæ Cordubensis oppidum: forte *Sedella.*
Segontia, quæ et Secontia, quam vide.
Sena, oppidum Portugalliæ.
Septem-mancæ, in Castella veteri prope Pinciam oppidum: *Simancas.*
Septem-publica, in Castella veteri provinciæ oppidum Secobiensis: *Sepúlveda.*
Seres, Asiæ populi inter Sinas et Scythiam ad ortum extremi.
Serra, in Catalaunia Gerundensis præfecturæ oppidum: *Serra.*
Serpia, in regno Portugalliæ oppidum: *Serpa.*
Seviot, in regno Giennensi prope Martos oppidum: *Sabiote.*
Sicambria, Pannoniæ interioris urbs excisa, cuius rudera prope Budam *Scambri* Hungari appellant.
Sintilia, seu Sintilla, Bæticæ tractus prope Cordubam.
Sintria, nunc Cintra, in Portugallia non procul ab Ulyssipone.
Soria, Castellæ veteris urbs, haud ignobilis.
Stella, in Navarra oppidum tractus cognominis caput: *Estella.*
Stepa, in Bætica oppidum tractus et provinciæ Hispalensis: *Estepa.*
Sublantia, urbs excisa parum distans à Legione in valle *Sollanzo.*
Suevia, provincia Germaniæ ampla, cuius urbs præcipua Augusta Vindelicorum.
Super-arne, tractus haud modicus Aragoniæ: *Sobrarbe.*
Supporta, oppidum est Navarræ privilegiis addictum: *Soporta.*
Surcaria, in tractu Conchensi oppidum: *Torquera.*
Sutrium, Italiæ urbs in Sancti Petri patrimonio, nunc *Sutri.*
Syria, Asiæ regio, nunc *Suristan* dicta, quæ Syriam propriam et Phœniciam complectitur.

T

Tabulata, provinciæ Soriensis oppidum, vulgo *Tablada.*
Talabrica, Castellæ novæ ad Tagum fluvium oppidum: *Talavera de la Reyna.*
Talamanca, Castellæ novæ oppidum in tractu Complutensi.
Tanais, Sarmatiæ Europeæ, seu Moscoviæ fluvius: *el Don.*
Taphalia, urbs in regno Navarræ: *Tafalla.*
Tarecum, in provincia Palentina tractus *del Cerrato* oppidum: *Tariego.*
Tarifa, Bæticæ urbs iuxta fretum Herculeum: *Tarifa.*
Taurus, fluviolus Peloponnensi per Argiam fluens.
Tegulare, ad Carrionem fluvium, non procul à Burgis: *Tejar.*

Te-

Digitized by Google

Teitar, in provincia Extremadura fluvius: *Tietar.*
Teutones, populi Germaniæ Cimbris contermini, vulgo *Tudescos.*
Tevinia, in Castella nova prope Briocam fluvius: *Tajuña.*
Thesalia, Macedoniæ regio, quæ *Ianna* etiam dicitur, subest Turcarum imperio.
Thracia, Europæ regio, cuius primaria urbs est Constantinopolis.
Thuringia, provincia Germaniæ in Saxoniæ superioris circulo.
Tiberis, fluvius Italiæ notissimus, qui et Albula dictus, nunc *Tiber.*
Tila, oppidum Belgii in Gueldriæ ducatu; et in Batavia ad Vahalim fluvium.
Tingis, Africæ in Mauritania Tingitana urbs: *Tanger.*
Tolosa, Bæticæ oppidum in Castellæ novæ confinio. It. Galliæ in Occitania urbs. It. in Ipuzcoa provincia ad radices Pyrinæorum oppidum.
Toraph-Castrum, in provincia Zamorensi: *Castrotorafe.*
Toya, provinciæ Giennensis oppidum in Ubetæ tractu.
Transmeræ montes ad Septentrionem montium *de Santillana.*
Tragineda, locus in angi portu *del Muradal.*
Tremulus, provinciæ Abulensis oppidum: *el Tiemblo.*
Tuda, Gallæciæ urbs cum sede Episcopali: *Tuy.*
Tudelia, urbs in Navarra ad Iberum fluvium: *Tudela.*
Turgellum, in provincia Extremadura urbs: *Truxillo.*
Turius, prope Legionem fluvius, vulgo *Tera.*
Turmius, fluvius regnum Legionense rigans: *Tormes.*
Turolum, Germaniæ comitatus in Belgio Austriaco: *Tirol.*
Turonia, provincia Galliæ in præfectura Aurelianensi: *Turena.*
Turonium, in Gallia Turonicæ provinciæ urbs præcipua: *Tours.*
Turres-novæ, in Portugallia oppidum: *Torres-novas.*
Turris de Albeg, seu de Alber, fuisse videtur *Castellar* in Bætica non procul à Syrræo iugo.
Tuscia, Italiæ regio notissima: *la Toscana.*
Tyrassona, Aragoniæ urbs ad Gallæcum fluvium cum sede Episcopali: *Tarazona.*
Tyrrhenum mare, pars ampla Mediterranei ad oram Italiæ: *Mar de Toscana.*

V

Vadum Regis, in provincia Palentina oppidum: *Vado del Rey.*
Vaiona, urbs Galliæ in Vasconia: *Bayona.*
Valeranica, Castellæ veteris oppidum parum ab Oxoma distans: *Berlanga.*
Vallis-Borgecorexi, vulgo *Burdecores* in provincia Soriensi.
Vallis-Cæsaris, in Pyrinæis oppidum: *Valle del Cesar.*
Vallis-Iuncaria, Aragoniæ pagus: *Valdejunquera.*
Vallis-Iuniperi, in Pinciana provincia tractus *de Simancas* oppidum: *Valdenebro.*
Vallis-mori, oppidum non procul ab Asturica: *Valde-mora.*
Vallis-Muzæ, in tractu Salmantino oppidum: *Valdemuza.*
Vallis Orniæ, quæ et Destriana prope Legionem: *Valle de Ornia.*
Vallis-posita, Castellæ veteris oppidum prope Burgos: *Valpuesta.*
Vallis de Tamara, ad Carrionem fluvium prope Fromestam et Carrionem oppidum.
Vandali, populi Germaniæ inter sinum Codanum, et fluvios Vistulam, et Chalusum extensi.
Varinatium, quod est *Gormaz*, prope Oxoman.
Ubeta, Bæticæ urbs in provincia Giennensi. It. provinciæ Toletanæ oppidum: *Ubeda.*
Uclesium, Castellæ novæ oppidum in Syrræo iugo ad Bedijam amnem: *Ucles.*
Velagia, in Castella veteri oppidum non procul ab Oxoma.
Velesium. Vide Uclesium.
Ventosa, prope Asturicam oppidum: *la Ventosa.*
Verona, urbs Italiæ in Longobardia ad Athesim fluvium.
Westphalia, inter Saxoniam et Belgium pars ampla Germaniæ.

Digitized by Google

Via-anguis, inter Legionem et Asturicam locus: *Fuente de Culebras.*

Vicaria, provinciæ Soriensis oppidum: *Viguera.*

Victoria, Alavensis provinciæ caput: *Victoria.*

Villa-alba de Alcor in Pinciana provincia tractus de Simancas oppidum.

Villa-franca, provinciæ Burgensis oppidum.

Villa-montini, provinciæ fuit Giennensis oppidum.

Villanova de Sarria, Gallæciæ oppidum in provincia Lucensi.

Villarepandum, Legionensis provinciæ oppidum: *Villalpando.*

Viseum, Portugalliæ urbs cum sede Episcopali: *Viseo.*

Ulmetum, in Castella veteri oppidum tractus Pinciani: *Olmedo.*

Ulmi, provinciæ et tractus Toletani dirutum oppidum: *Olmos.*

Ulysbona, seu Ulissipo, totius Portugalliæ caput: *Lisboa.*

Urbicus, non procul ab Asturica in regno Legionensi fluvius: *Orbigo.*

Urete, seu Brete, in Asturibus pagus parum à Canicis distans.

Urgellum, Catalauniæ urbs cum sede Episcopali: *Urgel.*

Vulpecularia, in ripa Carrionis oppidum: *Golpelara.*

Vulturaria, ultra Pyrinæos in Aquitania oppidum.

X

Xodarum, in regno Giennensi oppidum: *Jodar.*

Z

Zeguitagui, in Guipuzcoæ provincia oppidum.

Zurita, tractus Complutensis in nova Castella oppidum.

AD-

Digitized by Google

ADDENDA ET CORRIGENDA IN TOMO PRIMO.

Pag. II. lin. 16. et 18. dele *SS.*

Pag. XIX. lin. 13. *odoptivus*, corrig. *adoptivus.*

Pag. XXII. lin. 15. *Cistercensium*, corrig. *Cisterciensium.*

Pag. XXVI. lin. 9. 1077. lege 1067. lin. 17. *Portionariorum*, lege *Capellanorum.*

Pag. XXVIII. lin. 9. et 28. *Monastica*, corrig. *Monosticha.*

Pag. XXX. col. 2. lin. 42. et pag. XXXVI. col. 2. lin. 39. *lectoris*, corrig. *lectori.*

Pag. 13. col. 1. lin. 22. *Archiepiscopum*, corrig. *Episcopum.*

Col. 2. lin. 10. et 36. et pag. 14. col. 1. lin. 5. in nonnullis exemplaribus, quibus legitur *Reccesvinthus*, corrigatur *Chindasvinthus*, sicuti iam in ceteris emendavimus.

Pag. 15. col. 1. lin. 40. *Adfuit conciliis Toletanis VII. et VIII. . . . . præfuit vero IX. et X.* In Conciliorum codicibus hodie extantibus leguntur viginti Episcopi, præside S. Eugenio, Synodum decimam coegisse; sed secundum exemplaria Escurialensia, quorum apographa vidit Antonius Iepesius Benedictinus, Antistites quinquaginta eam celebrarunt, præside Orontio Emeritensi. Vid. tom. 2. Chronic. Benedictin. fol. 221. et 222. et tom. XIV. Hispan. Sacr. pag. 22. quapropter corrigas velim: *Adfuit conciliis Toletanis VII. VIII. et X. præfuit vero IX.* sicut in hoc Tom. III. pag. 348. n. 32. in Catalogo Præsulum dictum est.

Col. 2. lin. 23. *Itaque ab initio sæculi XVII. Eugenii nomen in Sanctorum Fastis adscriptum novimus die decima tertia Novembris, qua. . . . . die ab Ecclesia Toletana. . . . recolitur*: corrig. *Itaque sæculo nono iam constat ex Martyrologio Usuardi, Eugenii nomen Sanctorum Fastis adscriptum die decima tertia Novembris qua. . . . . die ab Ecclesia Toletana. . . . . recolitur ab initio sæculi XVII.* Vide in prædict. Tom. III. in Catalogo Præsulum num. et pag. nuper citata.

Pag. 18. col. 1. lin. 18. post *coluntur*: add. *et Iuliani, quæ in camera sancta, ut nuncupant, Ovetensi monstrantur.*

Pag. 19. lin. 11. *al calcem*, corrig. *ad calcem.*

Pag. 24. lin. 24. *cor pavor*: add. in marg. ex nostro autographo Azagrensi *cor pavet.*

Post pag. 27. corrig. 28. 29. pro 36. 37.

Pag. 57. lin. 5. *Lectoris*, corrig. *Lectori.*

Pag. 64. Versus sub num. XL. qui prætitulantur *Ad calidam*, ut in codice, prætitulandi forsan erunt *ad Chindasvinthum*: nisi Calida proprium sit nomen Rectoris, vel Præsidis provinciæ, seu civitatis, ubi Eugenius vivebat.

Pag. 65. Carmen, cuius est titulus *Conclusio*, collocandum erit post ea omnia, quæ Eugenius composuit annuens voluntati Regis Chindasvinthi, cui fausta omnia precatur. Ibidem in nota sub num. (4) *exametro*, corrig. *hexametro.*

Pag. 66. lin. penult. *furmure*, corrig. *furfure.*

Pag. 77. lin. 10. *flagiles*, corrig. *fragiles.* Lin. 28. *fabricans*, corrig. *fabricavit.* Lin. 29. *clausit*, corrig. *clausi.*

Pag. 80. Nota hic Presbyterum, quem S. Eugenius memorat callide ordinatum ab Eugenio II. voluntati Regiæ nimium indulgente, Lucidium videri diaconum, cuius meminit S. Ildephonsus in præfatione ad librum de Viris illustribus, pag. 283.

Pag. 88. col. 2. lin. 34. *Igini*, corrig. *Higini.*

Pag. 94. In secundo Tomo pag. 323. posuimus correctius Elogium B. Ildephonsi à S. Iuliano conscriptum; ibique monemus lectorem de omnibus quæ necessaria iudicavimus.

Pag. 96. col. 1. lin. 38. *Cogulla* : : : *Scurialense*, corrig. *Cogolla* : : : *Escurialense.*

Pag. 105. lin. 37. *ad*, corrig. *ab.*

Digitized by Google

Pag. 120. col. 1. lin. 33. *partes*, corrig. *patres*.

Pag. 128. col. 2. lin. 24. 25. *perversu*, corrig. *perverso*.

Pag. 152. col. 1. lin. 8. ad marg. adde 4. *Esdr*. 8. 21. nam hic sunt verba *Quia coram illo &c.*

Lin. 20. *cognitus*, corrig. *cognitis*.

Pag. 168. lin. 28. *iterato*, corrig. *iterando*.

Pag. 169. lin. 7. adde *qui* post *petit*.

Pag. 172. col. 2. lin. 11. *habitabit*, corrig. *habitavit*.

Pag. 173. col. 1. lin. 5. *insidiaveris*, corrig. *insidiaberis*.

Col. 2. lin. 10. *cruci*, corrig. *cruce*.

Pag. 178. col. 1. lin. 14. *nullla*, corrig. *nulla*.

Lin. 22. *adapertitione*, corrig. *adapertione*.

Lin. 34. *praspicentia*, corrig. *praspicientia*.

Pag. 181. col. 2. lin. 31. *repugnavimus*, corrig. *repugnabimus*.

Pag. 187. col. 2. lin. 27. *habitabit*, corrig. *habitavit*.

Pag. 201. col. 1. lin. 39. *quàmlibet*, corrig. *quemlibet*.

Pag. 202. col. 2. lin. 21. *nunc*, corrig. *tunc*.

Pag. 207. col. 2. in marg. adde *Ex S. Isidoro quæst. in Exod. cap.* 18. *et S. Paterio lib.* 2. *super Exod. cap.* 22.

Pag. 215. col. 1. lin. 34. *quatum*, corrig. *quantum*.

Pag. 223. col. 1. lin. 1. *et*, corrig. *ut*.

Pag. 226. col. 1. lin. 20. 21. *effectu*, corrig. *affatu*.

Pag. 228. col. 2. in marg. 16. corrig. 26.

Pag. 252. col. 2. lin. ult. *nullius*, corrig. *nullis*.

Pag. 264. col. 2. lin. 21. *quæruntur*, corrig. *queruntur*.

Pag. 269. col. 2. lin. 13. *rescidendum*, corrig. *rescindendum*.

Pag. 283. col. 1. lin. 16. 17. *mimministris*, corrig. *ministris*.

Pag. 289. col. 2. lin. 35. *Ilduinus*, corrig. *Hilduinus*.

Pag. 298. col. 2. lin. 5. *obumbravit*, corrig. *obumbrabit*.

Pag. 305. col. 1. lin. 40. *Purificatione*, corrig. *Assumptione*.

Pag. 307. col. 2. lin. 28. *quòd*, corrig. *quod*.

Pag. 317. lin. 32. *Lectoris*, corrig. *Lectori*.

Pag. 329. col. 2. lin. 24. *positis*, corrig. *possitis*.

Lin. ult. *intemperatioris*, corrig. *intemperantioris*.

Pag. 349. col. 2. lin. 4. *habitabit*, corrig. *habitavit*.

Pag. 350. col. 2. lin. 7. reiecimus vocem *martyr* : sed melius fuisset reiecisse vocem *mater*, legisseque dumtaxat: *Beata Dei genitrix iure plus quam martyr est*. Ita sensus omnino congruit, qui alioqui nimis aberrat à proposito.

Pag. 367. col. 2. lin. 2. adde in margine: *Carptim ex sermone adtributo Hieronymo, tom.* 4. *col.* 793. *edit. Paris.* 1609.

Pag. 368. col. 2. lin. 3. adde in marg. *ex eodem sermone col.* 792.

Pag. 369. col. 1. lin. 6. adde in marg. *ex eodem serm. col.* 790.

Pag. 370. col. 1. lin. 8. 9. adde in margin. *ex serm.* 208. *in Append. August. tom.* 5. *num.* 1.

Lin. 31. add. in marg. *ex eodem serm. num.* 4. *et serm.* 121. *num.* 5.

Col. 2. lin. 19. add. in marg. *ex serm.* 119. *num.* 5.

Lin. 27. add. in marg. *ex serm.* 128. *num.* 2.

Pag. 371. col. 2. lin. 27. adde in marg. *Videas eadem in sermone* 13. (*Ildephonsino*) *pag.* 389. *nostræ editionis*.

Pag. 373. col. 1. lin. 25. *obumbravit*, corrig. *obumbrabit*.

Col. 2. lin. 5. *aula*, forte *aura*.

Lin. 19. add. in marg. *ex eodem serm.* (*Augustiniano*) 208. *num.* 5.

Pag. 374. col. 1. lin. 7. add. in marg. *ex eodem serm. num.* 11.

Lin. 26. add. in marg. *ibidem n.* 5.

Lin. 34. add. in marg. *ex sermonib.* 119. 128. ubi supr. pag. 370.

Pag. 375. col. 1. lin. 21. 22. &c. add. in marg. *ex eodem serm.* 208. *num.* 5. *et* 4. *et ex serm.* 121. *num.* 5.

Lin. 34. add. in marg. *ex eodem serm.* 208. *num.* 11.

Col. 2. lin. 32. add. in marg. *ex eodem serm. et num.*

Pag. 386. col. 2. ad serm. XIII. adiicias pro epigraphe : *Sermo hic ducentesimus quadragesimus quintus est in Append. Augustin. tom. V.*

Ibidem lin. ult. *candor*, corrig. *calor*, ut ex contextu demonstratur, et in Augustino legitur.

Pag. 388. col. 2. lin. 22. *replevit*, corrig. *replebit*.

Pag. 389. col. 1. lin. 33. add. in marg. *Iam di-*

Digitized by Google

diximus ad pag. 371. *col.* 2. *eadem hic ac ibidem legi.*

Col. 2. ad serm.XIV. Totus sermo contextus est de ducentesimo vicesimo quinto (al. de Diversis 53.) Augustiniano; itaque minus recte diximus in Monito, inter spurios Augustini sermones reiectum esse ab eius editoribus.

Pag. 398. col.2. lin.7. 8. add. in marg. *Verba sunt orationis quæ Angelica nuncupatur, et canitur Sabbato Sancto ad benedictionem Cerei Paschalis.*

Pag.406. lin.15. in marg. f. *vellere*, corrig. *vellis*; et add. *ex serm.*22. *B.Petri Chrisologi.*

Pag. 425. col.1. lin. antepenult. *vigesimo*, corrig. *decimonono*, aut *undevigesimo.*

Pag.434. col. 1. in not.(4) Diximus codicem nostrum in fine libri *de Corona Virginis* habere, *Arripe eam* &c. Nunc addimus S. Bonaventuram, eodem modo incipere suam Præfationem in Psalterium eiusdem Virginis, ex quo ad oram, ubi posuimus, *provocat nos*, legendum *nos invitat, ac incitat.*

Pag.435. lin.5. *XIV.* corrig. *XIII.*

IN TOMO SECUNDO.

Pag. XX. not. 13. in fine haud recte diximus sententiam Iuliani *pro fide nolle asserere idipsum est, quod negare*, fragmentum esse alicuius ipsius operis deperditi; invenitur namque in Epistola ad Regem Ervigium, pag.90. col.1. circa finem.

Pag. 109. col.2. lin. 26. *vigintiuno*, corrig. *vigintiduobus.*

Lin.27. *decem*, corrig. *duodecim.*

Lin.37. *Esethehac*, corrig. *Evergetes.*

Lin.40. *viginti quatuor*, corrig. *septemdecim.*

Lin.41. *Esethehac::viginti septem*, corrig. *Epiphanes ::: viginti quatuor*, et adde: *Item alius Evergetes viginti novem.*

Lin.43. *triginta septem*, corrig. *triginta octo.*

Pag. 110. col. 2. lin. 24. post *viginti et octo*, adde *Otho mensib.* 3. *dieb.* 5. *Vitellius. mensib.* 8. *dieb.* 10.

Pag.269. col. 2. lin. 4. *Lacedæmoniorum*, corrig. *Babyloniorum.*

Pag. 333. col. 1. lin. 6. *decentis*, corrig. *decedentis.*

IN TOMO TERTIO.

Pag. 6. col. 1. lin. 18. *Occeano*, corrig. *Oceano.*

Lin.29. et alibi: *Occeanum*, corrig. *Oceanum.*

Pag. 327. col. 2. lin. 7. *Bilcarensis*, corrig. *Biclarensis*, ut in aliquibus exemplaribus habetur.

Pag. 430. col. 1. lin. 24. adde: *é finó en Santo Domingo de la Calzada.*

Pag.431. col.1. lin.15. *por lo qual*, corrig. *por la qual.*

Lin. 19. adde: *fué trasladada aquí Domingo diez dias de Diciembre de mil quatrocientos diez y nueve años.*

Pag.435. lin.35. *charus*, corrig. *clarus.*

Lin.36. *clarus*, corrig. *charus.*

Pag.444. col.1. lin.19. lege: *é fué electo en concordia dos veces para ser Obispo de Calahorra, de donde era natural ::: é finó á dos dias del mes de Abril, era de* 1363 *años.*

Pag.445. col.1. lin.26. *Muladar*, corrig. *Muradal.*

Pag.446. lin.27. post *Vallisoleti* adde: *Gomezius dictus, fraudis dare nescius ictus.*

Pag. 447. col. 1. lin.30. *Baiorensi*, corrig. *Balneoregiensi.*

Pag.459. col.2. lin. 5. *trecientos*, corrig. *quatrocientos.*

Lin. 7. lege *mil quatrocientos é cincuenta y un años.*

Pag.460. lin.3. *huic*, corrig. *huius.*

Lin.15. *ipsis*, corrig. *populis.*

Lin. 21. *gratus, quod*, corrig. *egregia quam.*

FINIS TOMI TERTII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005645522

Digitized by Google